



# Adriani Heereboord, ... Meletemata philosophica, maximam partem, metaphysica

<https://hdl.handle.net/1874/21866>

ADRIANI HEEREBOORD,

*Professoris in Academia Patria Phi-  
losophi Ordinarii,*

# MELETEMATA PHILOSOPHICA.

*Maximam partem,*

METAPHYSICA.



LUGDUNI BATAVORUM,

Ex Officinâ FRANCISCI MOYARDI,

*Bibliopola trans Academiam.*

CL C LIV.

*Nobilissimis, Amplissimisque Dominis;*

- D. AMELIO van BOUKHORST, Wimmenumi Domino, Ordinis Equestris Adseffori, Rhenolandiae Praeposito & Aggerum Praefecto, ad Comitia Ordinum Generalium nuperrimè, nunc ad Confessum Consiliariorum, Hollandiae Ordinum, Delegato,
- D. GERARDO SCAEP, Equiti, Domino Cortehoeviæ, Reipublicæ Amstelodamensis Exconsuli, ad Comitia Ordinum Generalium Deputato, ad Serenissimos Daniæ ac Sueciæ Reges Exlegato,
- D. CORNELIO van BEVEREN, Equiti, Strevelshoekkiæ, West-Isselmondæ, & Develsteinii Domino, Reipublicæ Dorracenæ Exconsuli, ad Confessum Consiliariorum, Hollandiae Ordinum, nominato, ad Serenissimos Britanniæ & Daniæ Reges Exlegato,

U T E T

*Amplissimis, Spectatissimisque. Florentissime  
Reipub. Lugdunensis Consulibus,*

- D. PAULO à SWANENBURGH, J. C.
- D. NICOLAO vander MEEER,
- D. JOHANNI vander MAERSCHE,
- D. PETRO à WARMONT,

Academiæ Lugdunensis Curatoribus,

N E C N O N,

*Amplissimo Consultissimoque Viro,*

- D. JOHANNI à WEVELINCHOVEN, J. C.  
Reipublicæ Lugdunensis Syndico, Nobilissimis Amplissimisque Curatoribus, à Secretis,

Hæc MELETEMATA,

*eo, quo decet, animo,*

L.M.Q.D.D.D.

ADRIANUS HEEREBOORD.

*Nobilissimi*

*Nobilissimi, Amplissimique Domini,*

**F**Acit nominum vestrorum splendor,  
& munerum dignitas, *Academæ Pa-*  
*tres*, ut ad pedes vestrros apponere au-  
sim, hæc mea *Meletemata Philosophica*, omni  
jure, vestra, utpote in Academiâ, cuius cu-  
ram sustinetis, *Gravissimi Curatores*, nata  
ac disputata. Huc accedit, quod in soli-  
dum vestri me juris reddiderint vestra in  
me officia inexspectatissima: Ut non di-  
cam, me, rude donatum triviali, quo faci-  
lius emetirer stadium eruditionis *Academicæ*,  
patriæ Urbis munificentia, in *Collegio Ordi-*  
*nnum Hollandiæ VVest-Frisiæque Theologico* (quod  
curæ quoque vestræ commissum est) to-  
tum transegisse sexennium: vos insuper e-  
stis, qui in publicam me protraxistis lu-  
cem, cum nihil me cogitantem minus, sex  
nondum & viginti annorum juvenem (quod  
præfiscine dixerim) in *bac bona Menti æde*,  
*Philosophiæ Professorem* vocastis: nec hic fuit fi-  
nis.

nis vestræ beneficentia: nova placuit addere  
priorum meritorum cumulo : cum , anno  
vixdum exacto, *Pro-Regentis* in *Collegio* mihi  
munus imponere, visum fuit. Accipite ergo,  
*Viri Nobilissimi, Amplissimi*, pro tot in me effu-  
sis, pleno horreo, beneficiis, hæc pauca, quæ  
ad aram suspendo vestræ humanitatis , gra-  
tię specimina , diligentię in exornandâ  
spartâ mea Academicâ, testimonia ; & ma-  
jori in dies me favore complectamini. Quod  
si effectum dederitis , sublimi feriam sidera  
vertice. Ita vos sospitet Deus. Quod  
voveo,

*Nobilissimarum Amplitudinum vestrarum,*

CULTOR & CLIENS,

ADRIANUS HEEREBOORD,

*Philosophiæ Professor Ordinarius.*

P R A E-

## P R A E F A T I O.

## A D L E C T O R E M.



ELET EMATA (Meditationes, dixeris Latine) in Philosophia cultura existunt, Lector benevole, duum generum: quodam libera, nullis, aut materiis, aut disciplinis, aut Authoribus, adstricta; qualia tibi hoc sifimus volumine, ubi, nec Metaphysicatantum suas habet vices, quamvis, ut Scientiarum omnium princeps ac Regina, regnum teneat, nec Physica loquitur sola, sed & Ethica ac Politica, nec solus oracula profert Aristoteles, aut sententias dicit sententiarum Magister, vel Thomas, vel Scotus, vel Suarus, sed & in partes venit, Cartesius, Patritius, Ramus: neque enim ego ullius Philosophi sum, vel Mastix, vel Martyr, vel Momus, vel Mimus: alia Meletemata, sunt fixa, certis & materiis, & disciplinis, & Authoribus, alligata: qualia exhibemus alio volumine, in Disputationibus, Physicis, Ethicis, Logicis, notisq; ad duas Priores propriis; ubi ex Aristotele & Scholasticis receptisque pasim hodie Philosophis omnia geruntur: in prioribus, extitimus diffusiores: in posterioribus, agimus contractius: in illis ex animi Philosophamur sententia: in hisce non item, sed ad placita & sensum Aristotelis & Peripateticorum: ita enim jubet in Nostrâ, & omnibus fere Academiis, trium litterarum Tyrannus Mos. Ceterum, nec otium, nec tempus corrigendi errata Typographica, nobis permiserunt, tot, quibus distrahibimur, occupationes: quare, net ipse hanc operam sumas, Lector Amice, rogat,

A. H E E R E B O O R D,

Philosophiae Professor Ordinarius.

ADRIA-

## ADRIANI HEEREBOORD,

AD

*Nobiliss. Ampliss. Spectatiss. Dominos, Acad. Lngd. Batav.*

## CVRATORES EPISTOLA.

*Nobiliss. Ampliss. Spectatiss. Domini :*

**E**PTENNIMUM est præter propter ; quod Philosophia Professionem in Academia vestra sustineo. Toto illo temporis tractu , nihil prius habui aut antiquius , quam ut Spar-

tam , quam essem natus , sedulo ornarem , & talentum mihi commissum fænori diligenter exponerem. Cum provincia hæc primum humeris impuneretur meis , sic satis neglecta jacebant ( liceat apud vos profiteri quod res est ) Philosophia studia , & vix exulta. Et varius disputabatur & inordinatus. Nescio , quo infelici fato , fluere retro , & ab aliquo temporis intervallo relabi cœpissent res Philosophice. Ulra annum privatus hic vixeram , & Philosophiae relapsum , ac ruinam , fere imminente deprehenderam. Quod , cum vocarer , trepidanti jam animo majorem incusit metum. Noveram atatem , adhuc juvenilem. Noveram vires , & curtam domi meæ supellestrem. Noveram oneris suscipiundi , & obistum Philosophiae statum , tunc durioris , gravitatem. Noveram longe esse difficilium , jam labentes & ruinam minitantes ædes restaurare , quam bene positas , suo loci servare. Nolebam tamen deesse Academia & Vrbi Patriæ operam meam petenti. Sciebam non mihi , sed altis me natum. Quare grandi animo , & solius Iesu Christi Servatoris mei ( quo duce nihil desperandum ) invixus auxilio , atque multorum jam comperta fructus benevolentia , publice Professi munus aggressus sum fui. Cogitarvi statim apud me , quo modo & medio vita ac vigori restituenda foret jam languescens Philosophia. Cognitiones meas , Professioni initiandus , in augustinissimo Doctissimorum virorum congressu , publice exposui : & , cum verba ex more recepto , de

argumento aliquo , auspicianti mihi essent facienda , De variâ , vario tempore , & variis usitatâ , ac verâ tandem Philosophandi ratione , verba feci. Orationem tunc habitam publicæ luci nunquam exposui : ejus summam nunc scito.

**P**Hilosophia à condito fere orbe , orbis fuit : ita per universum terrarum orbem vagata est , ac Solis instar , lucis sue radios quaeverunt dispersit. Renascente enim mundo , à tribus Noachi filiis ac posteris , diversis temporū intervallis diffusa est in Ebraeos , Chaldeos , Phœnices , Ægyptios , Æthiopas , Indos , Persas , Gallos , Celtas , Græcos , & quicquid alibi mortalium fuit. Universa vero , tum Ebreorum , tum profana Gentium alias , Philosophia , Barbarica Græcis dicitur , quod extra Græciam nata fit atque exulta ; ex Chaldeorum tamen , Phœnicum , atque Ægyptiorum sapientia , Græcorum omnis hausta est ac prognata : quicquid enim isti possederunt ex Ebreorum scholis petierunt , ac multis superstitionibus & erroribus defecdarunt , & ex sordidatis hisce lacunis Græci rivos suos derivarunt : ad quos cum , maximis laboribus , variis itineribus , diversis coloniis translata est Philosophia atque tradueta , in partes statim abiit divisa ac seftas.

Non est mihi animus , omnes Philosophorum inter Græcos familias perpetrate : quæ maxime insignes sunt habitæ , duæ extiterunt , Ionica & Italica. Italica sectæ princeps ac caput fuit Pythagoras Samius , qui postquam Samus patria à Polycrate Tyranno effet occupata , in Italia patrem istam concepsit , quæ quod maxime Græcorum coloniis effet frequentata , magnæ olim Cræciz , nunc Calabria tenet nomen , ac Philosophiam ibi docuit.

\*

Altera

Altera Græcorum in *Philosophia* cœgroris, Iōnica fuit appellata, quod in Iōnia versarentur ejus Philosophia Professores: familiam hic ducit Thales Milesius, è septem Græciæ sapientibus unus, cui successit Anaximander, huic Anaximenes, huic Anaxagoras Clazomenius, quem audivit Archelaus, qui primus ex Iōnia Philosophiam transtulit Athenias: hic Socrate gloriatur discipulo: de quo oraculo fuit pronunciatum. Αὐτῷ δὲ παῖς των Σωκράτους οὐ πώνεται. Ex Socratis schola ceu ex equo Trojano innumeris prodire Philosophi; inter eos nominis haud postremi, Aristippus sectæ Cynicæ ac Stoicæ Plato veteris ac novæ Academiæ, fundatores primi. Platonis in Academia adhæsit atque in docenda Philosophia successit Speusippus, ex forore nepos; secessionem fecit Aristoteles, qui reliqua Academia Peripateticum instituit, ac Peripatetica nomen dedit Philosophia, quod in Lyceo deambulando doceret: εἰδὼν enim σεκτάτης doctrinas secretiores ac graviores, δειλινὰ leviores tradebat. Ab hoc Peripateticorum Authore, principe, duce, Peripatetica Philosophia ortum ac nomen ducit, quæ varia serie, inter Græcos, Arabes, Latinos, ad nostram usque ætatem propagata est, tanto successu, ut nulla hodie, quod sciam, extet Academia, in qua non teneat primas, ac vel sola doceatur; quo jure, quave injuria, nunc non est dicendi locus.

Aristoteles Socratem per triennium, Platonem per totos unum & viginti annos, diligenter audivit; in Philosophando hanc ingressus est viam, ut quavis de re contrarias in partes differeret, Socratem ac Platonem magni, Veritatem pluris faceret, in quam diligentissime, explorata rerum natura, inquisivit.

Potest Aristotelem varia exstitit Philosophandi ratio, prius modo, modo impurior, interdum liberior, sèpius astrictior, ad mentem & placita, non Naturæ, sed & σοφίας. Quam semitam in Philosophando tenuit Aristoteles, pauci sunt secuti; ac malus quidam genius, ita ferre mentes omnium cepisti videatur; ut id pensi tantum habuerint, Aristotelem intelligere, non naturam.

Duo fere sunt Philosophandi genera; unum, quo ad rerum omnium notitiam pertendunt

mortales, alterum, quo non ad Naturæ sed Hominis cujuspiam opinionem philosophantur. Aristoteles ipsam rerum Naturam laudabiliter conatu invasit, ac liberri me, si quid à priori seculi Hominibus in ex ploranda ea atque observanda fuisse erratum, reprehendit atque correxit. Pressit hujus vestigia haud degener discipulus, atque ēπειπτός successor Theophrastus, qui, quod præceptor in Animarium historia indaganda, idem in Plantarum natura scrutanda, tollerti præstut diligentia: atque ut Aristotelem, majorum, vel reverentia, vel scientia, vel authoritas, nihil deterruit, quo minus ab illorum sententia sèpius discesserit, ita nec Theophrastus sibi vetitum putavit, diversum sentire à Præceptore; sed quo jure in alios Aristoteles, hic in Aristotelem est usus. Si quid Præceptor falsum, aut rerum Nature contrarium docuisset, correxit: si quid prætermisum, supplevit. Etenim verissime putavit, solis Naturæ legibus, non Præceptoris opinionibus, mentis suæ contemplationes obstringi. Hunc prædecessorem, Aristotelis ac Theophrasti, in Philosophando libertatem, & in adornanda rerum Naturalium Historia industriam amplexatus est atque secutus, tertius in schola Peripatetica, Stratô Lampacensis, qui, quod tam strenue in Natura contemplanda operam suam locaret, Physici nomen est adeptus, magnus omnino vir & in multis novus, ita testante Cicerone l. 5. de finibus. Extat ejus liber de Coloribus, item alter de Spiritu, tot annos inter Aristotelicos circumlati.

Atque utinam horum in Peripatetica Philosophia triumvirorum trami tem calcassent, sequentis, ac sequioris avi, Philosophi: verum purior illa ac liberior Philosophandi ratio in Stratone desit atque expiravit. Qui enim Stratonom ex ordine secutus est Lycon, ac quadraginta quatuor annos τῆς πειπτός præfuit, Fabulis Philosophiam permiscuit; reliqui omnes, Aristi, Critolaus, Diodorus, & quatuor alii, quorum nomina temporum iuriaria obscuravit, ad Andronicum usque Rhodium, ab Aristotele undecimum, tam longe à genuina ac Peripateticis primis recepta confuetudine Philosophandi recesserunt, ut non ex Peripateticis, sed aut aliunde, aut ex se nati τῆς πειπτός abor-

abortientes foetus videantur. *Andronicus* vero *Rhodius* Peripateticus *nāt' iōxlo* est dictus, quod primus *Aristotelis* ac *Theophrasti* libros promulgari, paraphrasi ac commentariis nonnullos illustravit: Philosophiam Peripateticam restauravit.

*Ex illo fluere & retro sublapsa referri*  
*Philosophia* coepit. Ab hoc tempore, valedictum est *Naturæ*, atque à *Peripateticis* in solo habitatum *Aristotele*; & *Philosophi* sunt ab illo tempore dicti, non qui rerum naturam sed qui mentem indagabant *Aristotelis*. Dicere ausim, *Peripateticorum* scholam à *Stratonis Lampaceni* tempore, anno ante natum *Christum* ducentesimo & septuagesimo, tot jam labentibus annis ac seculis, ad nostram usque extatem *Naturæ* valedixisse, *Aristotelis* soli adhäsisse; cuius quippe Doctores, non ex rerum veritate, sed ex *Aristotelis* *xvgias* *dgias* sunt *Philosophati*.

Duum tamen sunt generum, qui post *Andronicum Rhodium* in *Aristotelis* opinionibus scrutandis, sequendis ac persequendis, sunt versati: *Andronicus* ipse atque illius tempestatis Peripatetici, ab *Augusti Cesario* imperio, ad *Alexandrum* usque *Aphrodisensem*, qui post annum *Christi* vixit ducentesimum, ingenium adhuc aliquod ad judicium in *Philosophando* servarunt liberum, nec ita *Aristoteli* se manciparunt, ut eum deserere scelus existimarent ac piaculum: ita ipsi *Andronico*, *Eudoxo*, *Athenodoro*, *Chenarcho*, aliisque, dissentire interdum, religio non fuit. At *Alexander Aphrodisensis*, *Aphrodisiade*, *Cariae* oppido, oriundus, primus se totum *Aristoteli* tradidit, nihil sibi, nihil cuiquam, omnium soli credidit *Aristoteli*, in ejus verba juravit, ab ejus dictatis ne latum quidem unguem discessit, dubitandi libertatem sibi, aliique, nedum judicandi potestatem, quantum potuit, omnem, sublatum ivit. *Alexandrum* fecutus est *Ammonius Alexanderinus*, cognomento *Saccus*, quod ex bajulo evasisset *Philosophus*, ac tantus, ut parvum vix ac ne vix quidem habuerit, inter *Aristotelis* nimirum fervos: Eadem hic, qua *Alexander*, servili reverentia *Aristotelis*, occupatum gessit animum, atque ita *Graecorum* interpretum, qui secuti sunt, omnium, *Porphyrii*,

*Anatolis*, *Olympiodori*, *Syriani*, *Themistii*, *Ammonii*, *Hermi*, *Philoponi*, *Simplicii*, aliorumque oculos, perstrinxit *Aristotelis* authoritas, fascinavit, occurravit, ut in eo enucleando ac defensitando immorati fere sint atque immortui; missa rerum *Natura*, *Philosophiae* sola proma condita.

Atque hæc fuit insana philosophandi ratio, *Græcis* ad annum *Christi* circiter sexcentesimum usurpata, quo tempore, altum, diuturnum, ac tantum non perpetuum *Philosophiae* quoddam silentium est fecutum inter eos: muta jacuerunt diu studia ac Gymnasia, ut totis trecentis annis nullius inter *Græcos Philosophi* nomen reperiri detur, nisi unius *Iohannis Damasceni*, qui eodem, quo reliqui, vefano *Aristotelis*, amore dicam an furore, corruptus, breviora tantum quedam *Philosophiae* consuit ac reliquit.

Tam pessimo ac tristissimo apud *Græcos* statu fuit tum temporis constituta *Philosophia*, quod sub *Constante Heraclii* nepote, circa annum sexcentesimum quinquagesimum octavum, littorales *Græcia* civitates atque insulas omnes classibus invadere ceperint *Arabes*, qui ter universam *Græciam* ad *Byzantium* usque sunt depopulati, annis, (si *Historicis* fides) sexcentesimo quinquagesimo nono, septingentesimo vigesimo primo, octingentesimo vigesimo octavo, quibus incursionibus omnis generis libros absportarunt, ac studia omnia ad se traduxerunt. Floruerunt maxime apud eos studia *Medicinae* ac *Philosophiae*, quæ una cum eorum imperio circa annum septingentesimum quadragesimum primum in *Hispaniam* quoque transfretarunt, ac *Corduba* sedem posuerunt; qua urbe natus fuit *Averroës*, qui à principe suo *Miramolino* accersitus ad radices montis *Atlantis* in *Marochieniæ Academia* *Philosophiam* est professus.

Postquam ad *Arabes* à *Græciis* migravit *Philosophia*, pari modo in *Aristotle* substituit, & ejus placitis conclusa cancellos istos effringere, aut *Natura* sacraria ingredi, non sustinuit. *Averroës* *Philosophorum* inter eos princeps magni *Commentatoris* nomine superbus, (quem, si per *Latinæ* lingue liceret genium, *Commentorem* aut *Commentitorem* verius

quis dixerit, tot nobis commenta reliquit) singula Aristotelis verba divina esse oracula, arbitratus est, nihil in eo falso, nihil mancum, nihil superfluum, ac mille jam & quingentos præteriisse annos, ex quo scripsit *Aristoteles*, nec unquam ullum in ejus libris inventum errorem, exclamavit.

Ex Hispania commercio & vicinitate Nationum finitimarum Philosophia studia post annum millesimum ac ducentesimum transferunt ad Latini nominis homines: ante haec enim tempora, totis septingentis annis, variis motus Italianam, Galliam, Germaniam, concusserant, creberimis Gothorum ac Vandalorum in Occidentem irruptionibus, unde aliis potius studii litatum fuit quam Philosophia.

Postquam Boethium, Peripateticum excellensimum, virum consularem, è medio fustulisset, anno Christi quingentesimo vigesimo secundo, immanis Theodorici Gothorum Regis crudelitas, intercidit atque sublata quoque est Philosophia Peripatetica, atque omnis fere in Italia eruditio. Barbaries eam tota invasit atque occupavit, artesque bonas & Philosophiam finibus expulit atque exegit:

Secuta est profundissima ac deploranda rerum omnium infacia, quæ Imperatorem movit Fridericum (nisi fallor) Secundum, ut legatos mitteret ad Arabes, qui avitas artes ac Philosophia studium in Italiam, sedem antiquam, remitterent, ac postliminio restituerent. Advectos ergo ex Hispania Aristotelis atq; Averrois libros, ambabus, quod ajunt, ulnis amplexati, letissime exceperunt Itali. Enata sunt tum ingenia non contempnenda, quæ hoc Aristotelica servitutis jugum excutere potuissent, nisi tam infelici vixissent seculo, quod, non crassissima tantum ignorantia, sed bonorum authorum maxima laborabat inopia, ut præter Aristolem atque Averroem, barbare atque ineptissime traductos, vix quicquam extaret. Ita tempestate quasi delati, ad utrumque hunc, tanquam ad laxum aliquod, adhædere, ac Philosophi fuere & Peripatetici, qui negligenterum rerum natura, non Aristotelis folium, sed Averrois insuper decreta, mordicus tuerentur.

Fuit haec Philosophandi ratio invenita in

Italianam, Galliam, Germaniam, Angliam, ac recepta Averrois hypothesi, universa Philosophia laus ac salus, in sensu Aristotelis percipiundo, fuit constituta.

Ad hanc insaniam alia accessit stoliditas, aut, ut verius loquar, stolida impietas. Aristoteles non in suo foro, sed & in alieno quoque, ut sententiam diceret, admissus est atque auditus, nec Naturæ tantum in Philosophia, sed & Deo prelates est in Theologia. Exorti sunt homines umbratici, ac verè Scholastici, & otiosi, qui Philosophiam cum Theologia confuderunt, ex Philosophia inutiles ac frivolas quaestiones veluti ex aqua spumam elicuerunt, & in Theogiam intriverunt, ac genus quoddam Philosophiae pepererunt monstrosum ac monasticum, quod odiosis ac otiosis argutis omnina deformavit, religionemque ad Philosophorum placita flexit, genus sermonis squalidum ac coenofum progenuit, veritatem labyrinthis inextricabilibus involvit. Homines scilicet vani ac turbidi, ut prepostero ac detestando ritu aliis ingenii acumen ostentarent, questionum noxiis subtilitatibus Philosophiam implerunt, Theogiam contaminarunt.

De grege hoc Philosophorum, primi fueri, Alexander de Alez, Anglus, Doctor vulgo irrefragabilis, Albertus Magnus, Germanus, Episcopus Ratisbonensis, Thomas Aquinas, Italus, in cuius, Doctoris, non mortalibus, sed Angelici, summa Theologica, pari ambulant passu Aristoteles, & Deus, aut, quod Doctoribus tam illuminatis, Seraphicis, ac Cherubicis est indignissimum, à tergo longe sequitur non passibus æquis, Dominum Aristolem, Dominum Iraelis.

O impiam Philosophandi rationem! quam eandem tenerunt Summiſta ac Sententiarii reliqui, Ioh. Scotus, Doctor subtilis, perpetuus Thomæ impugnator, Alanus de Insulis, Doctor universalis, Guilielmus Occam, subtilitatis Lima, Gabriel Biel, Robertus Holcot, Bokot, Trikot, atque istius furfuris plures, quorum ipsa fere nomina barbariem praeseunt, & horrorem incidunt.

Hi nobis Philosophiam istam reliquere tot nughis scatentem, tot spinis pungentem, tot erroribus nocentem: Hi nobis viam stravere, perse-

# D E D I C A T O R I A.

pervenienti in notitiam non rerum, sed reabilitum, non fornarum, sed formalitatum, non actuū aut potentiarum, sed actualitatum ac potentialitatum. Hi nobis tot quidditates, entitates, haecceitates vel esseccitates, &c, quæ non verborum monstra, nihil rerum significantia, procudere, quibus speciofissimam Philosophiæ ac Theologie faciem turpiter dehonestarunt: Hi nobis tantam quæstionum ineptissimarum atque impiarum farraginem produxere, ex quibus, plus boni, si nescias, plus mali, si scias, ad te redditum fit. Sed Chimæras illi venati sunt, ac dubia moverunt, ne ingeniosi non viderentur, de iis quoque qua non sunt.

Fuerunt media seculi istius inficiet barbarie, qui se *Reales*, alii *Nominales*, dici voluerunt: verum, *Reales* si quæras inter eos, laterna tibi opus sit *Diogenes*, &c, qui sunt, invenias nullos. *Nominales* ad unum sunt omnes ac *Verbales* Philosophi: ita in verbis ac nominibus, in  $\lambda\epsilon\sigma\tau\alpha$  ac terminis nudis, universa illorum constituit Philosophia.

Verum enimvero excitata sunt, tenebricissima ista nocte, præclara aliquot ingenia, quæ Herculeo ausu, barbarismis primum atque ineptis loquendi formulis, mox horridis atque insipidis sententias, sese opposuere. Postquam enim nihil reliquisset intemeratum barbaries, ac rancidæ disputatioruncæ extremum fastigium atque *āpulu* essent natæ, cœpit, deterris nonnihil ævi infelicitis sorribus, lacertos movere Philosophia ac sensim reviviscere & revirescere.

Densissimis ipsis tenebris nova lux assulfit, *dudisq; Dame Aligerio & Francisco Petrarcha*, primis Philosophiæ, bonarum attum, & omnis eruditonis restauratoribus, quorum posterior liberlime invectus est in insultum sui seculi Philosophiam, ut elegantissimum ejus *De ignorantia sui & aliorum libellum legenti* fit palam. Praeterea hæc ejus fuit vox, cum inter alia ita exclamare est ausus: *Hæc vera est Philosophia, non quæ fallacibus aliis attollitur, & steriliū disputationum ventosa jactantia per inane circumvolvitur, sed quæ certius & modestis gradibus compendio ad rerum ac Dei notitiam perducit.*

Verum renata est ac revixit potissimum

quæ tetra barbarie foedata jacuerat atque oppressa *Philosophia*, per *Grecos* ex *Constantinopolitanæ* direptione exulet. Quorum præcipui fuerunt, *Emmanuel Chrysoloras* *Byzantinus*, *Theodorus Gaza* *Thestalonicensis*, *Georgius Trapezuntius*, *Iohannes Angyropulus*, *Bessarion* *Cardinalis Nicenus* ac Patriarcha *Constantinopolitanus*, aliqui quibus *Aristotelem* aliosque ex *Graeco* in *Latinum* transfusos debemus.

Verum posteriori seculo plenus in orbem dispersa fuit renascens & ex caligine emergentis *Philosophiæ* lux, cum politissimus *Polygonianus* & *Capucinus Barbarus*, & rexi istius *Phœnix* *Ioh. Pius Mirandula*, lucidissima fulserunt sydera.

Impertiit Germaniam hoc lumine primus *Rodolphus Agricola*, æternum Belgii decus, qui acrius quedam, adversus receptum *Philosophandi* modum, Socratica dixit libertate.

Exinde plures purgando Augiæ iti stabulo manus auxiliares admovere: præ ceteris, *Hollandia* nostræ ac totius *Orbis* miraculum, *Desiderius Erasmus*, *Martinus Lutherus*, *Philipus Melanchthon*, primi apud nos religionis simul & Philosophiæ restauratores.

Evidem cum admirandum reformatæ religionis opus, ab iis tentatum, ab aliis promotum, initium id, singulari divini numinis providentia, à reformanda Philosophia sumissæ conperio. Quoties Magni *Lutheri* epistolas illas, ante reformationem plene suscepimus, ex monasterio anno supra millesimum quingentesimo decimo sexto, septimo, & octavo, ad socios datas, lectito, toties in perditam sui seculi Philosophiam atque ingeniorum profanam seductionem invehi video.

Voluit nimur Deus ex hac luce lucem oriri Euangeli suo: *Phosphorus* fuit Philosophia, ac diem reddidit Theologie.

Audite quæso, quam libero ad *Iadocum Isen-nacensem* calamo, Cucullatus adhuc monachus sub *Papa* & *Aristotele Clavigeris*, per-scribat *Lutherus*. Ego, ait, simpliciter credo, fieri non posse, ut Ecclesia reformateret, nisi funditus scholastica Theologia, Philosophia, Logica, ut nunc habentur, & eradicentur, & alia studia instituantur. Et ad *Georgium Spalatinum*: Observavi, inquit, doctrinas & regulas Scholasticae

*Philosophiae, & dedita opera juxta illas volui  
tractare sacras litteras, & (perdat me Deus, si  
memor) horru, plusquam à Tartari confusione:  
ibi vidi quid praeferent illa studia: nihil utilita-  
tis, totum vere nocentiae pelagus inveni.*

Intravit Academiarum apud reformatos li-  
men Religis purior, impurior tamen reman-  
fit *Philosophia*, quando subtilitatibus vanis,  
omni usū carentibus, etiamnum perstrepunt  
auditoria, quando hæc etiamnum intempe-  
ries *Philosophiam* agit, ut verbis tantum flu-  
deatur non rebus. Recepti sunt *Pontificiorum*  
in *Philosophia libri*, ex quibus Philosophari  
consuevit juventus: præter *Eustachios*, *Raco-*  
*nes*, *Toletos*, *Porrius*, *Mendotas*, *Suarezios*, *Fon-*  
*secas*, *Conimbricenses*, *Complutenses*, *Lovanien-*  
*ses*, *Colonienses*, *Mexicanos*, *Monachos* omnes  
ac *Iesuitas*, nullos novit: aliorum inaudita  
sunt nomina; aut, si nota, nullius pretii, ac sub  
pedibus jacent.

At vero, homines illi patres suos *Scholasti-*  
*cos Philosophie* veræ corruptores optime refe-  
runt, *Philosophiam* corruptam fervant ac tra-  
dunt: isti ipi subtilia tantum seellantur, non  
utilia, subtilissimi Cymini sectores: isti ipi  
*Pape* &que *Aristoteli* facti sunt dedititii: isti  
ipi doctores, aut *Thomistici* aut *Scotifici*, cre-  
duli & tenebricosi, tenebras retinent *Philoso-*  
*phie*, ut easdem inducant iterum in *Theolo-*  
*giam*.

Excutiamus tandem pulverem ex oculis  
nostris, nec in uno hæreamus *Aristotele*, non  
*Aristotelis* tantum sed *Naturæ* scholam ingre-  
diamur, non *Aristotelis* tantum sed *Naturæ*  
codicem aperiamus, non illius tantum sed  
hujus præserit folia evolvamus, &c., ut uno  
verbo veram Philosophandi rationem ob-  
oculos ponam, ipsam rerum *Naturam* adoriam-  
ur, istic causas inquiramus, inventas obser-  
vemus, observatas aliis experiens probe-  
mus, probatas ad vitæ humanae usum refera-  
mus atque applicemus, & sic in *Natura*, natu-  
ra opificem, potentissimum, sapientissimum,  
optimum, miremur, cognoscamus, celebre-  
mus.

Parturiunt hujus seculi nobilissima aliquot  
ingenia, unde rerum ac mentis commercium,  
cui in terris non est simile, in integrum repo-

ni, ac vera *Philosophia*, quæ ut Astræa altera  
terræ reliquit, in terras reduci possit: juvetur  
modo foetus benigna obstetricantium ma-  
nu, &c.

Hec summa est eorum, que pro oratione  
inaugurali die 9. Feb. 1641. in Ampliss. Vi-  
rorum & Spectatiss. Studiosorum frequentissi-  
ma differui corona. Quæ Nob. Viris, D.  
CORNELIO vander MYLE, & D. JACOBO CATSIO, Academæ pro illo tempore  
Curatoribus, non displicuisse, mihi tum fuit  
compertum. Post tres inde septimanæ laboris au-  
spicia facturus, ne æræ & coquæ ad munus su-  
ceptum accedere viderer, quia inter *Philosophia*  
partes Logica esset demandata, de ejus feliciter  
excolenda modo, liberè ac candide novum in-  
stitui sermonem, lectionibusq; publicis præmisi.  
Quæ tum dixi, in compendium contracta hec  
sunt summatim: Logicam nec disci feliciter,  
nec doceri, si tota in questiones, verborum  
contentiones, rixas ac disputationes, abeat  
atque immutetur. Usum solum, usum, pro  
fine ac scopo habendum: ad eum omnia dif-  
ficieni, omnia docenti, esse referenda. Usum  
Logicæ conjunctum, Logicæ diem esse: usum  
à Logica disjunctum, Logicæ noctem esse.  
Non de Logicâ disputando, sed exercendo,  
sed intelligendo, sed de rebus ipsis cogitando,  
juxta leges ac regulas à Logicâ præscriptas, nos  
Logicos reddi. Logicæ exercitationis dignita-  
tem & utilitatem esse maximam, sed non mi-  
norem difficultatem. Eam pro virili à me fore  
tollendam publicâ privatâq; institutione.  
Privatum systemati, ex Ill. Ord. Authoritate  
& decreto in scholas hujus Provinciæ investo,  
immorandum atque insitendum, atque id è  
re videri Studioforum. Publice res Logicas,  
continuo orationis filo, juxta Aristotelis do-  
ctrinam, me prosequuturum. Rationes esse  
(que tum prolatæ fuerunt) cur Aristotelis Or-  
gano γρατι ποδας enarrando immorari non  
esset consultum. Non defutaram sedulitatem  
& in docendo fidelitatem, &c.

Ita, per Dei gratiam, Lectionum Logicarum  
telam exorsus, eam, intra anni currentis spatiū,  
pertexendam promisi, ac promisso fleti. Dum in  
eo sum totus, ut industriam meam omnibus pro-  
bem, accidit quippiam, quo institutum fere meum  
fuisset

E P I S T O L A .

7

faisset interruptum. Primo illo Professionis meæ anno, ipso diebus Canicularibus, vocat me ad aedes suas, pro illo tempore Magnificus Academiae Rector, D. OTTO HEURNIUS. Siffo me ad diem præscriptum. Offero præsentes cum Rector, ex Theologis unum, ex Iureconsultis alterum, ex Philosophiæ & bonarum artium ac linguarum Professoribus tertium, cum Secretario, & D. DU BAN, pia memoria. Indicti conventus finis significatur, & recitatur ex scheda aliquod Nob. D. Curatorum mandatum ac decreum. Agitandum erat consilium & disciplicendum, quomodo ad maximum usum & Studiosorum Commodum, ac brevissimo temporis spatio, juventuti Academicæ instillari posset Philosophia Aristotelis, quomodo in eum finem lectiones Philosophicæ commodissime possent institui, secundum textum Aristotelis: nam hoc postremum disertis verbis à Rectori Magnif. fuit additum: ad textum, puta, Aristotelis esse habendas lectiones: quid tamen memineram in scheda lecta contineri: sed, hanc esse mentem D. D. Curatorum, dixit sibi constare Rector. Rogamus sententiam ego ac D. DU BAN & maxiprs, qui ea dixit, que in mentem tum ipsi inciderunt. Ego dixi, non me videre, qua ratione brevissimo temporis spatio, ad maximam Studiosorum utilitatem, Logica doceri publice queat, & D. D. Curatorum petitioni satisficeri, si constringar ipsius Aristotelis textum verbo tenus explicare: longe facilius & felicius me id præstitorum utrumque, si liberam & non Aristotelico textui adfrictam servem docendi rationem. Regessis Rector, hoc ceu fundementum sterni ac ponì à Nobiliss D. Curatoribus; Aristotelis textum esse prælegendum: de duabus punctis reliquis ex scheda prælectis, ut ego ac D. DU BAN cogitaremus, ac consilium, scripto consignatum, huic conventui postea exhiberemus, petitum fuit ac mandatum. Itanos dimissi sumus reliquis manentibus: Circa vesperam petii mihi copiam fieri à Rectori Mandati Nobiliss. D. Curatorum quo constaret mihi de eorum mente, an hoc velint expresse, textum prælegi Aristotelis: neque enim memineram hoc ex scheda præleatum. Rector copiam facere negavit, & utcumque non esset scheda expressionis, hanc tamen esse D. Curatorum men-

tem, sibi significatum, respondit. Ego postridie Hagan me conferre ad Ampliss. D. Syndicum Nobiliss. D. Curatoribus à Secretis. Peto humanissime, ut liceat videre Nobiliss. D. Curatorum Mandatum ac decretum, cuius copia fuisset denegata, ne quid imprudenter contra id agerem. Ille pro sua humanitate tantum mihi gratificatus est. Cum video, deprehendo ipsum Rectorem sibi petiisse à Nobiliss. D. Curatorum auctoritatem de lectionibus Philosophicis, brevissimo temporis spatio ad usum maximum instituendis, consilia capienda, cum Professoribus Philosophis, reliquisque, quos ipse machinationis sua & consiliis socios adscriverat; negligens, contra Academia statuta, Assessoribus suis, cum quibus communicanda fuerant consilia. Deprehendo, nec illum, nec istos esse constitutos, in me & D. DU BAN judices aut arbitros, ut eorum acta ac dicta innuebant. Deprehendo Nobiliss. D. Curatorum præscriptionem hæc duo tantum continere, ut de brevissimo temporis spatio, & de maximo Studiosorum commodo, in lectionibue Philosophicis habendis, dispiceretur. In chartam conjicio, quibus rationibus utrumque illud obtineri posse censeo, & postridie conventui Rectoris & sciorum exhibeo, iijdem verbis, quibus eas hic siste.

**Q** uandoquidem placuit Nobil. Ampliss. D. Curatoribus, injungere Philosophiq; Professoribus, ut cum Magnific. & D. Rectori & Viris Clariss. aliis ad hoc negotium deputatis agerent de optima ratione Philosophiam, quam brevissimo fieri potest spatio ad usum & commodum D. Studiosorum, docendi, ego cogitationes meas de Logicæ curriculo feliciter instituendo, & breviter absolvendo, ex petitione Magn. D. Rectoris, libere ac libenter huic chartæ commisi.

Duplex est, non Logicam tantum, sed universam Philosophiam, docendi ratio, systematica & textualis: systematica est, quando vestigia ordinati systematis premuntur; textualis, quando textus solum tractatur Aristotelicus. Prior preferenda mihi videtur posteriori, falvo meliori iudicio.

1. Quiares Logicæ, imo qualibet, non sunt accommodandæ ad textum & verba Aristotelis,

stoteliis, sed hæc ad illas; non enim verba cū juscunque, sunt norma ac mēnsura rerum, sed contra res verborum.

II. Quia sic maxime consulitur, meo quidem iudicio, honori & Academiæ dignitati, qm D. Professorum auditoria sunt frequen-  
tissima, & lectiones sic instituuntur, ut maxi-  
ma ad D. Studiosos utilitas redeat: Atqui fre-  
quentiora sunt auditoria, & major utilitas ad  
D. Studiosos redit, si systematicam rationem  
docendi Philosophiam, ac speciatim Logi-  
cam, Professor sequatur, quam si textui Ari-  
stotelico adstringatur: Sic enim intra bien-  
nium absolvi, & ad usum accommodari, vix  
potest.

III. Quia ingenii nostri ævi, præsertim  
tyrunculis, ex schola nuper emisis, parum est  
accommodatus textus Aristotelis, sed temporibus & ingeniis vetustis magis convenient, ac  
Græcis, quibus scriptis: & præsertim inservit  
colloquii & consuetudini de re qualibet in  
utramque partem disputandi, quod ipsis in  
more positum erat, ad usum alios parum idoneus.

IV. Quia perfecte ars Logica iis libellis  
Organii non continetur, cum sint diversi tra-  
status diverso tempore editi, & plures multo  
in Logicis libri Aristotelis à Diog. Laertio  
reconfeantur; nec eo modo & ordine sint con-  
scripti, quo nunc dispositi, unde methodus ac  
cohærentia quoque est nulla.

Hicse lectionis nec Rector acquiescere nec ceteri  
D. Professores, exempla aliorum prætendere &  
consuetudinem, & multis ultra citroq; sermones  
cadere. Ego rationes mens uigere, & dicere:  
non exemplis nec consuetudine standum, sed ex  
ratione & lege agendum ac vivendum. Rector  
deum, ceteris manentibus, abire me jubet &  
D. du BAN; ac cum placebit sibi, nos revo-  
cando moneret. Offiduum labitur antequam revo-  
cemur. Vbi revocati redimus, exhibet Rector  
ordinem lectionum Philosophicarum, iuxta & ad  
textum Aristotelis instituendarum, scriptum à  
Secretario, à se & reliquo approbatum, quem  
prælegi iubet, & an subsignare velimus rogat,  
uti ipse faceret cum ceteris D. Professoribus.  
Ego, iniquam esse hanc petitionem, respondi, ni-

hilg, esse à me postulandum contra animi mei &  
conscientiae reluctantis dictamen: &, an equam  
esset, rogavi, ut illi absentibus nobis, qui, tan-  
quam Philosophie Professores, hic eramus audien-  
di in primis, ordinem talen conciperent? præser-  
tim, cum ex æquo essent conferenda consilia. Res  
dilata est in Nob. D. Curat. adventum istis fe-  
riis tum imminentem. Iis rationes ante positas  
Rectori & ceteris D. Professoribus exhibebus, ad-  
iecta sequentibus.

I. Q UOD in organo Aristotelico deficiat  
ipsius artis Logicæ definitio, partitio,  
objecti ac finis explicatio, &c. Que ad con-  
stitutionem ejus faciunt.

II. Deest tota doctrina notionum secun-  
darum & affectionum thematum simplicium,  
Causæ Causati, Totius Partis, Subjecti Ad-  
iuncti, &c.

III. Non explicatur sufficienter nec suo  
loco ratio definiendi & dividendi modus.

IV. Non explicatur doctrina utilissima  
de Syllogismo hypothetico.

V. Nihil traditur de methodo & ordine,  
de modo praxin Logican instituendi, &c.

VI. Ex xviii Capitibus Isagoge Porphy-  
riane, tantum 5 tractari possunt, reliqua  
nullius utilitatis fere sunt. In libro a Ep-  
istola posteriora capita de enunciationibus  
modaliibus nullius sunt usus: in primo prior.  
Analyt. à cap. 8. ad cap. 24. mixti Syllogismi  
tantum explicitantur, qui exigui, imo nullius  
sunt usus, &c. In libris post. Analyt. tam ope-  
rose traditur doctrina demonstrationis, ut  
anno forte opus sit ad enarrationem, si quis  
textui adstringatur. Lib. viii. Top. tam vagi  
sunt, ac res continent tam parum utiles, ut  
ipse du VALLIUS, qui Synopsis Analyticam  
Librorum Aristotelis Edit. Paris. præ-  
fixit, ab Analysi singulorum capitum ab-  
stineat, atque Interpretes alii quoque mul-  
ta ac quamplurima, si non omnia, hic transfi-  
lliant, &c. Quibus omnibus accedit stylus  
Aristotelis in organo obscurus, loca hiulca,  
exempla minus manifesta ac commoda, & ex  
Matheo petita, &c.

Post rationes hasce à Nob. D. Curatoribus  
expensas

expensas, injunctum mihi fuit, ut, quo cœpissim  
pede, pergerem, & quam in docendo ingressus  
esset viam, eandem calcarem. Quod à me fa-  
ctum est in hunc usque diem non sine insigni Stu-  
diosorum (quod absque jactantia dictum sit) com-  
modo. Eodem interim anno, die 13. Decembris,  
negotium hoc idem in pleno Academia Senatus  
fuit agitatum, sed nec tum potiri fine suo datum  
est Rectori, licet clancularis artibus id molito  
ac machinato. Ego itaque strenue in id incumbe-  
re, ut artium omnium longe nobilissimam, ortu  
divinam, utilitate inestimabilem, Logicam,  
quam brevissimo temporis spatio ad maxi-  
mum Studiosorum emolumentum, explica-  
tam darem: & fortunavis conatus nostros beni-  
gnissimis D E U S, & prosequiti sunt eos singu-  
lari favore Nob. D. Curatores, qui in affectus  
sui & benevolentie testimonionum sequenti anno  
alteram in regenda Coll. Theol. Ill. D. Ord.  
Juventute Provinciam humeris nostris imposuer-  
e. Eam non minori, quam Professionem, suscep-  
pi animo, & undiquaque dispexi, quid ad orna-  
tum faceret utriusque ac promotionem. Exper-  
tus fueram jam ab initio suscepere Professionem in  
hoc usque tempus rarissimas exitissimè in Philoso-  
phia Disputationes, & quando essent institutæ,  
& ratiæ in iis omnia geri. Querebam seruum ei  
malo remedium. Publici munerauthoritatem  
si interponerem, metuebam, ne id male cederet,  
aut succederet, quod ab annis & barba non acce-  
deret authoritas. Alea tamen erat jacienda &  
Disputationes postliminio revocanda erant, &  
disputandum alio modo. Ad primam ergo dispu-  
tationem, cum habenda esset, præstationem con-  
cepi, quâ, ut arægia omnis præveniretur, & ex  
decoro ageretur, humanissime petti ab ornatis-  
mis D. Studioſis, & impetravi. Ab anno ita-  
que Professionis mea secundo, Disputationes in  
Philosophia revixere; & frequenter, & mode-  
ste, disputari captum; ut nulla magis quam  
Philosophicae ceperint fervore Disputationes,  
quod earum exemplaria in annos singulos Nob.  
Curatoribus exhibita comprobatum dedere. In-  
dulsi Studioſis meis, nulli negandam, in dispu-  
tando, ingenii & judicii libertatem, uti ipse  
sum liberior, sub libero ac Batavo aerenatus.  
Quarum ipse Disputationum exititi author in  
iis Aristotelis principia fui secutus, quod Phy-

sicarum, Ethicarum, selectarum Disputa-  
tionum docent curricula: in Corollaris, ut vo-  
cant, & Thesibus Studiosorum proprio Marte  
& arte consellis, aliorum etiam Philosopho-  
rum placita & principia ventilari, fui passus, ut  
meum simul & illorum exerceretur ingenium,  
ac, quo ratio nos ducere valeret, palam fieret.  
Nulli hæc res fuit unquam obnoxia culpe apud  
Nobiliss. D. Curatores: nihil incommode crea-  
vit ulli Mortalium: nullam pacem turbavit aut  
animorum concordiam rupit. Testor manes tuos,  
defuncte Collega, D. D U B A N. Si quid un-  
quam existiterit risus aut contentionis me inter  
& te ob disputandi libertatem. Viximus anti-  
mo conjunctissimi, et si opinionibus in Philoso-  
phia sæpiissime disjuncti. Passus sum frui te tuo  
judicio, tu vicissim me meo. Nunquam tibi à  
me, nunquam mibi à te, lis mota, super di-  
sputatis utrimque materiis. Vixit, quamdiu  
vixisti, & viguit inter nos pax & concor-  
dia, quod & à morte, cum parentem tibi,  
sum testatus & æternum testabor. Nec ali-  
quid molestie, post defunctum anno 1643. Col-  
legam clarissimum ac charissimum, conciliavit  
cuicunque mea Philosophandi libertas dum solus  
disputavi. Ino, quam grata extiterit & pro-  
bata mea libere & Philosophandi & disputan-  
di ratio, Nobiliss. D. Curatoribus, vel inde  
liquet (rumpantur ut ilia Momis) quod me in  
ordinario suo ad 8. Februarii corventum 1647.  
ultra regaverint, an aliam insuper Philo-  
sophiae partem profiteri vellent. Ego quocunque  
in me esset vita & virium libenter me colla-  
turum respondi, si Reip. si Ecclesie, si Aca-  
demia patriæ prodeſſe, si proximi bonum promo-  
vere possim. Novum itaque Philosophiam Pra-  
eticam profitendi onus priori additur: non sub-  
trahi humeros, sed supposui, & fere hac tenus,  
De gratia adjutus, Ethicos labores à solemnni  
iterum sum auspicatus Oratione habita 27. Marti-  
tii, & liberiori stylo, quibus mediis, & è qui-  
bus Authoribus, veram ac solidam Philoso-  
phie, artiumque, quas vocant, liberalium,  
cognitionem unusquisque fit reportaturus,  
fuse sum persequutus. Inter Media primum  
affignavi locum Auditioni, atque hic ad au-  
diendas Professorum lectiones Juventutem  
Academicam serio sum hortatus, iis allatis  
rationi-  
\*\*

rationibus, quæ Auditionis necessitatem & utilitatem confirmarent. Huic subjunxi Lectionem, cuius admirandam virtutem ob oculos posui, ac, qui speciatim in Philosophia sive legendi Authors, ingenue & candide indicavi. Dispescui Philosophiam in veterem & novam. Veterem vocavi, quæ ab Aristotele potissimum est hausta, & ejus, jam ubique receptis, innititur principiis: aliorum enim veterum, Democriti, Epicuri, Anaxagoræ, &c. Philosophiae jam diu interire. Sola regnum tenet passim Aristotelis Philosophia, ab Alexandro Magno in Græcia, à Carolo Magno, in Germania, Gallia, Italia, Hispania, Belgio, autoritatem nata. Novam dixi, quæ à recentioribus tradita, non ex Aristotele aut alio haustis principiis innititur, sed naturam ipsam pro objecto habet, rationi soli innixa, non ullius hominis autoritati. Qui veterem tradidere Philosophiam, vel textuales feci Philosophos, qui Aristotelis de Philosophia textus sunt interpretati, vel systematicos, qui philosophia Aristotelica dogmata certis preceptis & systematicis inclusere, vel Controvertentes, quos Questionarios vocant, qui ex Aristotele questiones elicuerunt, non aliter sepe quam ex pumice aquam, aut ab aliis motas magna verborum profusio & longo sermone retrahuntur.

Ex hisce trium generum Philosophis Aristotelicis, quos probarem, inter Græcos, Arabes, Latinos, sigillatim designavi ac delineavi. Inter novæ Philosophie Authors & cultores quodam, antiquorum principia destruere, quodam solidiora adstruere, significavi, & utroq; legendos commendavi. Sustuli hoc multorum mentibus insitum prejudicium, ab horum lectione Philosophorum abstinentum esse, quod novi audiant: omnis quippe veritas, cum inventa est primum, nova fuit. Recensui hic Philosophiae novæ Triumviro, Vallam, Agricolam, Vivem. Recensui, odiosum illud multis, multis pretiosum caput ac nomen, Petrum Ramum. Recensui Picum, Telefium, Patritium, Campanellam, Verulamium, Cartesium, renaescens & denuo exorientia verum Phosphorum, qui arcana Naturæ non pauca reclusit, Philosophia clavem exhibuit, viam ad rerum immotam veritatem perveniendi aperuit. Lectioni adjunquam precepi Meditationem, sine qua Aut-

ditionis & Lectionis nulla est utilitas. Denique subjunxi hisce tribus Philosophandi modis ac mediis, Disputandi exercitium, quod quantum in Philosophia notitia acquirenda valeret, experientiam testem advocavi, & ut mecum decurrere pergerent nostri Philosophi Studiosi, instituta disputationum curricula, pedem pedi, dextram dextræ jungendo, fideliter admonui. Hec summa sunt Orationis tum pronuntiatae capita.

Ab illo tempore Ethicas Lectiones Logicas alterno adjunxi biduo: & consuetum mihi Philosophicè disputandi secutus sum modum. Sed non ita diu fuit, cum invidere Libertati meæ atque infidiari recentem & nuper tum mihi adjunctum comprehendendi Collegam. Selegeram mihi 1644. ex Metaphysicis disputandam materiam de ANGELIS, versabar in ea Disputationibus excutienda, cum novus advenit Collega, D. ADAMUS STEVARTUS. Sub cuius in Academiam nostram adventum incidit Disputationum ex Philosophia selectarum xv. de ANGELIS, cui Respondens, Juvenis doctissimus, & summae spei, si superstes in vivis extisset, D. ANDREAS DU PRE, subjunxit hæc Corollaria Metaphysica.

I. **O**MNIUM prejudgetorum eversio est necessaria ad veritatem indagandam.

II. Sine cognitione Animæ & Dei nulla datur certa Veritatis cognitio.

III. Illud omne est verum, quod clare & distincte percipimus.

IV. Causa errorum est voluntas, quæ, cum latius pateat quam intellectus, sœpe se extendit ad ea, quæ intellectus non clare percipit.

V. Neque concursus divinus, neque voluntatis necessitas, libertatem evertit; imo magis auget & corroborat.

#### Physica:

I. **O**MAS formæ materiales sunt tantum modi materiæ.

II. Cœlum est corruptibile & aëreæ naturæ.

III. Stellæ proprio motu per liquidum cœli moventur, ut aves per aërem.

IV. Elementa non transmutantur in se invicem.

Paradoxa:

I. Nullum datur argumentum inartificiale.

II. Luna minime illuminata conspicitur, cum maxime est illuminata; & nunquam minus illuminatur, quam cum est plena.

III. Duo gemelli, eodem temporis puncto nati eodemque mortui, impares posunt vivere dies.

Hec disputata fuerunt 14. Decemb. 1644. Sequuta sunt mense Jan. 1645. Disp. Select. DE ANGELIS Decimæ-sextæ ab Ornatisissimo nunc Curie Holl. Advocato, tunc Respondente, HENRICO BROUWERO, subnexa Corollaria Paradoxa:

I. Nulla datur Philosophia adeo Theoretica, quæ non sit & practica.

II. Privatio non est principium Physicum magis quam unio; sed tantum conditio sine qua non.

III. Corpora rarefacta non habent plus quantitatis quam densata.

IV. Ignis est humidus.

V. Aqua est subtilissima terra, aer subtilissima aqua, ignis subtilissimus aer, terra crassus ignis.

VI. Luna à Terra & Sole illuminatur.

VII. In homine est tantum unus sensus, non quinque.

VIII. Logica, quæ nunc viget, ad inventionem scientiarum est inutilis.

IX. Omnes syllogismi ad indagationem veritatis sunt inutiles, exceptâ inductione sola.

X. Causa finalis non est causa, nec materia, forma.

XI. Potest velle homo malum qua malum.

Hac & praecedentia Corollaria ex Keplero, Baffone, Verulamio, Campanella, Sperlingero; Cartesio, aliisque positiva, nova erant homini novo; forte & ipsa authorum nomina, ex quibus Respondentes illa petierant. Ego cum

subsecuisse non tam valentem esse novitio College stomachum, ut hæc aut similia concoquere posset corollariorum fercula, nec placere ejus palato nisi ex Aristotele allatas dapes, ipsam invisi, & theses antehac à me disputatas obtuli, ut perlegeret, & modum hic in disputando teneri solitum cognosceret, quod sane ab aliqua animi mei benevolentia fuit profectum, & ita quoq; ab ipso acceptum exceptumq;. Dixi tunc inter sermincinnandum, eum facile visurum ex thesibus; liberum hic nobis esse disputandi modum; & me eum esse, qui multum indulgerem Studiosis, in corollariorum & annexis, ut meum atq; illorum ingenium experiar, me pro & contra, ut loquuntur, seu in utramvis multa disputare partem, quod sic maxime argumentorum robur ponderetur & expendatur, ita à me factum fuisse semper, à quo professioni fuisse admotus: & potuit ex thesibus facile illud colligere, inter quas invenit Theses DE PRINCIPIIS COGNOSCENDI, Resp. WALLENDAL, contra Cartesium: & DE PRIMO, Resp. KELLENÆR, pro Cartesio: à doctissimis juvenibus, utrasq; eadem anno 1644. me Praeside disputatas. Adidic, amicitiam servari etiam ab iis, qui in omnibus non convenient Philosphicis opinioneibus; nam

Diversum sentire duos de rebus iisdem Incolumi licuit semper amicitia. Existimavi sic me defunctum partibus viri boni & boni Collegæ in peregre advenientem Collegam, & meo more modoq; sum porro Philosopheratus. Temporis delapsu, quod fueram subdoratus, clarius accepi, novum hunc Collegam multa in mea disputandiratione culpare ac praesertim libertatem: & jam, statim atq; disputare, me quoq; invadere caput: prima ejus disputatio DE VOLUNTATE fuit HUMANA, 7. Julii 1645. in qua 22. argumentis, partim Philosphicis, partim Theologicis, in sententiam meam, de voluntatis humanæ ab intellectus practici ultimo iudicio determinatione, & alias thesibus in ea, quæ de Concurso ante ejus adventum disputaveram, magno impetu irruit atq; incurrit, monentibus id me ipsummet Studiosis. Ego ista negligere, & Disp. select. 19 part. post. contra possibilem Mundi æternitatem, subnecere hoc Coroll. 15. Iuli 1645. Sententia, \*\*\* 2. quæ

quæ statuit voluntatem ab ultimo intellectus practici judicio determinari, & recte rationi & Aristotelis authoritati innitur: quare eam ab omnibus & exceptionibus & objectionibus vindicandam fulcimur.

*Audit me ad argumentum alicuius Opponentis motum adversus th. ult. istius disp. respondentem, quod Relationes non sint Accidentia Phisica, quæ inhærent, nec entia realia, sed Logica tantum, quæ denominant, &c, quod sint media quedam inter ens reale & nihil. Et hæc responso ex tempore data, quia uova erat & insueta ejus auribus, meruit excipi tredecim epimeris, quibus rationes protulit iterum, Theologicas partim, partim Philosophicas, at probandum, relations esse accidentia prædicamentalia & entia realia: in disp. de Mat. prim. mense Jan. 1645. Ego ista insuper habui, sed miratus valde hec pro novis haberique à me preferrentur, nec nova visu fuisse novo Professori sua epimeta subnexa Disp. Eth. de HABITIBUS part. prim.*

I. Potest eadem numero forma, plures matierias separatas simul informare.

II. Potest idem numero corpus in pluribus locis simul existere, idque naturaliter.

III. Merito partoris cuiujdam Independantis libellus, quo Deum peccati causam Efficientem sive authorem esse contendebat, ex Comitiorum Anglicanorum decreto, non ita pridem Carnifiscis manu, publicè exustus est.

*Hæc & similia novaturientis ingenii non sunt signa? Sed enim ego hunc D. Collegam res suas fibi habere passus sum, ac se oblectare, sive novis, sive antiquis emulgerem, neq; multum postea cum eo commercii quæsivi. Sic cogitabam: Gaudet ille sensu suo, ego meo. Verum enim vero, & aliunde infidias fruere liberati meæ, & oculis cuniculis eam subruere, alii tentarunt, quos id minime decebat: an instigante & procurante Professore Scoti id sit tentatum, Deus novit. Nam cur illud ante annum aut paulo ultra sint aggressi qui supra quinquennium & semestre eam mihi non invidenterant, causam non invenio. Cum 14. Kal. Octob. 1646. eruditissimus Iuve-*

*nis, D. PAULUS BIMAN, post publicè habitam pro gradu Magisterii Disputationem, promotus esset & ornatus jamdudum meritis titulus à Celeberr. D. JACOBO GOLIO, Collega venerando, placuit Rev. D. TRIGLANDIO, sub finem actus solemnis Senatus Academicu jam abituriensi non nihil proponere, quod tamen Rectoris erat potius Magnifici: Verum & ipse, definitius nuper D. EWALDUS SCREVELIUS, & ex ceteris D. Professoribus, si non omnes, plerique saltē, rei proponendæ juxta cum ignarissimis erant pariter ignari. Arripit D. TRIGLANDIUS ex Theſibus Pneumaticis & Metaphysicis promoti Magistri secundam, que sic sonat:*

Dubitatio indubitate Philosophiae initium est.

*Ait, voce grandi, vulnogravi, se mirari; quod tales theses & sub præsidio & sine præsidio ventilarentur: esse illas periculosas, novas, & contra Aristotelem: Viam sternere ad Scepticismum: easdem dubitationes ex Philosophia transferri in Theologiam: Studiosos dubitare sic de rebus omnibus, de se, de Deo, &c.*

*Plura ipse id genus retulit, quæ non refero (nec enim necesse est) ac petit tandem Senatus Academicu sententiam. Num ab iis abstinentiam foret? Suffragia viritim & subito à Magnif. Rectore collecta, maximam partem istuc abiēre, esse ab iis positionibus abstinentium.*

*At vero cum hoc modo imprudentiae macula iniusta esset Cl. D. GOLIO, (qui ut Candidati Promotor non debuisset permisisse illam thesin, si tantum in ea periculi latuisset) pariter ac mibi, sub eius præsidio jam 1645. mense Julio finem Disp. 19. Part. post. contra Possibilem Mundi aeternitatem, Corollarium erat defensum.*

*(Ipse dubitandi actus firmissimum indubitanter est Philosophiae principium) atque idem aut simile alias & sèpe esset repetitum, nolumus deesse existimationi tutanda: Itaque post Ottiduum cum novus iterum Magisterii candidatus honoribus iisdem esset à me decoratus, Cl. D. GOLIUS, potestate fandi accepta, rem ante Ottiduum obiter propositam resumti petit ac despici de novitate & periculo illius theses: dixit, etatem suam & annos non decere ut ita quid impru-*

imprudenter fieri permittat, quod ad tam gravia & atrocia mala, Scepticis & Atheis mūnūm viam paret, sed nihil quippiam talis periculi esse in hac thesi: quin nec novam esse, nec contra Aristotelem, quod descripto & praelecto ex Arist. l. 3. Metaph. cap. 1. text. 1. & 2. comprobavit. Addidi ego, ipsam Aristotelis in Philosophando praxim, confirmare hanc thesin: nam non est alia ipsi ratio agendi, quam dubitando ad veritatem pervenire. Vid. lib. Phys. Metaph. Problem. Quæst. Mechanic. & ubique disputatione. Adjunxi, eandem thesin defensam, modum per dubitationes Philosophandi servatum, hominibus Aegyptiorum, Alexandro Aphrodisiensi inter Grecos, Averroi inter Arabes, Thomæ & Scoto inter Latinos, & inter Recentiores ita Arist. text. explicari & eandem viam teneri, à Fonseca, Scayno, du Vallio, quorum testimonia collecta, in Disp. Metaph. ad text. cit. publico examini subiecti, 10. Nov. 1646. Et sic diffusatus est inanis de periculo & novitate metus. Cum vero post aliquam ex iustissima causa letctionum publicarum intermissionem, ad eas reverteter die 17. Ianuar. 1647. sermonem DE LIBERTATE PHILOSOPHANDI iis præmittendum judicavi, quo magnam in addiscenda Philosophia remoram & ingens obstaculum remotum volui, ignobile illud servitutis jugum, multorum cervicibus nimis injectum, sed fortiter excutiendum. Docui, renunciandum esse omnibus mentium nostrarum idolis, eradicandas esse opiniones præconceptas, tollenda omnia præjudicia, & animum ad Philosophiam esse adferendum, qualis est infantis, in quo nihil pictum est aut fictum aut scriptum actu, sed quidvis fingi, pingi, scribi in eo potest; Hanc fuisse viam tritam ac calcatam Aristoteli & præclaris semper omnium seculorum ubivis gentium ingenii, ac nostro ævo Illustri D. V E R U L A M I O in aureo opere *Instauracionis magna & de Augmentis scientiarum*, atque etiam numeri & calcaris ingenio incomparabili, veritatis ex caligine & servitute emergentis promotori unico, D. RENATO C A R T E S I O, à quo Heroë si semel didicerimus moderari ac cohibere mentis nostræ assensum ab iis de quorum veritate non certo constat, & men-

tem nostram ab omnibus præjudiciis liberare, tum demum ista animi, ista judicii, inæstimabilis libertas, reducta nobis fuerit ac restituta; tum demum præsidia & auxilia inventa fuerint errores præcavendi, veritatem erudiendi, Philosophiam ad suam libertatem & perfectionem reducendi ac restituendi, &c. Conclusi verbis & versiculis Horatii:

Quid verum, atque decens, curo, & rogo,  
& omnis in hoc sum,

Condo & compono, quæ mox deponere possim.

Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter :

Nullius addictus jurare in verba Magistri,  
Quo me cunque rapit tempesta, deferor  
Hospes.

Quæ liberius pro Philosophandi libertate à me tum fuerunt dicta, non eodem animo ab omnibus, ut fieri solet, sunt accepta, quibusdam ea approbantibus, aliis improbatius, nonnullis ringentibus: usit potissimum & mali habuit aliquos, qua inter declamandum usus fueram, Apostrophe & προφανεῖς ad RENATUM C A R T E S I U M absentem, non aliter ac si præsens præsentem compellasssem, hisce instituta verbis: Salve Philosopherum maxime, Veritatis, Philosophiae, Libertatis in Philosophando, Statutor, Affortor, Vindex. Quamvis vero iniuriam sit, alteri in dicendo verborum formulas ex genio suo præscriptas velle: quamvis istis uti orationis luminibus & sententiæ figuris, quibus vult, unicuique existat liberum, ne quid tamen supra fidem, ne quid ex affectu, infra verum, circa meritum eius viri, dixisse videar, veniam date, nonnihil fuisse de Philosopho hoc & Philosophia ipsius differenti, fortassis id sufflamabit & fuisse convitiorum plaustra, quæ in illum & illam evomunt hodie nonnulli in Thesum selectarum Libellis, Confederationibus, Vindiciis, Absterfionibus. Sin ad meliorem mentem non revocaverit, nec restituerit, istarum scriptiorum Authores, hæc oratio; spes tamen est, fore, ut minus fidei inveniant, apud istius Philosophi ignaros, & Philosophi ipsius, si non amicos, sed nec inimicos, eorum scripta: si neque hoc impetraverit, soperæ tamen fuerit consecuta premium, si mentes vestras sapientissimas, ab omni præjudiciis

prejudicio liberas, & immunes imposterum conservaverit. RENATUS DES CARTES genere ac familia nobilis, sed ingenio longe nobilior, à multis jam annis totus in id incubuit, ut methodum quandam quæstiverit & invenerit, indagandi veritatem rerum certam in Natura ac Scientiis, eaq<sup>e</sup> usus fuit, atq<sup>e</sup> utitur etiamnum, in Ratione sua ac mente dirigenda. Postquam enim vulgari scholiarum Philosophia azimuthum suum imbuisset, ac nihil hic certi, sed disputationibus & dubitationibus eam repleri universam, reprehendisset, ad Mathemata se applicuit, quod illa majorem evidentiam & certitudinem polliceri vulgo dicerentur: in hisce excolenda ita versatus est, ut nihil impervium ingenio suo invenerit: imo ad istud fastigium assurrexit, ut quedam à multis annorum milibus problemata ipse solverit, & Græcis antiquis in Geometria Algebraica palmarum præripuerit; cuius rei testes sunt pauca istæ pagellæ de Geometria conscriptæ & hic Lugduni excusæ: quin (se artifici credendum est de sua arte judicanti) narravit mibi non semel vir Celeberr. D. JACOBUS GOLIUS, Mathematum apud nos Professor, D. CARTESIUM veterum omnium ac recentiorum ingenia hic subvertisse, & id in Mathesi præstatum dedisse, quod vires ingenii humani videretur superasse, & dissolvisse quod ævolv<sup>e</sup> fuisset habitatum. Postquam vero D. DES CARTES tam feliciter versatus esset in Mathematum exercitio, num pari felicitate sibi succederet sua Methodus in aliarum Philosophia partium controversis & difficultatibus enodandis, tentare voluit: Quare resumit eas, sed alia plane & sua peculiari Methodo, quam qua ante fuerat in iis versatus. Studeat ergo eam & certitudinem & evidentiam in rebus cognoscendis tum Physicis tum Metaphysicis accipere, quam in Mathematicis demonstratioibus deprehenderat: itaq<sup>e</sup> annos aliquot indagat in res Physicas & Metaphysicas cognoscendi principia, tam immota ac solida & certa, quam sunt Mathematicarum demonstrationum: nec inquirendi laborem defraudavit eventus: quippe, quod quæstivit, invenit: & Methodi sue adminiculo, non minori, si non majori, & certitudinem & evidentiæ, cognoscere cœpit, ex principiis certissimis & evidenter, res Metaphysi-

cas & Physicas, quam Mathematicas: atque magnam vite sue partem & annorum aliquot cursum, h[oc]ce Meditationibus dedit, iis ingenium suum excoluit, mentem oblectavit: & ut tanto liberius soli sue Rationi excolendæ vacaret, vitam elegit solitariam, & loca vivendi, à turbis, ab aula, & à strepitu remotiora, quo tanto & felicius & facilius cogitationibus suis vacaret, iisq<sup>e</sup> solis se's oblectaret. Ac quamvis veritate: jam nonnullas circa rerum naturas detexisset, longe certiores, evidentes, utiliores, quam quæ hactenus in recepta essent traditæ Philosophia, atq<sup>e</sup> ante à se cognitæ, atq<sup>e</sup> sic Philosophantium ordinem ab erroribus quibusdam liberasse potuisse, ita tamen humiliter & modeste de se sensit, ut privatos ingenii sui errores quidem emendaverit, quibus infectus fuerat, nihil tamen voluerit tentare, quo, quæ in Scholis & Academiis vigeret, impugnaret atque everteret Philosophiam: hinc est, quod multo tempore presserit & Methodum suam inveniendæ veritatis & veritates inventas. Ac quamvis sibi confaret de Methodi sue certitudine & evidentiæ demonstrationum, quibus uteretur, quia tamen abibat à recepta philosophandi ratione, & homines valde proni esse solent in iis reiciendis, quæ vel non capiunt, vel capere nolant, non potuit primum eo adduci, ut patueretur cogitationes suas in lucem exire publicam. Exoratus tandem frequentissima petitione Amicorum hoc perpetuo urgentium, non esse denegandum humano generi, unde tantum boni ad illud redire valeret, emisit in lucem 1637. Gallico sermone, Discursum de Methodo, ad bene regendam rationem suam, & inveniendam veritatem scientiarum, cum triplice specimine, Dioptrices, Meteororum, Geometriæ. Nomen suum non apposuit, quia nec applausum captabat nec gloriam, & quia pertractus & coactus fere editionem permiserat; nam tegere ac premere maluisset quæ ederentur, quam alicui obtrudere quæsi & commendare. Ideoq<sup>e</sup> sic scriptis, ut nullam suam opinionem pro præcepto tradiderit, nullam alterius destruxerit, sed simplici stylo ad modum & morem Narrantis in Methodo retulit media, quibus ad evidentiam istam & certitudinem cognoscendi devenisse se sibi persuaserat, & in sue relationis fidem & comprobationem Specimina

mina ista subiecte. Et Methodus ipsa & Specimina satis loquantur ipsis in philosophando integratatem, sinceritatem, candorem, diligentiam, & quam nulli isto scripto male vel dixerit vel fecerit. In Methodo vitam & studia enarrat, peregrinationes explicat, rationem studendi & philosophandi, ante & post sibi usitatum, proponit, Methodi tandem sua regulas, quas tenebat, in veritate indagandas, rebusque omnibus cognoscendas, exponit; que omnia in exemplum trahi vertuit: sed enarranda erant, ut Methodi ejus, qua utebatur, origo & natura tanto evaderet clarior. Nihil unquam cuiquam hic praescriptis: cui Methodus placaret, usi ea potuit in rerum notitia acquirendā, sicut ipsa uetus erat Author in Meteoris & Dioptrica: cui displaceceret, potuit eam negligere: totum hoc ipsi suis degenerat: nam suis maxime erroribus corrigendis eam conscriperat; & ei porro indulgere in regundā Ratione suā, reliquo vite currentis spatio, decreverat. Postquam vero Methodus triplici comitata Specimine lucem adspexit, variè fuit habita & excepta, laudata, celebrata, uituperata, condemnata, convitiis proscissa, in admirationem raptā, prout genius esset hominum, in quorum manus incidisset. Nullib[us] diffimiliores peperit sive affectus sive effectus, quam in novitiam tum temporis & emergenti Academia, cuius duo Professores, alter Theologus, Medicus alter, in oppositas plane iverunt partes, hic Methodum & Specimina in cælum attollendo, ille in infernum usque deprimento: immo Methodo & veritatibus ac principiis per Methodum inventis, statim disputatum est tanta animorum acerbitate, ut vix potuerit magis, quibusdam Studiosorum Medico, & plurimis Theologo addictis. Postea in scripta mutua & Historicas Narrationes erupit res, & facta est omnibus notissima: nec rationibus tantum est certatum sed convitiis, & à Methodo ad Authorem ipsum transitus est factus: qui jam celebris promissio venturus Elias, audiebat ab altera factione: quin Atheismi arque Scepticimi dicam impingebant Methodi Authori, qui à Theologis stabant partibus: sed non est opus narrare, quæ nemo ignorat, cum publica hic etiam intercesserint iudicia, & publice sit invicem agatum. Efecit illud partium studium, & tam

multorum de Methodo diversa existimatio, ut ejus Author de premendis semper suis philosophematis, & ad proprii tantum ingenii cultum instituendis, sententiam mutaverit, & gravissimum Scepticismi & Atheismi crimen, nullo jure sed ex malignitate mera, sibi imputatum, cuius manifestum facere, decreverit. Eum in finem præto commisit, praefixo jam nomine, quæ obiter tantum delineaverat in Gallico scripto, suas de Philosophia tota cogitationes reliquas: & quavis ex ipsa Dissertationis Gallicæ pag. 30. & 35. de Methodo, convitia impacta potuissent retundi, diluere tamen ea ipsi placuit fusori scriptione: quem in finem Anno 1641. edidit sex Meditationes de prima Philosophia, Meditationum titulo vere insignitas: crebris & repetitis quippe meditationibus Meditationes iste sunt subigenda, antequam de iis judicium pronuntietur. Subsecuta sunt 1644. Principia Philosophiae cum Methodo & Speciminiis in Latiū transfiguris. In Meditationibus juxta suā ac verā Methodi institutum à notioribus procedit ad ignotiora, nihilq[ue] profitetur in synopsi à se accipi ut verum, nisi evidenter sibi perceptum, comprobatum, demonstratum, idq[ue] tam clare, ut onnis dubitatio ab eo, qui attenderit animumq[ue] adverterit, fugere debat, & nemo solidiora certitudinis fundamenta ponere valeat, quam ab eo ibi sunt jačta: dum in iis jacientis occupatur, gravissimas ex omnibus questiones, in titulo promissas, dissolvit duas, solideq[ue], & Deum esse, & Mensem à corpore distinctam, docet. Quod ita facit ac perficit, ut Scepticismum omnem & Atheismum (velint nolint ejus Adversarii) radicibus evellet & ex imis subruat fundamentis: quin mentem humanam ex sui ac Dei notitia ad reliquarum extra se rerum notitiam ducit ac dirigit modo ac medio infallibili.

Vera Hominis sapientia Sui ac Dei absolvitur cognitione: hæc utraq[ue] in Meditationibus ab Authore sternitur ut fundamentum, cui reliquarum notitia superstruatur, & superstructa est in 2. 3. & 4. parte Principiorum Philosophiae. Initium ejus Philosophiae à cognitione est nostri, ac dum nos ipso cognoscimus eo ipso deducimur in cognitionem Dei, neque enim extra nos animumque nostrum egredi est necesse, ut Deum nostrum

nostrum esse cognoscamus: talia sui vestigia in mente nostra reliquit. Atque hec decantatissima est Dei in nobis idea insita, qua Deus non longe absit à nobis, sed animo nostro intime est praesens, & advertenti, atque se animunque suum intuenti, vel statim invenitur. Hac sui Deique notitia nihil menti Philosophantis, & certainum rerum existentium veritatem querentis, occurrit prius, nihil certius: & ut potius utraque, alius non eget rebus, extra se non abit, quo certe ipsi menti nihil potest accidere gratius. Quid enim suavius ei contingat, quam si, in rerum omnium notitia acquirenda, ipsa sibi sit omnis cognitionis & certitudinis radix, origo, fundamentum? Dubitet Scepticus aliquis de rebus omnibus extra se positis, nunquam de mente sua dubitare potest: eo enim ipso quod dubitet, si ad cogitationes dubitantes attendit, jam se esse & in se esse quo dubitat, atque se existere & quidem talis naturae ut dubitare possit, deprehendit, velit nolit: ut ipsa Mens dubitans sufficiens sit de se non dubitandi principium: Hec Menti humanae, ad se attendentis, de se notitia, viam sternit ad res alias preter se cognoscendas: redeat igitur in se, que ex se, se esse, cognovit, mens, & scrutatur dubitationes ac cogitationes suas: inventit non tantum sui sed aliarum etiam in se rerum imagines depictas; non tamen omnium. Querit ergo, unde habeat aliarum rerum preter se ideas? si aliarum rerum non habet ex se se notitiam, si aliarum rerum ideas non eam sibi sed aliquid extraneum ipsi representent, oportet aliquid extra eam, vel dari, vel dari falsum posse: & cur non omnium rerum ideas in se deprehendit? cur non potest sibi, quascunque velit res, representare? cur commercium proximum est sibi secum, remotius cum rebus aliis?

Dum ita cogitationes suas earumque originem inquirit, altius seipsam quoque contemplatur, & penitus cognoscit. Deprehendit, se finitae & esse naturae & cognitionis, non esse se sibi sufficientem ad omnia cognoscenda, atque insuper se non esse à se, nec per se subsistere: deprehendit, quam arctis & angustis finibus ipsa & cogitationes suas circumscribantur, limitentur. Deprehendit, ut non est à se, ita ne ad momentum quidem temporis sibi dare posse ut perseveret: ita ex suarum imperfectionum idea invenit in se ideam

entis longe se perfectioris, & iis omnibus perfectianibus abundantis, quibus ipsa caret, & ad ideam istam attendo, cognoscit facile, quantis perfectionibus illud ens oporteat esse prædictum, in quibus omnes illæ sunt quibus ipsa destituitur: cogitet suas imperfectiones, quod non sit à se, non omnia sciat, non omnia possit, &c. & oppositas perfectiones, esse à se, omnia scire, omnia posse, &c. reprehendat in idea illius entis, se perfectioris, contineri: & sic extra se nequid egressa Mens, & se repperit & Deum suum: ac Scepticismum omnem tollit, & prætenit sic Atheismum. Acque hæc nostri & Dei notitia basis est & fundamentum & medium omnis ulterioris cognitionis: Quo enim magis ideam istam nostri ac Dei in nobis examinabimus, eo certius res alias cognoscemus: Quod in Principiis Philosophia, & ipsa Meditationum serie, satis ordinata deducitur Methodo, quæ attendent & sepius ac serio meditanti innotescit, alii non item, ut ipse monet Medit. Author in Præfatione. Antequam lucem viderent Meditationes, examini fuerunt primum subjectæ, & multorum doctissimorum objectionibus tentatae; ad quas respondendo, multa in Meditationibus obscura clarius exposuit Author: atque ita satisfecit, ut nihil à quoquam sit regelsum nisi à solo Gassendo, cui Gallicæ & responsū, quod Meditationes cum Objectionibus in Gallicum sermonem translatae à Nobiliss. Gall. elapso anno excuderentur. Ita quoque avide excepta sunt à Gallis Principia Philosophiae, ut & hæc vesti Gallica eodem tempore sint donata. In hisce per solam Materiam & Motum, principia simplissima & omnibus notissima, explicat rerum omnium naturas, proprietates, operationes, rejectis Formis omnibus (præter rationalem animalm) Substantialibus, quæ in recepta Philosophia merum sunt ignorantie Asylum. Lacesiverat, in epist. ad Dinetum, Peripateticos omnes, ut vel unam eis peculiaribus sua Philosophia principiis vere solverent Questionem, qui milliones solvit ea suis. Et hoc de Formis Substantialibus Commentum ante Aristotelis tempora fuit ignoratum, & postea multis disperguit, (quod utrumque l. v. Disputationib[us] habitis elapsa septimana ostendimus) & eversum satis fuit ante aliquot annos à Cl. D. Preceptor.

ptore & Prædecessore meo BURGERSDIO-  
CIO, lib. 1. cap. 25. Metaphys. qui tamen à  
nemine unquam iecire est impetus aut  
Atheismi accusatus, us i ob eam rem à malignis  
impeditur & accusatur C A R T E S I U S . Sed  
hæc infelix exitit ejus Philosophiae sors, quod  
Hærefios, Blasphemiae, Pelagianismi, Sce-  
pticismi, Atheismi, diras statim consequen-  
tias ei afficerent, vel ignorantes,  
vel malevoli. Ea nunc sunt tempora, quibus ni-  
hil est iustitium, quam criminum istorum ream  
agere & suspectam reddere doctrinam, qua vel  
negligitur vel non intelligitur: contingit illud, uti  
alias, ita acerbissime intra vertentis anni spa-  
tium, huic Philosophiæ, cuius principia &  
dogmata, Professores Philosophi, quod sciam,  
nulli hæc tenus, vel examinârunt, refutârunt,  
sed unius item atque alter Aphorismum hunc vel  
illum ac periodum aliquam, quam legit cur fin  
ex ea, insectatius est statim & persecutus crimi-  
ne ac convictio. Atque illorum potius erant par-  
tes, serio refellere istius Philosophiæ principia,  
si minus sint certa & firma, & tamen firmiora  
& certiora prædicentur atque habeantur, quam  
criminari aut convictiari: quod si Philosophos  
non deceat, multo minus id convenient Theolo-  
gis, quorum non est, virgulam censoriam &  
dictaturam exercere in Philosophiæ & aliarum  
Scientiarum Professiones, nec à mœcōmīōwēv̄,  
aut aliena curare negotia: qui domi sua habent  
satis quod agant, & defunguntur suo munere,  
sigregem sibi commissum fideliter pascant, viam  
salutis ei ostendant, juuentutem Academicam  
sacris divinae veritatis dogmatibus imbuant,  
& omnibus, pacis concordiaque studio, prælu-  
ceant. Et ferri possent levius eorum censura, si  
aut eas modeste & absque atrocissimum crimi-  
num consequentia instituerent censure, aut  
rerum, quas censem, periti forent. Quasi non  
magis standum esset de rebus naturæ ejusque  
Principiis judicio Philosophi, qui etatem to-  
tam & vitam omnem in iis inquirendis & expli-  
candis impendit, quam Theologi, qui aliis co-  
gitationibus animique studiis distractus & di-  
strictus, sacra tautum trastavit non naturam.  
At si placet Theologo falcam immittere in  
Philosophi messem, à virulenta saltu abfi-  
neat criminazione, & calunnias, que artes

cum nomine & titulo isto non convenient. Vi-  
deat ergo, an τὰ λόγια ἡ θεοῦ loquatur, qui acer-  
bissimas nuper inventivas immissicuit sue the-  
fum selectarum præfationi, & Paralipome-  
nis, & quarte Disp. de Atheismo parti, atque  
alibi, in C A R T E S I I personam & philosophem  
ata, qui se & Philosophiam suam satis tutab-  
itur. Nihil facilius est quam convitium dicere  
aut calumniam impingere: sed nihil quoque in-  
dignius Theologo ac viro bono. Nostis ipsi Nobiliss. & Ampliss. Domin. quam serio vobis  
præterito anno per litteras conquestus sit D. D E S  
C A R T E S , de impacto sibi temere Pelagianis-  
mo, à Coll. Theol. Regente D. J A C O B O  
R E V I O , in Disp. 23. Anal. Theol. th. 13.  
ex verbis Med. meth. 4. p. 55. Sola est vol-  
untas five arbitrii libertas, quam tantam in  
me experior, ut nullius majoris ideam appre-  
hendam, & male citatis & male explicatis,  
quorum alterum inicitur est, alterum perfidie.  
Nostis quam idem iisdem litteris querelam insti-  
tuierit de imputata sibi à primario nunc professore  
Theologo, D. J A C O B O T R I G L A N D I O ,  
Blasphemiam, in Coroll. 7. ad 6. Aprilis defen-  
so. Internum Spiritus S. testimonium de cer-  
titudine salutis ad tempus negare sub quo-  
cunque pretextu non licet, multo minus  
ipsum Spiritum S. (feu ipsum Deum, ut male  
C A R T E S I U S ) pro impostere ac deceptore  
habere seu fingere, quod plane blasphemum.  
Non referam, quam fideliter & Respondentem,  
& Rev. D. Præfidem Collegam monuerim, ut,  
si paci & honori suo consultum vellet, ab illo co-  
rollario & crimen personali defensando absti-  
neret, quise majorem Corollarii pesuisse, eum  
esse blasphemum, qui Deum pro deceptore  
habet, non autem minorem, (ut male C A R-  
T E S I U S ) ac meditationes ejus nunquam se tum  
legisse, professus est, & indicari à me petuit Re-  
spondentem, ut deleretur: nec dicam, quomodo sen-  
tentian mutaverit ac disputaverit, ac turbæ in-  
gentes sint exortæ. Hæc enim omnia Ampl. Con-  
fessui vestro sunt exposita, & ab Eo decretum  
13. Kal. Junias claps anni, ne à Professoribus  
Theologis ac Philosophis & Collegii Theolo-  
gici Regentibus, imposterum C A R T E S I I ,  
vel ejus opinionis, minima mentio fieret.  
Ego quidem ab eo tempore vestro decreto morem  
\*\*\*  
gesse,

gessi, & sedulo operam dedi, ne Disputationem ullam pro aut contra C A R T E S I U M instituerem, aut sub meo Praefidio disputandam permetterem, ut quidem ante à me ad ingenii exercitium fuerat factum. Placuit Regenti interea temporis R E V I O, in varia & ab antecedentium & consequentium serie divulsa loca & excerpta ex C A R T E S I I Methodo, Meditacionibus, Principiis, nō solum instituere, & evulgare libellum, quinque foliorum, Titulo Considerationis Theologicæ, addita gemina Disputatione, ex quatuor ante contra C A R T E S I U M habitis. Consideratoris Theologi exemplo factus audientior Professor Philosophus, D. A D A M U S S T E V A R T U S, nuperrime in diem totum 23. Decembris 1647. Geminam Disputationem Metaphysicam de D E O, jam omnium desiderio expectatissimam atque aliquamdiu promissam, Academiæ valvis sat is in tempore curat affigi, ex professo contra Mandatum vestrum in C A R T E S I U M, quod nullum non fuit compertissimum, ex corpore thestum universo, & præsertim th. 5. disp. prioris, institutam utramque, cuius habita Historiam, & quæ eam sunt consecuta, scire vestra interest Authoritatis vestrique Confessus.

Postquam jam diu sparsus per Academiam rumor increbuisse, nunc brevi confodiendum C A R T E S I U M & jugulandos C A R T E S I A N O S, ac jam complusculos dies affixa valvis Disputatio lectitaretur, tandem propriarie Natalem Domini hora lacoque consuetis ingens fit Studiosorum alteriusque ordinis virorum consueta, ut Auditorio eos vix caperet. Conceduntur subsellia, & quæ sessioni erant destinata, pedibus ad standum subserviant. Capita forniciem contingunt: tam densum erat congregatorum agmen, atque ita compactum, & male ordinatum, ut ingredientium conspectui adimeretur & Præses & Respondens & Opponens, & ingressorum auditus subraheteretur loquentium vox. Cum horam circiter decimam accederem, desit opponere doctissimus quis ex Coll. Ord. Iuvenis, ejusq; vicem subit, profunde & solide doctrine vir, D. J O H A N N E S D E R A E L, Philosophia Magister & Medicinæ Doctor, gemino simul ante semestre titulo, à me & Cl. D. V O R S T I O, pro virtutum suarum meri-

tis, honoratus, cum insigni, & suo, & Academie nostræ decoro, qui ad thesin 5. Disp. prioris, ubi hæc sunt Praefidis verba. Inveniuntur Neoterici nonnulli Philosophi, qui certam omnem fidem tenibus abrogant, & Philosophos Deum negare, & de ejus existentia dubitare posse contendunt, qui insitas interim à natura humanae menti de Deo notitias actuales, species & ideas admittunt, sic opposuit: Si nulli extant tales Neoterici Philosophi, talium opinionum Authors, male nonnullis illæ adscribuntur, & sine necessitate refutantur. At verum eff prius. Ergo & posterius. Si vero sint, peto humanissime, ut mibi nominentur. Respondit Præses duo: 1. Parcendum esse nominibus & personis, disputandum tantum de opinionibus & sententiis. 2. Authoritate D. Curatorum sibi interdictum esse ne nominaret: sed satis constare, quinam illi essent: esse nota eorum nomina: se & alios scire: talia fuisse aliquando hic ventilata, &c. Reposuit Alter, D. Curatorum decreto, non tantum esse cautum, ne nomen C A R T E S I I, quem significabat Præses, nominaretur, sed insuper vetitum, ne de ejus opinione vel opinionibus disputaretur; atque hic magis violari à Præside eorum autoritatem, quam si eun-  
t auo alio Neoterico Philosopho, opinionem istarum Authors, nominaret: itaque hoc de novo repetiti ac postulavit. Præses jam commotior. Quid tu, inquit, scis de D. Curatorum decreto? tu non interfueristi illorum conventui. Provo ad Cl. D. R E V I U M hic præsentem qui interfuit. Et ego, regessit Opponens, ad Cl. D. Professorem & hic & ibi quoque præsentem: ac me designabat, proxime à latere sibi assidentem: ac sic perrexit: licet non interfuerim conventui, novi tamen quid sit de illorum D. mente. Quid tu, ait Præses, scires, qui neque oculatus testis, neque auritus adfueristi? provoco ad Cl. D. R E V I U M. Reposuit Opponens, neque se tamen ignarum mentis D. Curatorum, ac se vidisse ipsum Epistolæ à D. Syndico nomine Nob. D. Curatorum ad D. C A R T E S I U M misse ad revigilam, quod nec Praefidis nec D. R E V I U M oculis effuturatum, ex quo sane de sententia D. Curatorum quamclarissime statui potuit, quæ fuit: non tantum, ut nomini istius Herois parceretur, sed & ab ipsius opinionibus

opinionibus ventilandis abstineretur, contra quam ficeret Praes, qui quam diu Authorum nomina non proferret reus haberetur calumniae: ille eandem cantilenam canere, & sensim effervesce magis, & tandem dicere, sunt Luthe-rani, nullius tamen pronunciare nomen; Oppo-nens itaque, cum nihil impetraret, age, inquit, si nominare non placet authores, ego tamen novi, quos designes; Est inter eos, cuius nomen non audes proferre, D. C A R T E S I U S, & qui solum hic præter te opiniones ventilat Philosophicas, Col- lega præfens. Ego tibi, ex illius scriptis, ex hu-jus thesibus ante quadriennium tuumque adven-tum disputatis, contrarium demonstrabo: & protulit locum ex epistola C A R T E S I I ad ce-leberrimum V O E T I U M pag. 236. Sed no-tandum est eas omnes res, quarum cognitio dicitur nobis esse à natura indita, non ideo à nobis expresse cognosci, sed tantum tales esse, ut ipsas absque ullo sensu experimento, ex propriis ingenii viribus, cognoscere possi-mus. Ac jam in eo erat, ut proferret locum ex th. 6. Disp. mex select. 3. de Notitia Dei Naturali, olim habitæ, ubi sunt verba: Ante rationis usum mens hominis, neque propositiones comprehendit, neque terminos sim-plices apprehendit, veritatem proinde ac fal-sitatem nullius propositionis actu cognoscit: hoc enim si faceret, ratione jam uteretur, & hujus actualis cognitionis respectu anima di-citur tabula rasa. Cum excandescere & in furorem agi capít Praes. Et postquam, furibundi in-flar, corpus suum in Cathedra nunc huc nunc illuc circumjetasset, ac varia effutiisset convictia in O, ponentem (qui ursit vehementer & insitit ut loqui posset) tandem plenus ira, mota mente, Ego, inquit, pro autoritate publica silentium tibi impero. Tace: nolo te audire: & Tu oppone, dicit alteri cuidam Studioſo, atque ei, qui sub Praefatio D. T R I G L A N D I I de Blasphemia C A R T E S I I ante disputaverat, ex Monacha-tu & ordine Capucinorum ad nostram religionem conuersus. Cum ita exceptum Philosophia ac Medicinae Doctorem, eique prælatum à Prae-fide Studioſum aliud, videnter atque audiētēt preſentes, qui aderant, Auditores, tam indigne id tulerunt, ut continuo ultra quadrantem horæ pedum strepitū ac plausu omnem ulserius oppo-

nendi occasionem intercluserint. Cum hora un-decima privata esset promotio ab Academiæ Se-natu facta, D. S T E V A R T U S ei valde con-queri, & presentiam atque autoritatem Rect: Magnifici ſteti poſt meridiem iterum diſputatu-ro implorare, ut strepitus præveniretur. Plerique ex Senatu D. Professores in iſlam ibant ſen-tiam, aliter ſecuritati D. Praefidis eſſe proſpi-ciendum, affixa ſcilicet valvis Academiæ ſcheda, qua, ut modeſtius ſegererent Studioſi in po-meridiana diſputatione, rogarerent ac mo-ne-rentur: quod ita factum fuit, & pacatus diſpu-tatum. Cum vero publicè non tantum exiſtimatio mea eſſet leſa à D. Praefide, quaſi ego tales opiniones unquam ventilafsem, ac privatim idem de me dicere tur ab ipſo, ego diſputationem aliquam mean recuſam, cum iſtituta ad ſam e-ruſelam preſatione, atque corollarii calumniias retegenitibus, poſtero die Academiæ affigi cu-ro: habendam 28. Decembris. Placuit hinc Magnifico nunc Academiæ noſtræ Rectori, Celeberrimo D. S P A N H E M I O, intercedere, &, qui geminam in C A R T E S I U M S T E V A R T I Disputationem permiseraſt, meam, non pro C A R-T E S I O, ſed pro iusta exiſtimationis leſe vi-dicta, comparatam, ſufflaminare ac iſſere, quod nec honori nec tranquillitati publicæ eſſet ceſura, & occaſionem fakturam novis tumultibus, ac non ſine strepitu abitura. Petitis hoc dari precibus ſuis, ut abſinerem, aut, ſi nolim, ſe pro autho-ritate non permifſurum ut habeatur. Ego, cum ad integrum Senatum potuſſem rem detuliffe, id tamen non feci, ſed respondi, Magnifico D. Re-ctori me non refractarium fore, nec aliquid ac-tuum contra Academiæ ſtatuta, honorem, vel tranquillitatem publicam, ſed & me ſollicitum eſſe de violata nominis mei exiſtimatione, quam novam refarari ac reparari mihi, unice me ve-lle, & judicare, non melius reparatum iri quam publica Diſputatione, qua laſſefſet Collega. Ro-gavi, quid in Theſibus culpandum eſſet? Ille, ni-hil plane, reponuit, ſed oſſe optimas: verum ac-uleatam eſſe nimis preſationem, & acerbiora in Collegam directa Corollaria. At, inquam, reponſum exiſtimet, non maledictum, quia laſtit prior. Et, Praefatio verbis ſignificantio-ribus concepta, nullum agit reum, ſed Calum-niæ tantum ac Calumniatoris genium depingit ac

charakterem: in corollariis quid duri est? an vocabula, mentiuntur & calumniantur? Quae si non licet scapham scapham, sicum sicum dicere: non, qui dicit, cum vere dicit, sed qui facit culpandus est. Iudam furari, malum erat, at furem dicere, non item. Denique de Rectoris Magnifici petitione, me serio cogitaturum, promitto. Pridie disputationis habenda die 27. Januarii tenuit sollicitudo D. TRIGLANDIUM ac D. SCOTANUM de turbis fortasse exorturis, ut nuper essent exorti in Disputatione STEVARTIANA: illi curas suas ad Rectorem mittit, & ut tumultum præveniat monet: hic synedrio Ecclesia Lugdunensis Batavæ, cuius est Senior, piam suam sollicitudinem proponit, qui tamen eam ad Senatum Academicum vel Rectorem Magnificum deferre debuerat, quia negotium erat mere Academicum, de Graeca disputationis Philosophicæ stabilienda & àtragiæ præcavenda; quo facto an non aliquid detraxerit honori, autoritati, juri, ac maiestati Senatus Academicici, ipse viderit. Synedrium querelam & questionem à D. SCOTANO propositam accipit, rem per Præsidem & Scribam cum Ampliss. Syndico nomine Magistratus ad conventum istum Deputato communitat, & per eosdem Magnifico Rectori expo-

nit, peritque disputationem illam differri, ne contentionis flamma inter Professores magis exardescat. Rector circa vesperam me vocat, & quomodo intercessum esset à Synedrio meæ Disputationi, enarrat. Rogo quid juris ei fueris in Disputationem Academicam? an diffideret vigilante Rectoris? Ille Deputatos nihil ex authoritate præscriptissime respondet, nec egisse ex jure sed humaniter petuisse, &c. Denique mehortatur, ut tantum differrem in adventum Nobiliss. D. Curatorum post meridem diei 28. futurum & de conflito eorum agerem. Ipso Disputationis die, cedo rationibus Rectoris, & scheda ipse significo, Disputationem esse differendam ejus petitione in & post conventum vestrum. Non fuit otium Nobiliss. Ampliss. Vest. excutiendi omnes intricatae causæ circumstantias, quod maturandus vobis esset Hagam redditus: & quia non integer foret confessus ob unius ex Nobiliss. D. Curator. absentiam, vestro nomine, postera die nunciatum est, ut differrem ulterius in proximum Congressum. Factum id est à me libenter: nunc, quæ consequata sint, recensebo; quo plenissime totum cognoscatur negotium, ut se haberit ab initio ad hoc usque momentum: prius tamen ipsam Disputationem, ut fuit recusa, exhibeo.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum.

T E R T I A.

D E

# NOTITIA DEI NATVRALI

*Habita,*

Resp. JACOBUS SOUTERIO, 25. Martii, 1643.

Eiusdem

R E P E T I T I O,

*Habenda*

Resp. DANIELE OUZEEL, 28. Decembris, 1647.

*Ad Nobilissimos, Spectatissimos, Doctissimos, Philosophie  
In Academiâ Leydenſi.*

STUDIOSOS.

P R A E L O Q U I U M.



Ovum est, & oculis & auribus inservit vestris, Disputationis Philosophicae Repetitionem institui. Sed enim non sine causa id factum est aut ratione. Calumniæ occurrerentur labes abstergenda, qua contumari possit boni nominis fama ac proscindi, sub NEOTERICORUM PHILOSOPHORUM operto titulo. Venenata linguae tela & noctitura spicula, occultis ac non explicatis titulis, projiceret, proprium est & Argos, virtutis ita fedi, ita tetri, ut inde nomen accepit, mendacii Pater & omnium malorum Princeps, Diabolus. Calumniam plerumq; parit Invidia, nutrit Curiositas. Comitatur Mendacium; & fere proficiuntur à viliis animi & garrulis hominibus hoc quicquid est virtutis: loquaces enim, ut multa, ita mala sœpe ac falsa loquuntur, invidia præsertim & curiositate abrepti: quibus erectior contigit indoles, ab eo abstinent. Licet vero aduersus calumniam nemo sit tutus, satisque sit clypei, animi innocencia, quia tamen famam (qua nihil pretiosius) occulis ea petit ac ledere conatur modis, jure merito, & in ignominiam Calumniantis, detegitur. Quadriennium est cum semestri, quod in selectarum ex Philosophia Disputationum Tertia, meam, de Notitia Dei naturali, proposuerim atque exposuerim sententiam, quam iterato examini subjiceret fuit usum, non quod tum temporis, aut à Doctissimo Respondente aut à me Praefide, non fuerit satisfactum oppositionibus, sed ut constet, eandem esse hic mibi sententiam ac menzem, que olim fuit, in nullo aut puncto aut apice immutata, quod iisdem thesibus & verbis repetita disputatione ostendit; ac præsertim, ut fatus ista, & que in sapienti pectus, aut in eum, cui sapientia constat, cadere nequit, opinio, de infantibus in utero matris atque ex eo egressis statim præditis Dei notitia actuali, repellatur, & ad Anticyras cum Authorc relegetur, quam tamen sub Neotericorum Philosophorum titulo mibi impingere.

pingere valeat, si non clanculum impegerit, Malignitas ac Calumnia. Veritas nova mihi numquam displicuit, quin & veritatem novam philosophando invenire, quotidianum mihi est studium: at aliquid novi pro vero, quod falsum est, affingi mibi aut imputari, nunquam patiar. The-

ses haec, quam longe absit a me, insulsa, quam retuli, opinio, & de Dei existentia per rationes naturales iωοχη, satis superq; docent. Si quis ultra hic aliquid nobis affinxerit, is, inter & Διγελον̄is diuine Calumnae cultores, nomen merebitur suum, & justam aliquando mercedem reportabit.

## J U S T I N U S M A R T Y R

In Apologia secunda pro Christianis.

**T**OVS οὐτ' ἀληθεῖαν φύσεος οὐ φιλοσόφου, πέπον τὸ λαλῆσαι πρᾶμαν οὐτε γέρεν, οὐδέ τοι παραγένεται.

Qui vere pli & Philosophi sunt, eos solam veritatem in precio habere & colore debere, ratio dicitat.

## T H E S I S I.

**E**SSE Deum, sciri potest, ac cognosci multis modis. Nonnulli triplicem statuant Dei cognitionem: 1. cognitionem rationis, quam investigamus per creaturarum initium. 2. cognitionem devotionis, quae fit per verbum, ex cuius prædicatione cognitione fidei oritur. 3. cognitionem glorificationis, quae fit in vita æterna. Alii ponunt quadruplicem divinæ cognitionis librum, φύσεως, naturæ, quo pertinet κανονικὴ menti naturaliter impressæ. 2. θεοῦ, creaturae, quo pertinet intuitus & contemplatio creaturarum. 3. γερῆς, scripture, quo pertinet divina in Propheticis & Apostolicis scriptis revelatio. 4. ζωῆς, vita æternæ, quo pertinet intuitiva & beatifica Dei visio. Sed prætermissa cognitione glorificationis, & libro vita æternæ, qui cognoscendi modus in hac vita non possidetur, sed speratur tantum, reliqui tres cognoscendi modi optime revocari possunt ad duo capita; ut cognitio Dei, alia sit naturalis, alia revelata, & illa petatur ex naturæ, hæc ex scripturæ libro. Ac nos quidem, relatio Theologis scripturæ libro, & cognitione revelata, Qualis sit Dei notitia naturalis, hauſta ex libro nature, hac disputatione inquirimus.

II. Liber naturæ duplex statui potest, internus & externus: unde notitia Dei naturalis dividitur in *instans* vel *innatam*, & *acquisitam*; illam vocant alii *subjectivum*, hanc ob-

jectivam. Notitia *instans* originem habet ex *rigoribus cœtiolis*, qua amissæ imaginis divine sunt obscura quedam rudera ac vestigia, & amissæ illius lucis, quæ in hominis mente ante lapsum fulgebat, superstites quedam ac sopite scintillæ, per quas communis illa & anticipata notio, *Quod sit Deus*, omnium hominum mentibus naturaliter est insculpta. Has ergo notitias communes referimus ad *librum naturæ internum*; ad quem etiam pertinet liber *conscientia*, *internum conscientia testimoniun*, quod Scholastici vocant *Synteresis*, συντηρεσις: nam ex principiis cum homine natus oritur in corde cujusvis hic *Syllogismus practicus*: *Qui vitam vivit impianum sentiet Dei vindicis iram & panam*: ratio ejus est, quia omnibus naturaliter est instans & insculptum, *Deum esse*, *Deum esse colendum*, *Deum esse scelerum vindicem*: subsumit autem conscientia impii, *Ego flagitosam vitam duxi*, &c. *Acquisita Dei notitia ex libro naturæ externo*, videlicet ex contemplatione operum & effectorum divinorum, vi naturalis discursus, à mente humana colligitur: ut enim ex pluribus literis, ita ex pluribus creaturis, liber quidam componitur, cum quælibet creatura non sit nisi quedam litera manu Dei scripta: & in hoc libro Deum legere, atque ex lectio- ne cognoscere, possumus.

III. Atque hæc est gemina & genuina Deum naturaliter cognoscendi ratio: partim *instans*,

sita, ex libro naturæ interno; partim acquista, ex libro naturæ externo; quæ à non uno impletur & impugnatur hoste. Priorem negat *Tiplerus*, *Metaph. lib. 4. cap. 2. quæst. 2.* qui plura habet passim in Metaphysica non probat notæ, & heterodoxia merito suspecta: & sicut multos ex Tipleriana Metaphysica errores, ita hunc etiam ex ea haurit ejus Collega, *Conradus Vorstius in notis ad disp. 1. de Deo, pag. 119. & in apologetica exegesi, c. 1.* Erravit & hunc errorem *Scaliger, exercit. 307. sçt. 18.* Utramque tam innatam quam acquisitam Dei naturalem notitiam negat infastus ille *Socinus, pœlect. Theol. c. 2.* Quia vero distincta sunt argumenta, quibus tum infusa, tum acquisita Dei notitia naturalis, probari potest, distincte etiam ea proponemus, si primum status controversie fuerit fixus recteformatus; ad quem fingendum formandumque quædam distinctiones observandæ veniunt.

**I V.** Notitia Dei potest, vel ratione subjecti, in quo est, vel ratione objecti, circa quod est, vel ratione modi & graduum, diversimode considerari: 1. Ratione subjecti est, vel speculativa, vel practica: intellectus, vel affectus: theoria, vel malitia: non est quæstio, cum queritur, an detur aliqua naturalis Dei notitia, de notitia practica, affectus, malitia: multi enim affectu, malitia, voluntate, vita & operibus, Deum negant: quem tamen intellectu & theoria speculativa negare non possunt: ignorant tales Deum, non pura negatione, sed prava dispositione: est etiam notitia alia in actu primo, id est, habitualis, alia in actu secundo, id est, actualis: non queritur, an detur notitia Dei naturalis in nobis semper in actu secundo, seu actualis, sed in actu primo seu habitualis: 2. Ratione objecti potest dividiri notitia Dei in eam, quæ est circa nōm̄, & eam, quæ est circa n̄m̄. De priori quæstio est, non de posteriori, sc. an naturaliter homo scire posse, quod sit Deus: non vero quid & quis sit Deus: distinguiri etiam potest inter notitiam veri Dei, & quosdam vero Deo competentes notitias, sive inter conceptum, qui est de Deo, & conceptus applicationem: hoc est in controversia, an homo extra revelationem posse habere quosdam vero Deo competentes notitias, quosdam veros de Deo vero

conceptus, est in particulari illos male applicet, ad id v. c. quod non est Deus: 3. Ratione modi & graduum, notitia Dei est, confusa in communione, & distincta in particulari, salutaris, vel non salutaris: de notitia Dei confusa & non salutaris quæstio est, non autem de distincta & salutari; talis enim nullo modo ex natura hauriri potest. Hic igitur controversie status manet, *An detur notitia Dei naturalis speculativa, in actu primo, circa nōm̄, confusa & non salutaris, quæ verum de vero Deo conceptum formare potest homo, sive illud sit ex contemplatione creaturarum, sive per notitiam innatas & racto cordis motu: hoc enim in quæstione hac nobis perinde est: affirmamus utrumque & probamus.*

V. Notitiam innatam probant, 1. Universalis & perpetuus omnium populorum consensus: nulla enim gens tam est barbara, tam effera, que non cognoscat esse Deum, inquit Cicero l. i. de natura Deor. Arist. l. i. de celo, πάντες δὲ οὐδὲ ποτε καὶ τὸν ἕχειν τὸν θεόν φυσι. Et Seneca epist. 117. nulla gens adeo extra leges inoresq; est projecta, ut non aliquos Deos credat; sc. sensus divinitatis naturaliter omnibus insitus tam efficax fuit in Gentilibus, ut quidvis potius etiam infra hominis naturam possum, Deum esse, quam nullum esse Deum, statuerint: & falsum est, quod Adversarii afferunt, non tantum aliquos homines, sed integros hodie populos reperiri, qui nullum penitus sensum aut suspicionem divinitatis habeant, & apud quos nullum sit vestigium religionis; nec exempla Brasiliensium atque Indorum id probant. 2. Salutaria morum præcepta & institutiones apud Gentiles, quæ ex lumine naturæ profluxerunt: haec enim manifeste ostendunt honestorum & turpium discrimen esse omnibus naturaliter impressum, & notitiam de Deo insitam. 3. Timor supremi alicujus numinis naturaliter ex corde hominis prorumpens: homines enim feri & barbari, adeoque ab omni doctrina & institutione remoti, inque sylvis degentes, cum tonitrua audiunt, timent, & suo timore testantur insitam esse naturaliter cordibus hanc notitiam, quod sit aliquid summum numen omnipotens; & hic timor ac conscientiae consensus internus, qui omnibus dicitur aliquem esse, qui virtus puniat, & præmiis

præmis virtutes compenset, supremum Di-  
ctatorem, vel solus sufficit ad subjectivam hanc  
*Dei & infinitam naturalem notitiam probandam:*  
nec difficile est refutare (quod facere malum  
in ipso disputationi actu) argumenta senti-  
tentia negantis, in quam, nescio quo fato, de-  
laplus est quoque Cl. hujus Academiarum ante  
paucos annos Philosophus, D. Fr. Burgerdi-  
cens, lib. 2. Metaph. cap. 4. th. 1. & 2. Maxi-  
mum quidem sententia hujus fulcrum à Cl.  
Viro ponitur loc. cit. in dicto Aristotelis, quo  
dicit animam esse tabulam rasam, in qua scri-  
ptum nihil est, sed quidvis inscribi potest: verum  
locus ille Aristotelis huic opinioni non patro-  
cinatur: nam intelligendus est ratione specie-  
rum intelligibilium, & completae sive actua-  
lis cognitionis illius, ad quam naturaliter aptus  
exigit intellectus, & quasi in proximâ est poten-  
tiâ; eam tamen impressam non habet:

NAM ANTE RATIONIS USUM MENS  
HOMINIS, NEQUE PROPOSITIO-  
NES COMPREHENDIT, NEQUE  
TERMINOS SIMPLICES APPRE-  
HENDIT, VERITATEM PROINDE  
AC FALSITATEM NULLIUS PRO-  
POSITIONIS ACTU COGNQSCIT:  
HOC ENIM SI FACERET, RATIO-  
NE IAM UTERETUR ANTE QUAM  
UTERETUR: ET HUIUS ACTUA-  
LIS COGNITIONIS RESPECTU,  
ANIMA DICITUR TABULA RASA.  
Quod dicat Vir Cl. th. 1. hanc propositio-  
nem, Deus est, non esse per se notam, nec in-  
tellectu significatione vocum, quibus effertur,  
assensum impetrare, sicut haec facit, *totum*  
est *majus sua parte*, & neminem repertum  
iri, qui hoc afferat, non satis caute dicitur:  
Nam æque notum est ex terminis cognitis,  
si non notius, *Deum esse*, quam alterum istud:  
nam postremum hoc notius esse videtur, quia  
sensibus ejus veritas est vicinior: at prioris  
veritas intellectui est propriior. *Totum esse majus*  
*sua parte*, per se notum est, quia sensus id  
testatur: at *Deum esse*, per se notum est, quia  
intellectus id testatur: & sicut viso aut co-  
gnito, quid sit *totum*, quid *pars*, statim sci-  
tur, *totum esse majus sua parte*, ita etiam, in-

telleto quid significet hoc nomen, *Deus*,  
statim habetur & scitur, quod *Deus* est: Nam  
quid significat vox, *Deus*? illud sc. quo  
melius ac majus cogitari non potest. At hoc  
ipsum significat, *Deum esse*; nam quomodo  
vox, *Deus*, Intellectui significare poslit, id  
quod est Optimum & maximum, nisi intelli-  
git intellectus, illud esse, quod per vocem,  
*Deus*, significatur; quod enim entitatem non  
habet nec habere intelligitur, nec bonitatem,  
nec vim ullam habet, nec habere intelligi  
potest.

V. *Cognitionem Dei objectivam probant*,  
totus macrocosmus & microcosmus, cui utri-  
que tum clara sui vestigia impreslit, ut utrum-  
que contemplanti nullibi non occurrat, *Deus*:  
ubivis vide est examinanti, divinos illos,  
sapientia, bonitatis, potentia, characteres,  
rebus impressos, quos illinc eruere, id de-  
mum est Philosophari: tota enim *Philosophia*,  
quaerere id nomen meretur, hic absolvitur,  
ut *ex visibilibus Deum in invisibilem aperiat*, ani-  
moque *sciat*, & cognoscendum & colendum:  
quo si non destinatur, ab autore suo abit, &  
a fine & scopo aberrat: ut enim omnis natu-  
rae notitia à Deo est, ita ad Deum tendit ac  
dirigitur, & in Dei notitia cultaque naturali,  
tanquam fine ultimo, acquiescit: produxit  
enim mundum majorem minoremque, re-  
busque omnibus entitatem largitus est, Deus;  
pro supra bona bonitate, sapientia, potentia; ut  
ipse in iis & agnoscatur & laudaretur: sa-  
pientiam Dei, pulcherrimus monstrat rerum  
atque universi ordo, ac proprio: potentiam,  
admiranda cœli, terræ, rerumque naturalium  
virtutes & effecta: bonitatem, rerum crea-  
turarum finis, utpote quos non sui, sed hominis.  
causa condidit optimus *Deus*: unde vera Phi-  
losophia in creaturarum existentia, Dei exisen-  
tiam, in earum virtutibus effectis, Dei virtutes  
& effecta, tanquam in clarissimo speculo, pro-  
ponit cognoscenda ac contemplanda; quam Dei,  
natura virtutumque divinarum, in rebus  
creatis latentium, ac *Philosophia* nunc benefi-  
cio patentium, notitiam, non potest non se-  
qui *cultus* amorque Dei: tantum enim diligi-  
mus, quantum cognoscimus. *An Deum*, ita  
naturali intellectus lumine ex rebus creati co-  
gnoscen-

cognoscendum, benè & sufficienter doceat quæ haec tenus viget & ubique regnum tenet, ex Gentilisno tantum & Peripateticisno hausta, ac noxio heterodoxorum Philosophorum veneno infecta, sub vanis subtilitatibus & infusiferis questionibus, Philosophia, disquiri posset; sed ab instituto nostro est alienum: certè, non multum ad Dei notitiam faciunt, Sophisticæ, & de vobis tantum ac terminis institutæ, non paucæ in Philosophia digladiationes. Quicquid sit, reperire tamen est in Philosophiâ moderna ac disputatrice rationes non contemnendas, quibus notitia Dei naturalis objectiva adstruitur.

VII. Thomas Aquinas sciamæ suæ parte  
 1. quæst. 2. art. 3. quinque argumenta proferunt, 1. ex parte motus: quia omne, quod moveretur, ab alio moveretur: necesse igitur est, ut deveniatur ad aliquod primum movens, quod à nullo moveretur; & hoc esse, omnes intelligunt, Deum: 2. ex ratione causæ efficientis; quia omne, quod est, ab alio est: necesse est igitur pervenire ad aliquam causam efficientem primam (non enim datur progressus in infinitum) quæ Deus est: 3. ex possibili ac necessario: qui non omnia, quæ sunt, sunt possibilia, sed semper aliud fuit, quod fuit necessarium; ubi deveniatur tandem ad aliquid, quod per se est necessarium, & causam necessitatis aliunde non habet, sed quod necessitatis causa sit in aliis, estque Deus: 4. ex gradibus, qui in rebus inveniuntur, invenitur in rebus aliquod magis & minus bonum, verum, nobile, &c. Ergo est etiam aliud, quod est verissimum, optimum, nobilissimum; proindeque maxime ens, puta, Deus: 5. ex gubernatione rerum, quæ omnia, etiam quæ cognitione carent, operantur propter finem, ad quem tamen non casu, sed ex intentione cognoscentis perveniunt: ergo est aliquod intelligens, à quo res naturales & omnes ad finem ordinantur ac diriguntur, qui est Deus.

## COROLLARIA.

1. Ex 36. argumentorum pro Dei existentia titulis, à non nomine allatis, validissimum est, quod petitur à testimonio conscientiæ, & nervo-

sus eo quod petitur ab ordine causarum; quia illud hominem unumquemq; convincit; at hoc, non vulgus, sed Philosophos tantum, nec omnes, sed qui argumentationis istius seriem & vim capiunt, tantum confirmat.

2. Qui argumentis 15. impugnant institam à natura aut congenitam hominis notitiam Dei a-  
 Eualem, qua, & in utero matris infantes, &  
 ex utero egredi, statim ab Deum cognoscant,  
 illi cum umbrâ sua luctantur, & aut inscritam  
 produnt aut malitiam, dum tam fatuam & stulta-  
 tam opinionem Neotericis quibusdam Philosophis  
 affingunt: institam, si istorum Philosophorum  
 mentem non intellexerint, malitiam, si falso affin-  
 xerint.

3. Qui inferunt, innatam in nobis Dei notiti-  
 am, si sit infusa, non fore naturalem, aut in  
 ambiguo ludant, quod Sophistarum est, aut, ea-  
 dem consequentia, justitiam originalem primo  
 homini innatam simul & infusam, negaverint  
 frusse naturalem, quod in Theologia est erroneum:  
 hinc nec peccatum originale fuerit naturale, quia  
 innatum est liberis & iis infusum à parentibus;  
 at illud naturale est: nam natura nascimur filii  
 irae.

4. Qui institam Dei notitiam in nobis negant,  
 quia idea sit exemplar rei facienda, & Deum nec  
 factum nec faciendum multis argumentis probant, illi àzogal&or, & operam infundunt in probando eo, quod nemo mortaliū negat, & vocem  
 ideæ contra originem & vim nativam signifi-  
 candi restringunt; est enim dicitur & id, ut species  
 à specie; quasi non dentur ideæ & species re-  
 rum, quas videmus ac cognoscimus, nec tamen  
 facere valemus: sic nulla forent ideæ aut species,  
 possibilium nunquam futurorum, multo minus  
 impossibilium; attamen illa cognosci, quis negare  
 aucti? &, si nulla datur idea seu species intelligibilem  
 Dei, aut Deum non cognoscimus, & sic nec  
 credimus in eum, quia fides est notitia, notitia  
 est per ideam in nobis ac speciem intelligibilem,  
 aut cognoscimus eum per essentiam, quod absurdum  
 omnibus habetur Philosophis jure merito, &  
 talis modus cognoscendi est Deo sibi proprius.

5. Qui Neotericis nonnullis Philosophis tri-  
 buunt, quod fidem omnem sensibus abnegant, quod  
 Deum negare, & de ejus existentia dubitari posse,  
 contendant, quod, Deum negare, nobis licere,  
 \*\*\* dicant,

dicant, aut semper aut ad tempus, quod, Deum esse, non credendum, statuant; illi contra Christianam charitatem in illorum Philosophorum famam, nomen, conscientiam, sunt injurii, quandiu eos non nominant, aut tales opiniones, ab iis asseri, allatis locis, & libris, & paginis, & verbis, probatum dederint, & Deo, convitii, calumnia, ac mendacii, aliquando sunt redditu rationem.

6. Qui iisdem Philosophis Neotericis, jam, Deum esse, confitentibus, adscribunt, quod audacter pronunciant, Deum non modo negative, sed & positive sui causam efficientem dici debere, aut per potentiam sui ipsius causam conservantem esse, illi, quandiu nec nomina eorum proferunt, nec verba, audacter, & calumniantur. & mentiuntur.

7. Mens omnibus Praejudiciis est denudanda: quod qui non faciunt, sibi ipsi causa sunt, tam gravissimorum errorum & tot ineptiarum, in quas incident, ad quoque viam sibi precludunt, & alii, quos idem docent, ad veritatem rerum ex insciis & dubitatione unquam emergendi.

8. Nullam dari in nobis notitiam Dei infinitam,

simplicer absque ulla distinctione pro thesi vel corollario defendere, periculosem est & meum suspicuum. Quanto rectius magnus Calvinus §. 3. c. 3. lib. 1. Init. Hoc quidem recte judicantibus semper conflat; insculptum esse mentibus humanis divinitatis sensum, qui deleri nunquam potest: imo & naturaliter ingenitam esse hanc persuasionem, esse aliquem Deum, & penitus infixam esse in ipsis medullis, cujus neminem obliuisci natura ipsa patitur.

9. Corpus unum esse posse in pluribus locis, periculosa & erronea est assertio: arg. hoc ita explicare, ut sit in pluribus locis partialibus secundum varia membra, ridiculum est effugium.

10. Deum visu & essentia existere, nihil est aliud, quam eum esse a se positivum. Prior phrasis est Baronii in Phil. Theol. Ancill. Exerc. 1. art. par. 3. Posterior Isidoron. Tom. 9. in Eph. 3. August. Tom. 3. de Trinitate l. 7. c. 1. & Tom. 4. l. 38. 44. Quest. 15. & 16. Videatur & Calvinus in Inst. 1. t. 5. part. 6. ubi utriusq. durius loquitur: quia eternum esse, & a seipso principium habere, necesse est, unde omnia trahunt originem.

### F I N I S.

Non suffecit, hanc disputationem vestro distulisse consilio: sed adversum ejus Corollariorum disputationum vindicias paravi D. STEVARTUS, libellum vere famosum, quem sicerem a oculis, nisi metuerem agere furor naribus vestris ab insigni factore, quo est repleta: vis enim aliud (honos si auxibus) quam sacerdos loquitur: nisi quod, prater verba male oletaria, diras papism & calumnias insperat infringunt, & ostendat, in se quadrare Calumniatoris characterem, præfatione delineatorem: hoc libello apud bonos omnes id plus fecit quod stigma sibi innaserit perpetuum, & maculam adsperserit suo nomini, nullus vel totus Oceanus unda elendam.

Bilem quoque moverunt Corollaria ista, alterius Regimine Coll. Theol. Colleg. D. REVIUS, qui filium armavit in ea, & ita plenum virulentia libellum, iratus excavarit, ut non armamento sed mero felle calumnum tincisse videatur.

Hæc diu, quid agerem, contentum vindicarem Vindicias illas, an talione; abstergeremne adspersas calumnias an floccifacrem. Postulabat defensionem & urgebat fama lafa: vetabat Charitas Christiana indulgere litibus ingloriis nulloque habitu triumphos: Licet agnus esset uterque eadem sibi mensura retribui, qua

mibi esset emensus, indignum tamen judicabam me, ut Ego id facerem. Non, si illi fravali xassent affectibus, tra ac furori, idem mihi faciendum erat. Non si illi impotens fui, tori Mundi expulsus animi impotentiam, que in homines, aut jam, aut ferme, sexagenarios cadere non debresserit, in tandem impotentiam mihi Isiveni ad inflar illorum incidentum fuerat. Potuissent iisdem armis utrumque adoriri, quibus me invicti, & par pari referre: Sed temperavi mibi, & moderatus audire malui, quam aut impudentior, aut imprudentior. Omnibus itaque, convictionum, calumniarum, mendaciorum telo, ab utroque in me inortis, scutum obtendo, animi innocentiam & insontem conscientiam.

----- Hic murus aheneus esto.

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. Innocentia mea, & infirmitas illorum specimen, ac praesertim malitia, detecta in Calumniis & Mendacitis, tum STEVARTI furibendi, tum R. E. VII iracundi, placuit orbi litterato exhibere, ex amicissimo mibi capitulo unius, Philalethio Eleutherio Atheniensi. Ego, que narravi omnia, vestro iudicio expono ac submittio, & quo maiori tenus prosequimini, eidem vestro favori me commendando. Dabam. Lugd. Batav. pridie nonas Februarias. 1648.

N O B . A M P L I T . V E S T . devinthus Clien, ac devotus Cultor,

A. HEEREBOORD, Philos. Prof. Ordin. & Coll. Theol. Pro-Regens.

ADRIA-

## ADRIANI HEEREBOORD,

Philosophiae Professoris Ordinarii,

## CONCILII DE RATIONE STUDENDI PHILOSOPHIAE.

**D**istinguenda est *Philosophia* in veterem & novam: *Veterem* voco, quæ ab antiquioribus tradita, & ex Aristotele præfertim hausta, receptis *Veterum* & *Aristotelis* innititur principiis: hanc *Peripateticam* vulgo vocant: nam *Philosophia Academica*, *Stoica*, *Epicurea*, *Democritica*, alioque, diu interierunt. *Novam* appollo, quæ à recentioribus tradita, non ex Aristotele aut alio haustis principiis innititur, sed naturam ipsam pro *Philosophandi* objecto, non hominum, nedum Aristotelis, afflum sententias. Qui *Veterem*, id est, *Aristotelis Philosophiam* pertractarunt, sunt trium generum *Authores*; *Systematici*, *Questionarii*, *Textuales*. *Systematicos* appollo, qui *philosophiam Peripateticam*, præceptis, stylo, & ordine, nostris ævi ingenii, accommodato, plene perfecteque dispositis, ad usum vitae humanae tradiderunt. *Questionarios* dico, qui vel ex *textu Aristotelis* quæstiones eliciunt, vel, semoto *textu*, ab aliis motas pertractant. *Textuales*, qui Aristotelis *textum* explicant solummodo: vulgo dicuntur *Commentatores*: hi vel *Græci* sunt, vel *Arabes*, vel *Latinis*: *Græci* Arabibus & Latinis sunt præferendi. *Græci* sunt, *Alexander Aphrodites*, *Simplicius*, *Philoponus*, *Themistius*, *Olympiodorus*, *Ammonius*, *Eustathius*, *Eustratus*, &c. Inter *Arabes* *Averroes* eminet. *Latinis* sunt, vel, *veteres*, *Thomas*, *Scotus*, *Albertus Magnus*, & *Scholaftici Antiqui*, vel *recentiores*, quorum quidam libros *Logicos*, alii *Physicos*, alii *Metaphysicos*, alii *Ethicos*, &c. *commentariis* illustrarunt.

Ordinem quod spectat *Philosophandi*, à *Systemate*, *Philosophie* studio est incipendum; Inde ad *Quæstiones* transeundum, in *Textu Aristotelis* definendum: ex tota *Philosophia Vetus* atque *Aristotelica* prius est tenenda, antequam ad novam hujus vel illius recentioris accedatur. Ipsi *Philosophia Peripatetica* naturam accurate explicant in suis *præcognitis* *Philosophicis* *Keckermannus* & *Alstedius*, ac

peculiaris tractatu *Scheiblerus*, quæ *Logicæ* ejus præmitti solet. Pro *Systemate Logicæ* præscripiero *Synopsin logicam Burgersdicii*, notis à me illustratam, ejusdem *majores institutiones*, &c. *Systema minus ac majus* *Keckermannii*. Inter *Questionarios* hic commendavero *Scheiblerum* & *Timplerum*. Ad organi Aristotelici *textum* intelligendum sufficerit *Pacius*. Ad *Metaphysicam* transeo, ubi quod commendem *systema*, vix invenio, ut querimoniæ hic potius sit locus quam confilio, sed enim in manus sumtantur, donec elaboriores prodeant, *institutiones metaphysicæ Burgersdiciane* ex postrema editione à me recensita: addantur *metaphysica Combachii* & *Sthalii* atque *Alstedii*. Inter *Questionarios Metaphysicæ* scriptores orthodoxos nullum commendō, quia nullus extat, quod ego quidem sciam.

Editit *Johannes Rodolphus Faber*, Professor Genevensis *Philosophiae*, quæstiones *Metaphysicas*, sed quæ tam sunt steriles ut omnifluco destituantur. *Timplerus*, qui noster visideri voluit, similiter, quæstiones cum *syste*mate in lucem dedit *Metaphysicas*, sed quæ *eglogas* sunt refertissima: Quare, si legendae sunt aut legantur, maximo hic fuerit utendum *judicio*: namque in iis,

Sunt bona mixta malis, sunt mala mixta bonis. Idem pronuncio de *Metaphysicis Scheibleri*, *Iacobi Martini*, *Scharfi*, *Lutheranorum*, & omnium *Metaphysicorum Principis ac Papæ*, *Suaristi* *Jesuitæ*, quos, inter *Questionarios*, atque omnes, postremum, commendaverim. Hoc non præterierim, in *Metaphysicis* quæstionibus difficulteris, speciatim esse insitendum iis, quæ moventur in secunda parte speciali de Deo divinisque attributis, ubi fundamenta sunt conquirienda, quibus mens nostra muniri valeat adversus periculofissimos *Conradii Vorflii* in tractatu de Deo errores, quos detexit & solide refutavit *Becanus* in prima parte *Theologiae Scholastice*, quæ tota in isto

genere est optima. Ad *textum Aristotelis Metaphysicum* intelligendum, ex veteribus probo *Alexandrum Aphrodisensem*; ex recentioribus *Fonsecam*: sed vero tantum est in opere isto Aristotelis rerum omnium chaos: tam nulla connexio, nullus ordo, tanta contraria confusio, ut Delio natatore opus sit ad mentem Philosophi istie percipiendam.

*Physicæ Peripateticæ* varia extant *Systemata*: in iis accuratissimum fere est & ordinatissimum, quod diligentissimus reliquit *Keckermannus*: cui pro controversiarum notitia jungantur, *Physica Combackii*, *collegium Physicum Burgerſdicii*, aut *Iacchæi institutiones* notis illustratæ à *Zeizoldo* Professore Lenensi: imprimis legi velim *Physicam Sperlingii*. Verum enim vero, ut naturæ, ita & *Physicæ Peripateticæ*, latissima sunt pomeria. Quare cum innumerus sit quæstionum, quæ hic ab *Aristotelicis* agitari solent, numerus, varios in variis *Physicæ* partibus legendos censeo quæstionariois: in parte generali, præfigo *Ptererium* & *Wendelinum*: de mundo & calo, *Wendelinum* & *Casmannum*: de elementis, *Schragmullerum* &c. *Contarenum*: de mixtione & temperamentis, *Riolani prælectiones in libros Physiologicos Fernelii*: de meteoris, *Fromundum*: De lapidibus & gemmis, *Bootium*: de anima, *Casmannum* & *Davideum Buchananum* ac *Fromundum*: *controversias physicas* varias optime decidit *Zabarella*, perspicuitate præ aliis commendandus. Ad *textum Physicum Aristotelis* intelligendum, omnibus præfero *Pacum*. Inter modernos *Physicæ Peripateticæ* quæstionariois simul & commentatores, *Conimbricenses*, sunt intellectu faciliores, *Ruvius* & *Complutenses*, difficiliores sed subtiliores, compendiosissimus, *Murcia*; Cui præter jam recensitos authores plus ultra ire est animus, legit *Philosophiam Tolosanam*, cursum *Scoſticum Ponce*, legit *Hurcadum de Mendoza*, *Rodericum Ariaga*, *Franciscum Oviedo*, *Franciscum bonæ spei*, *Carletonum*, *Lalemandet*, & quicunque extant istius farinæ, pene dixeram, furfuris, *Philosophi*. In *Philosophia moralis*, præter *Ideam Burgerſdicianam*, quæ lectorem ad Aristotelis *textum* manu ducit, & *collegium Ethicum* meum disputationum, quod ex

Scholaſticis supplet ea, quæ in priori defunt, inter systematicos optimi sunt *Keckermannus* & *Alstedius*: eosdem eligi suafero, in *Politicis* & *Oeconomis*, nisi quod comitem iis dari velim, in *Politicis*, *Wendelinum* & *Althusium*. In quæſtionibus *Ethicis*, optimi sunt *Burnathus* & *Wendelinus*: in *Politicis*, *Liebenthal*: in *Oeconomis*, *Berkringerus*. Inter *textuales in Ethicis*, ex Antiquis, *Andronicum Rhodium*, ex recentioribus, *Magirum*, in *Politicis*, *Giphanius*, præſcripſero. Sed, à *Veteribus* ac *Peripateticæ Philosophiæ* Authoribus, ad *Noviss* me conſero *Philosophos*; quorum nonnulli antiqua Peripateticorum placita deſtruunt tantum, alii novæ in ſuper & veriora indaganda veritatis funda‐menta jaciunt. Prioris generis fūnt, novæ *Philosophiæ triumviri*, *Ludovicus Vives* in aureis suis de cauſis corruptarum artium libris, *Petrus Ramus in Scholis*, *Logicis*, *Physicis*, *Metaphysicis* (cujus imprimis nunquam fatis commandavero aureolos, imo omni auro digniores, duos, inæſtimabilis, ob singularem in *Analyſi* & *Genesi* uſum, *Logica libellos*) *Franciscus Patritius* in suis *diſcussionibus Peripateticis*. Hisce adjungatur quartus nostri ævi scriptor Belga, *Gorlaeus* in *exercitationibus Philosophicis*: item & quintus, *Thomas Campanella* in sua *Philosophia reali epilogistica*, *Metaphysicis*, & omnibus operibus: Speciatim in *Physicis*, Aristotelis deſtruxerunt principia, *Teleſius*, *Baffo* & frater *Bootii*. Posterioris generis fūnt, *Franciscus Patritius* in ſuā novā *Philosophia*, illuſtris *Heros*, *Franciscus Baco de Verulamio*, in nunquam nimium æſtimandis de *Augmentis Scientiarum* libris & *instaurazione magna*, *Johannes Amos Comenius*, in *Physica* & *Pansophiæ prodromo*, *Dysbejus* in *Physica*, & *Philosophiæ exortentis Phosphorus*, *Renatus Des-Cartes*, in omnibus operibus *Philosophicis*, in quibus editis, *Philosophia* veræ clavem veram exhibuit, naturæ arcana non pauca reclusit, januam ad rerum immortam veritatem pervenendi aperuit: Atque utinam editis divini ingenii monumentis aliquando accedant inedita, quæ alibi latent! in quo voto confilium hoc meum finio.

ADRIANI HEEREBOORD,

*Professoris Philosophi,*

## SERMO ACADEMICVS.

DE

Rectâ Philosophicè disputandi ratione,

Habitus 13. Ianuar. 1648. in Acad. Lugd: Batav.

Auditores omnis ordinis ornatissimi,



E F E R T Eunapius Maximus, qui præter Diogenem Laërtium Græce de Vitis scriptis Philosophorum, Priscum Philosophum, Iuliano Imperatori familiarem, ægerrimè ad disputationes instituendas fuisse pertractum, sed dogmata sua non aliter ac thesaurum pressisse ac recondita tenuisse : quin & prodigos & decoctores nominasse, qui Philosophiaæ arcana disputando, occasione nata, promulgassent : imo tantus exstitit Disputationum Philosophicarum osor hic Priscus, ut *Aedesum* Præceptorem, ad concertationes litteratas & Disputationes pronum, majestatis Philosophicæ proditorem nuncupaverit. At vero longe alia stetit mens, aliis ante & post Priscum Philosophis, qui, publicis disputationibus magis quam tacitis meditationibus proficer Philosophiae studiosos, sapienter æstimant, & omnem in animis inclusam commen-tationem, disputando, in veritatis lucem, esse proferendam, prudenter judicarunt. Private meditationis studia lenta sunt & languida, & sine vivo animi motu aut ardore : eadem vivunt, vigent, inflammantur, disputando. *Disputationis* exercitium insigne est, ingenii, judicii, memorie, ac *mappiorum* adminiculum, subfidiū, præfidium. *Disputatio* cribum est veritatis, & veluti cos, qua ingenium expolitur, judicium exacuitur, utrumque excitatur, memoria confirmatur, *mappiorum* conciliatur : atque ut ex duorum silicium collisione elicetur ignis, ita disputatione elucescit veritas. Athenis iccirco & Romæ, frequentissime erant olim de *Philosophia* disputationes. Qui mos alibi semper frequentatus est & frequentatur hodie in Academiis omnibus, ubique locorum *Philosophia* docetur ac discitur. Et, cum tanta sit mentis humanæ cæcitas, ut non statim rei veritatem perspiciat, quo medio vel remedio meliori ad eam deveniet quam disputando? Oculi plus vident quam oculus : ferrum ferro acuitur, vir viro : cum ob veritatem inveniendam in certamen descenditur, tum demum, ex conflitu, ejus potuenda apparet spes. Si veritas omnis ex se nota esset, si investes pueri statim Philosophi essent, nullâ opus foret disputatione : quare disputationum necessitatem ipsa loquitur & exigit ingenii humani conditio. Homo animal est *ignorans*, vitamque degit in mutua conuersatione, in qua fieri nequit ut idem omnes sentiant ac loquantur, sed quod hic probat, alter improbat : uter recte? *Disputatio* decernit ac decidit : quam non *necessitas* commendat solum, sed *utilitas* insuper ac *voluptas*. Quid mortalium generi jucundius, quid utilius, quam in publico literatorum congressu depromere ea, qua multorum annorum studio & improbo labore quis congregat, ad sui & aliorum instructionem? *Disputationes* infinitas exhibent ac conferunt Studiosis utilitates: lucis fugam fistunt, rusticum pudorem animis excutunt, mentis animique dotes roburrant, dicendi facultatem augent, veritatem producunt; disputantes reddit, in colloquiis blandos, in audiendo quietos, in docendo officios,

ciosos, in refellendo placidos, in cedendo faciles, & ad quasvis vita humanae functiones idoneos. Hi fructus sunt Disputationum, si dextre, & uti oportet, instituantur: si contra, paulatim instillant juniorum animis audacem impudentiam, superbam negligientiam, eruditio nem falso creditam, garrulitatem molestam, pertinaciam, maledicentiam, morum asperitatem, redduntque eos ad omnem vita communionem ineptos. Quare, cum disputationes sint bona ei qui recte eis scit uti, malorum, qui non utitur recte, ut non in malum sed in bonum cedant, Academicæ apud nos Iuventuti, de reffâ Philosophice disputandi ratione, sermonem Academicum lectionibus Academicis præmittere visum fuit non inconsultum, quo rei præstantissimæ usum commendem ac confirmem, abusum tollam atque auferam: quod si non fiet à me isti dicendi florculis, & mellitis verborum globulis, quibus Rhetores uti solent, cogitate à Philosopho non Oratore verba fieri, qui Latine tamen dicere studebit, si non possit ornate, &, licet posset, forte non vellet, quod, de qua differeret,

*Ornari res ipsa neget, contenta doceri.*  
Felicititer disputationurus, se spectet, spectet materiam disputationi destinatam, spectet formam ac normam, in disputatione sequendam ac tenendam, quæ tria erunt nostræ dissertationis capita. *Quemadmodum*

*Non cuivis homini contingit adire Corinthum,*  
ita non cuiusvis est, disputationis aleam jaccere; sed nec quidlibet in disputationem trahendum; nec disputationator sine norma ac forma, sine ordine aut modo debet,

*Per silvas saltusque & inhospita tessa rerum,*

*Per montes, per aquas, & per prærupta vagari.*

Sed uti Mercuriale statuam sequitur Viator, uti plectro gressus suos conformat saltator, uti ideam suam intuetur ædificator, ita certam disputandi rationem observat disputationator. Sed dum tria hæc oratiunculae meæ speciatim persequor puncta, attentis adeste dicenti, *Adatores, & auribus & animis.*

*Non temere quemvis disputandi Provin-*

ciam subire velim: *Neque enim omnia possimus omnes: nec ex quolibet ligno fit Mercurius:* Sunt quibus tardiores ingenii vires largita est natura, qui ex opponentium laqueis tam facile sese expedire nequeunt; sunt quos metus retinet pudorque rusticus: Sed enim utrumque hoc in disputando obstaculum removeri potest, ac neutrum tale est, quin ipso disputandi actu emendetur: *Disputatio siquidem metum illum pudoremque ex animo expellit ejicitque, & ingenium expolit atque exacuit: ac tales, si mediocri artium Logicarum notitia sint instructi, materiæque disputandæ periti, ad disputandum magis aptos censuerim, quam audaculos illos, qui animose interdum in arena Philosophica cum adversariis manus conserunt, interim loquentiæ habent multum, sapientiæ parum, audaciæ nimium. Prudentes adolescentulos, & ex verecundia aut sui ingenii quadam diffidentia vix audentes, non ideo à disputandi exercitio abstinere velim: nam laudem merentur non tantum primi, sed qui primis sunt proximi: nec semper vocales isti blaterones omne ferunt punctionum; laudem reportant majorem, qui paucis modeste, quam quippluribus immodeste agunt. Si etatis rationem quis inspiciat, juniores ad disputandum aptiores censuero quam senes: ætas enim ingravescens quietior est & languidior, at juvenilis, est animi plena ac vigoris; unde ad certamina ista ingeniorum existi prærior & magis idonea: uti gladiatores affecte jam etatis rude donandi sunt potius quam anti quo iterum includendi ludo; ita juvenum potius est quam senum, in arenam descendere ad certandum armis Philosophicis. Attamen non debet juvenis solus ac sibi nixus, fine Moderatoris cuiusdam & Arbitri ac Praesidio, quem vocant, consilio & auxilio, disputationum fluctibus sese committere, non magis quam naute maris tempestibus, sine velis, sine remis, sine anchoris: si enim absque hac succenturiata Palamonis alicujus opera aut Superioris aut horitate disputatione suscipiatur, facile est, ut Tyrones ac Novitii in plerisque hærent, & ignominiam referant, aut ad absurdas opiniones veluti ad scopulum allidunt atque appellantur. Non itaque Adolescentem tenet-*

tenellum solum, non Logicæ & rei disputandæ prorsus ignarum, sed Praefide adiutum, rei que Logicæ ac disputationis suæ mediocritate, gnarum, non aliqua temeritate atque audacia, sed modesta sui, ac cum metu & pudore, non tamen nimio, conjuncta confidentia, disputationis onus subire præscripsero ac permisero.

Sed postquam constat, Cui jam nunc, de Quibus sit disputationandum, disipci debet: atque hic non vulgari est opus circumspectione, ne loco percarum, quod adjunt, capiamus scorpiones, aut pro thesauris carbones. Ante omnia illud Horatii preceptum, quod spectat scriptiōnem, applicandum disputationi:

Sumite materiam vestris, qui scribitis, et quam

Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,  
Quid valeant humeri. ----

Temeritatis est, onus, cui ferendo par esse nequeas, fuscipere: stultitiae, illud velle sifferre: ignominiae, abjicere & aufugere. Nec in alienam messiem falcem debet immittere disputator, nec assumere partes quæ non sunt suæ: sunt disciplinis, & Philosophiæ, ejusque partibus singulis, fines sui ac limites,

Quos ultra citraque nequit consistere rectum. Hic valet illud: tractant fabria fabri. Sec Spar-tan, quam natus es, orna. &c. Coquus si sis, Medicinam ne facito, Medicus si sis, culinam non ingreditor: Theologus sacra tractet, non methodum philosophandi consideret aut de Philosophiâ disputet. Jureconsultus Politica spe-ctet & leges. Philosophus quoque extra sphæram suæ activitatis (ut Philosophico utar termino) ne egreditur, nec extra Diuine nostra pomoceria aut septa abeat, quin unicuique Philosophiæ parti quod suum est relinquat, nec in Philosophorum Principiis monitum incurrat, quo jubet, èn p[ro]f[ess]or[um] eis ñ d[omi]no y[er]bo. Est enim in omni Philosophia disputandi materies abundans ac nimia: eam aliunde derivare nihil est necesse: atque hic misere impingunt moderni disputationes, qui suas in Philosophia disputationes posteritati reliqueru[n]t; ubi in Metaphysicis Theologiam universam, adeoque Mysterium Trinitatis & Incarnationis, enarrata, videre est: in Morali Philosophia, de supernaturali beatitudine disputatione: in Physicis, to-

tam ex sacris historiam Creationis, & integrum Hexaemerum disputationandum proponunt. Quasi non artium & scientiarum finibus regundis præstitutæ & præfixe sint leges: imo & ad syllabarum dilitionem vocumque Grammaticam conjunctionem in Logicis disputationibus descendunt; adeo aliis, quicquid suum est, invident hi homines. In ipsa ἀναγόσθι disputatione, quæ disputationanda essent, cum de Cœlo, cum de Elementis, cum de Mixtis disputatione: in Metaphysicis ad textum illum Arispi, in initio, Omnes homines natura scire desiderant, multis disputatione de appetitu, & scientiis in genere, itemque de sensibus, & alia plurima, quæ alterius sunt fori. Nec Disputator noster ea disputatione sumat, ut subtilis videatur, quæ humana pervestigari diligentia non possunt. Delirus est, qui in illis operam velit perdere & oleum, quæ sunt inexplicabilia. Bene Arisippus cuidam olim roganti, ut captionem quandam sophisticam dissolveret, Quid vis, inquit, ut solvam, quod etiam non ligatum nobis exhibet negotium? Altiora te ne quaferis, monet Syracides: & Graecorum ille, Apollinis oraculo, εαφεταλος, Que supra nos, nihil ad nos. Misera est illorum fortuna, qui cum Icaro tolluntur in altum, ut lapsi gravire ruant. Talis disputatione est conatus, qui de Angelis disputationi eorum ordinem scrutantur & celestem hierarchiam: Quid hic dicam de illa farragine disputationum quæ de possibili nominantur, cum audacter & temere disputatione, quid Deus possit, & non possit, quod in Philosophia Scholastica nimis fit quam frequenter: inspicite mihi Conimbricenses, Ruviuum, Mendorcam, Ariagam, Oviedo, Pereriu[m], Suaresum, Fonsecam, Raconem, Eustachium, Complutenses, & quid attinet plures dicere? videte, uti ad singulas occasiones in potentiam Dei disputatione involent? De Materia sua prima, querunt statim & disputatione: An per potentiam Dei absolutam sine forma existere valeat? An vicissim ipsa forma possit sine materia existere? An una eademque numero materia possit uno eodemque tempore pluribus formis informari? & vicissim, An forma informare plures materias possit per divinam potentiam? An una eademque numero materia possit per divinam

divinam omnibotentiam constitui in pluribus diuersis locis? &c. Acci pite exemplum aliud. Disputant an indivisibile quantitatis, si per possibile daretur separatum a continuo, moveri possit per potentiam divinam? Quæstio sane egregia & disputatio de re, quæ neque sit neque esse possit, An per divinam vim moveri possit adhuc? Curiositas sane inaudita, &, inter Gallicas Gaffarelli curiositates inauditas, referenda. Quis nunc cum Hippocrate queratur vita brevitatem, cum tantum superfit disputationibus hodie Philosophis ad illa divinae potentiae arcana inquirenda, qui

*Querentes rerum abstrusas evolvere causas, Naturæ intus latetantis pandere claustra, Mateerian primam, vacuumque, ac mille*

*Chimeras,*

*Rustantur buccis inflatis, ut videantur*

*Docti. Qui rerum ignoratos hac fruge saginant:*

*Hoc sale conditur tenera & juvenilior ætas:*

*Nec pudet his nugis absunere turpiter ævum.*

Sed nelcio, unde sic repente Poëta sim factus, qui Orator ad vos accesseram, aut Philosophus magis cathedram consenserem. Diogenes cuidam ac ostentationem ingenii multa de rebus olim celestibus differenti, *Quam nuper Tu, inquit, de caelo venisti?* idem sublimioribus nostris Philosophis, & de tam sublimibus disputare solitus, inculcari posset. Sed enim neque in rebus minutis & exilibus valde sollicitum esse disputatorem meum velim, nec fine fine aut modo persequi argutias, quæ neque scienti proslt, neque ignorantis obsunt: *ἀφιλόσοφος* est, neglectis prorsus rebus, *λογιζυντεῖς* aut *λεπτολογεῖς*, & de lanâ disputare caprinâ: quid attinet, in lenta unguentum, in scirpo nodum querere, in nugis tragedias agere, pumiloni Herculis cothurnos aptare?

*Quid juvat id nugis argutos necesse nodos,*

*Aut spinas missis velle tenere ross?*

Videas interdum disputari, *Quas habeat proprietates forma illa, quæ cadaveris est, vulgoz corporeitatis dicitur?* An qui sunt inferiores gradus, contineant superiores formaliter vel eminenter? An facultas visus posita in lapide actum visionis elicet? An bos ligneus idem specie sit cum bove vivo? Quod discutiendum maximo iugis evi Philosopho quidam nuperime Theologus

proposit. Alia sunt, Auditores, in promptu, in quibus disputandis nervos ingenii valeamus intendere, scitu digna, cognitu jucunda, usu fructuosa. Myrmecidas Milesius, & Calliocrates Lacedæmonius, quadrigas olim fecere, quæ sub alis museæ possent abscondi, quod opus vanam temporis perditionem si dixeris, verum dixeris: at si idem de hoc Disputationum genere pronunciaveris, nihil fali locutus fuersis. Veritas quidem naturale pabulum est animalium, & omni quærenda studio, sed non omnis veritas tanti facienda: quid enim ad me, quot in suis ædibus habeat tegulas, quot gallinas alat meus vicinus? & tamen horum omnium est veritas. Ita multa sunt in Philosophicis disputationibus vera quidem, sed non statim disputanda, quia minuta, & exilia, & quæ citra detrimentum negligi possunt: nec ea quoque in disputationem sunt vocanda, quæ extra omnem disputationis aleam sunt posita: quod quidem nullus faciet disputator, nisi *καύρων* amans sit & *καύρων*. Quodcumque enim de his disputabitur, vel quæretur frigide, vel pugnabitur sophistice. Neque decet in disputationibus eorum patrocinium suscipere, quæ prorsus absurdâ existunt, aut falsa, aut impia, aut moribus perniciosa. Hoc enim qui faciunt disputantes, animum produnt monstrosum, temerarium, atheum, impurum, & omnino dissolutum. Soli ne obliquitor, dicebat quondam Pythagoras: & de rebus divinis, atque iis quæ morum spectant honestatem, nec joco nec serio aliter disputandum quam sese habent. Praclare monet in Topicis Aristoteles: *Qui querunt, Dii an sint colendi, & an amandi parentes nec ne, supplicio sunt coercendi: qui, an nix sit alba, sensu carent.* Hujus generis sunt illa, *sensibus esse fidem omnem abrogandam, motum esse nullum, beatitudinem homini in gale & ventris voluptatibus esse statim, aliaque delirantium somnia:* sicuti vero disputatori nostro cautum sedulo velim, ne de aperte falsis disputet, ita quoque praescriptum ei volo, ne sententias in disputando refutet, quas ipse sibi finxit, & quarum Autores nullos novit; hoc enim vere est *καινομαχεῖν*, id est, cum umbra luctari, & homunculum pingere quem confodias; hoc est

āēgoθarēv, in aērem pugnare, & cum nihil habes quod oppugnes, cum larvis velitari: ita faciunt, qui infantes in utero matris non esse præditos actuali Dei notitia, Deum non esse negandum, nec negari posse nec debere, eundem non esse causam sui efficientem, non omnem fidem sensib[us] detrahendam, magno molimine, & ingenti argumentorum caterva, multis paginis in disputationibus probant, quæ Philosophorum inter Neotericos ac modernos, imo mortalium nullus, unquam afferuit, cui fuit mens sana in corpore sa[n]o. In iis defruendis, quæ nemo addituit, qui est operosus disputator, is magno conatu magnas nugas agit, ac, si insuper aliis affingat sententias, quarum Authores, nec extant, nec demonstrari possunt, contra fidem agit & integritatem, ac sinceritatem boni disputatoris ac boni viri. Non ergo ista disputationum examini sunt exponenda, quæ aut in veritatem incurvant aut in veritatem, non quæ pietatem labefactant, non quæ utilitate laborem non compensent, non quæ supra vires sunt nostras ac nimium subtilia. Turpe est, inquit ille, difficiles habere nugas: sed vero quæ Oratorum more de disputationum materia, ὅτεον καὶ τέρας, & methodo dixi cryptica, per suas classes digeram, & ordine, ut Philosophus ac Logicus Professor, dispescam, ut memoriam insuper vestram juvem, Auditores. Primò igitur, quicquid humanum superat captum, & sciri nequit, de eo incassum disputatur: quale est illud, sine numeru stellarum par an impar? Secundo, quod sciri quidem potest, à disputante tam ignoratur, pessime ab eo ad disputandum asfumitur; prius quippe discendum quam disputandum. Qui accedit ad disputandam materiam quam non intelligit, is reti ventos capit, sine fundamento domum exstruit, sine scirpe rate aquis se committit. Possem hic iusto aliquid dare dolori, qui neverim hoc disputandi cacoēthes, à multis nonnunquam temere ac cum sui ignominia suscepimus, ut defendere fuerint auli vel opponere, etiam ea, quæ non intelligenter, dederintque sine mente sonos pittacorum infar. Tertiò, Quicquid controversum non est, sub disputationem non cadit; quale est illud, quod, vel manifeste est verum,

vel manifeste falsum: manifesta vera, vel sensibus reprehenduntur, vel intellectu apprehenduntur, ab omnibus, quies sensus intellectusque sunt εἰδεῖσθαι, ut cum Arist. loquar: ea vulgo principia vocantur: unde tritum illud: contra negantem principia non est disputandum. Manifeste falsa sunt, quæ vel omnium sensu refutantur, vel primis principiis directe adversantur: hæc tamen accurate sunt discernenda ab iis, quæ αἴδεσθαι Græci vocant, & disputare non est vetitum: sunt enim vera, sed præter, vel vulgi, vel sapientum plerorumque, opinionem. Quartò, Quæ nullo sensu usū commendant, à disputationibus proscribantur & exulent; absint otiosæ quæstiones, quales existant apud Summulistas, Sententiarios, Quodlibetarios, Philosophos Reales, Nominales, Conceptuales, Thomam, Scotum, Occamum, Durandum, aliosque Doctores ex Scholasticorum gente, Angelicos, Seraphicos, Cherubicos: & horum sequaces, nostri temporis ac vulgo receptos in Philosophia Scriptores, qui odiosis & otiosis plane quæstionibus libros repellent. Quid attinet disputare in Logicis; In Notiones secunde sunt conceptus formales in mente subjectivæ existentes, an vero res cognitæ in quibus denominatio cogniti sit relatio rationis? Cui bono tot quæstionum agmina, maxima verborum barbarie, de Universalibus volvuntur ac revolvuntur, an sint entia realia, an rationis? &c, si rationis, quo mentis actu fiant, an simplici an comparato, directo an reflexo, &c. Quali vero in istarum quæstionum discussione salus Reip. sit sita! quasi mundus sit ruitus si harum ineptiarum moles ruat! quasi nihil sciri possit, nisi hisce tricis cognoscendis temporis profundatur! Absint quoque curiosæ quæstiones, ut, quæ sint atomi volantes in aere universo, &c. Quintò, Disputationes non de verbis sed de rebus instituantur, & clare proponantur. In quo largissime peccatur a veteribus & recentioribus Scholasticis, vulgo Philosophorum, qui mirum in modum & maxima animorum contentione sub terminorum barbarorum involucre pugnant ac certant de aptitudinalitatibus, potentialitatibus, susceptibilitatibus, singularisationibus, infinitationibus, universalitate, hominitate, Iacobitatem, \*\*\* Petrei-

Petreitate, &c. Sub quibus vocibus, quid rerum lateat, ipsi ignorant: & tamen de iis inter se feta digladiantur, non aliter ac si pro aris certaretur ac foci: & quod pessimum est, rei veritatem involvunt, ac caliginem offundunt. Ita disputant de ratione formalis Personæ, quæ non dicit relationem originis nec communem, sed duplice negationem communicabilitatis in genere non extra genus, significans aliquid positivum, & intentionem primam non secundam, connotans circumcessionem, quæ sit subsistens in subsistente realiter distincto, mutua praesentialitas affixientia in eadem essentia. Quis mortalium talem intelligat, nedum oppugnet, Thefin? Oedipo hic opus est, aut Delio natatore, ut intelligatur primum. Sexto, Disputationum in Philosophia materies non sit superstitionis, non impia, non violet pietatem aut fidem: nunquam enim natura gratia nec lumen inferiori repugnare debet. Sed tempus me vocat, ut ad tertium dissertationis meæ caput me conferam; atque in normam ac formam recte disputandi inquiram. Ei vero satis poterit fieri, si, quæ Communia Respondenti atque OppONENTI, quæ Hujus simul & Illius sint propria officia, denique quid deceat Auditores, breviter enarravero. Uterque, tam qui propagnat quam qui oppugnat, Pietatem habeat pro Cynosura & Veritatem. Pietas Sapientia est anima, & ejus condimentum. Hæc disputationum sit moderatrix: & facile aberit rixandi ac calumniandi studium. Veritatis amor conspicitur, si animus adferatur utrumque, nec præjudicium occupatus, nec affectibus oneratus, si non gloriae infans spectetur cupidus, si non adversæ partis intendatur ignominia. Veritas nec Affectuum nec Præjudicii, sed Ratio nolis filia. Nec sarta potest servari testace, nisi disputantum alter alteri cedere noverit absque pertinacia: quod longe præstat, quam omnis generis querere *κεντρίζει*, & Protei instar in omnes se inducere formas, & nihil non communisci, ne de sententia de puluis videatur quispiam. In Palæstra Veritatis tam vincere quam vincere pulchrum est. Nec qui cedit, atro venit carbone notandus, nec est cur pudore suffundatur, quippe verita-

tem discit, disputationisque finem assequitur ac scopum. Est quidem hæc animi modestia, qua veritati ceditur ac conceditur, & moderatio, inter Disputantes paucissimum, &

Rara avis in terris nigroque simillima Cygno.

Plerique magis lubrici sunt quam angues, & sepiæ instar, quicquid atramenti polunt, id effundunt, ne inferiores discedere & herbam victori porrigerere videantur. Quin eo fere res rediit hodie, ut modestissimi quicque contentui habeantur, ab iis, qui disputationum congressus non nisi clamoribus estimant ac contentionibus, & rō aīr æxcrōs hujusmodi congressuum finem esse, persuasum habent:

Sed stat longe alius melior sententia mentis. Disputationes postulamus placidas, sedatas, quietas, benevolas, amicas, blandas, non clamoras, non turbulentas, non difficiles, non iracundas, non contumeliosas. Zelum probamus pro veritate sed absque ira & affectu. Frigidos illos disputationes, qui tantum non super argumento aliquo indormiunt, uti odi mus, ita non amamus Stentores illos, qui clamoribus omnia implent, & probe se se defunctos existimant, ubi altum clamaverint: ac detestamur præsertim eos qui ex ira redduntur ferventiores: uti fumus oculis vifum eripit, sic contentio, excandescens, festinatio, menti tenebras obducunt:

*Impedit ira animum ne possit cernere verum.*

Et iracundæ inter disputandum altercationis pedisseque sunt, similitates, pervicacia, iniurie, veritatis odium, & quid non? Abstineat ergo disputationis, nisi importunus audire velit & impudens, ab his ac timilibus superbæ virulentiaz clausulis: *Tu nescis quid dicas. Tu nihil horum intelligis. Tu cæcus de coloribus judicas. Quid tu scis de hoc arguento?* Habet rem alia plurima, que aduersus hoc delirium preferrem, sed tempus non patitur. Hoc argumentum est lateum, testaceum, stramineum. Et si qui fint alii ructus olidi intemperantis animi. Si adversarius aliquid humani passus fuerit atque erraverit, non ex musca statim oportet

oportet elephantem facere : si castigationis eget, alibi potius quam in disputatione est corripiendus: iis tamen, qui sunt importuniores, pertinaciores, impudentiores, ita respondendum, ne sibi sapere ac triumphare videantur. In disputandi actu perpetua sit vicissitudo & pars utraque audiatur, juxta illud Pöltz:

*Alternis dicetis, amant alterna Camene.*

Turpissimum est, si quis in hoc genere colloquiorum, tanquam si in possessionem suam venerit, alios excludat, & imperato aut facto ceteris silentio, quicquid velit effutiat: Qua garrulitate nihil quidem pervulgatus est multis, nihil tamen veritati invenienda nocentius. Fœdissima est confusio, si plures simul misceant sermones, & insanis clamoribus mutuo decercent: quæ disputandi ratio non absimilis est tempestati Virgiliane, in qua,

*Vna Eurusque Notusque ruunt creberque procellis*

*Africus, & vastos volvunt ad littora flatus.*

Nec has inter turbas agnoscí quod verum, vel internosci quod falso est, unquam potest. Utrumque non tam auctoritatibus pugnetur quam rationum momentis: sacra tamen excipimus semper, quia Dei auctoritas & fallere est & falli neficia: alias, non quis dicat, sed quid dicatur, attendendum, & illud Pythagoreorum *ωντὸς ἵψα* jam à Philosophis diu est explosum. Amicus Socrates, Amicus Plato, sed magis amica veritas: rationes non sophisticae sint aut sycophanticæ, sed claræ, sed accurate, sed perspicuæ: sic enim iis veritas explorabitur facillime: proferantur, vel necessaria, si suppetant, vel probabiles, si illæ deficiant: remis enim propellenda est navis, si venti secundi non spirant. Ingenii tamen Tyronum levioribus sophismatis interdum licet experiri ac tentare, ut argumentorum vitia dignoscant, & canones Logicos ad usum transferant: *Quin & oblationis ergo ejusmodi captiones agitare, non est prohibitum.* Ante congressum disputanti utrique meditandum est probe, quid in medium proferri debeat. Tela prævisa minus

nocent: & facilius eruitur veritas, si queratur diutius: nec vero ruditatis hoc est argumentum, sed vera diligentia documentum. Pericles, illa Suadae medulla, cum vocatus à populo sape esset, ut in concionem descenderet, renuit, quod *ἀνθρώποις*, imparatus esset: idem à Demosthene factitatum, Plutarchus est author. Vanillimi sunt jaētatores, qui, ut dittiores videantur, ad disputandum se imperatos gloriantur accedere, qui si se parassent in tempore, non ex tempore, disputando, suam proderent ignaviam atque inficitiam. Cum ineptus pictor Apelli quondam exhiberet imaginem, eamque subito à se pictam diceret: *Video, inquit ille, etiam si nullus mones, & miror hoc temporis spatio te plures non absolvisse.* Sic inepti etiam sunt illi disputatores, qui disputaturi subito argumentum aliquod, unum atque alterum, ex Scheiblero, in Logicis, aut Conimbricensibus, in Physicis, conquerunt, quorum libri si vacui essent ab argumentis, & hi heroës vacui ad disputandum accederent: non istorum autorum usum contemno aut condemnō: sed argumenta eorum non satis ruminari ac perpendi, nec multa satis meditatione coqui ac digeri, conqueror. Disputator uterque diligenter vitet λογοπεζίας, ne tempus inani verborum contentione pereat & veritas evanescat: amet uterque & sedulo sectetur brevitatem: nihil enim est odiosius quam si in declamationes uterque delabatur ac digrediat: uti veritas ipsa est simplex, ita ejus sermo, qui non multis fucati candoris vel ruboris indiget vel medicamentis vel pigmentis. Auditorum tamen habenda est ratio, qui si rudiores fuerint, rerum scitu dignarum fusior explicatio, à Praefide præsertim facta, nec vitiosa est nec odiosa. An inter disputandum querere aliquid licet, queri hic solet? Sunt enim qui orationem quæstionem captiosam declamat, omnemque rejiciunt, nec quicquam dant responsi. Sed enim quid opus est ista tergiversatione morosa? si quis querat explicationem rei dubitæ, cur discendi cupidum erudire non velimus? si aliena sit quæstio, rejiciatur: si captiosa, vel contraria proponatur, vel præter adversarii expectationem explicetur. Sed quæ singularis

\*\*\*\*\* 2 incum-

incumbant munia, consideremus: illis, qui aliena placita veniunt oppugnaturi, hoc perquam est solempne, ut magno saepe cum impletu, furiosi in morem gladiatori, irrumpant in auditorium & in arenam irruant, atque immanes, vultu, gestu, capite, verbis, spirent minas, quibus partem adversam percussere conantur ac protelare. Hos si spectemus, in mentem nobis veniat illud Horatii:

*Quid dignum tanto feret hic promissor batiu?*  
Huic hominum generi accidit plerumque idem, quod audacilis & in bello inexpertos, qui procaces quidem ante pericula, in ipsa tamen pugna timidi evadunt atque ignavi: eusmodi procacitatis exemplum haud inelegans habemus in Menalca Virgiliano, qui ad Damatum,

----- *Tunc in triviis inde te solebas  
Stridenti miserum stipula disperdere car-*

*men?*  
*Nunquam hodie effugies, veniam quoconque  
vocaris;*

*Efficiam, posthac ne quenquam voce lacef-*

Sed, hanc ad provocationem ineptam, alter nec abjecte nec immodeste respondet:

*Quin age, si quid habes, in memora non erit  
ulla*

*Nec quenquam fugio.* -----

Eadem animi presentia ἡραρδέλας; opponentibus, ac multum de se persuasis, est occurrentum: Modeliam igitur & humanitatem, ut semper, ita præsertim in initio ostentent opposentes: iidem saepe, omisssis thesibus & quæ ad rem faciunt præsentem, opposituri aliena à thesi cupide arripiunt, mordicus retinent, tandem persequuntur, & in alium semper campum deferunt Respondentes. Vitium sane pestillum, & quod si obtineat, jam in *Ethicis Physica*, in *Logicis Ethica*, in omnibus questionibus omnia dimicabuntur, quod postulare stultum est, conari temerarium. Ad hanc classem eos referimus, qui rem ipsam, qua de est disputandum, seponunt, & modum tractationis exagitant, cum hujus minor, illius potior sit ratio & consideratio. Et hoc familiare est inter opponendum multis, ut eadem subinde repetant & regerant: sed,

*Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:* non equidem hoc postulo, ut Opponens tanquam canis è Nilo bibat & fugiat, id est, ut è vestigio causam suam deserat & quodlibet respondum indiscriminatim boni consulat & gratiam agat: sed hoc volo, ut vim sui argumenti serio sequatur, verum ubi satis ei fuerit factum, novas adducat tum rationes. Respondentem direkte licet invadere, licet oblique;

*Dolus an virtus quis in hoc requirat?* nolim tamen Opponentem meum in sophismam evadere & perpetuis indulgere sophismatis; ad veritatem, exercitii gratia, oppugnandum, argumentorum aliorum est satis; quin omni licet uti argumentorum genere omnibusque mediis, quoconque tandem è loco deductis; nec enim certa argumentandi materia ac forma adstringi Opponens magis, quam Avis libero volans cœlo cavea concludi potest. Sed, ut simul ac semel Opponentis officia recitem; præter ea qua dixi, sequentia observet, ut feliciter opponat: non plures simul rationes coacervet, non conclusiones multas sed unam inferat, non diversos syllogismos confundat, nunquam sibi ipsi contradicat, nunquam, quæ fortia non sunt argumenta, pro fortibus vendat, nunquam studium sibi defuisse in se preparando ostendat. Respondentis partes, ut de iis nunc dicam, sunt; argumentum assumere, & examinare ac solvere. Argumenta repetenda sunt, non semel sed bis interdum, propter, tum *Audatores*, tum *Opponentem*, tum *Respondentem*: propter *Audatores*, ut quid veretur in controversia rectius intelligent, præsertim cum vocem Opponentis saepe pauci excipere possint & exaudire; propter *Opponentem*, ut norit, an mentem suam assequatur is cum quo disputat, multos enim Andabatarum more clausis oculis pugnare vidi, ut de cæpis opponeret unus, de alliis responderet alter: propter *Respondentem*, ut aliquid habeat temporis, quo de commoda solutione dispiciat; neque enim cujusvis est αὐτοχθόνη meditari, dicere, docere; in arguento repetendo nihil est omittendum, nihil addendum, nihil immutandum; de repetito videndum, an thesa feriat, necne: si non feriat, rejiciendum absque ulteriori responso: vana enim est & inepta respon-

respondendi ratio, quum quis agit, argumentum quidem non est contra thesim, nihilominus respondeo. Cur enim Athlete excipiat iectus, qui non se sed aera vibrant? Argumenta assumta, vel solvi possunt, vel nequeunt. Si nequeunt, vel in se omnino refutari non possunt, vel non possunt a nobis. Si per se sint *ἀληθεῖαι*, veritati cedendum, quod bonis à viris nemini datur vitio: improborum vero judicia non sunt pluris facienda quam cicadarum strepitus. Sin nobis tantum sint talia, non tamen animus continuo despondendus, sed vel ad meditandum aliquid petendum temporis, & in aliam occasionem responsum est differendum, vel æque firma aut etiam firmiora in contrarium opponenda, quod tamen non nisi hoc in casu faciendum existimo: nam qui contrarias opponit rationes Respondens, ab Opponente allatas non solvit, & *νομονόμως* mutat in *ἀναρτέλω*: multos reperire licet Respondentes, qui si irrestiti hærent, ad convitia confugiunt non aliter quam ad equos claudi, & Salmo*ne* instar Virgiliani tonare incipiunt & fulmina emittere, sed bruta, quod plerumque superiores factitant si ab inferioribus teneri se sentiant. Hic tum audiare est eorum voces; *Ego pro autoritate silen-  
tium tibi impero. Tace, neque enim te audire  
volo.* Qui modus quidem est nodos argumentorum fecandi, non solvendi, & via, ex angustiis eluctandi, sed veritatem non inveniendi. Alius est perverse respondendi mos multis usitatus, quo convitia non quidem projiciunt, fumum tamen faciunt, ut elabantur: quod tum potissimum fit, cum ea, quæ ad rem non faciunt, non sine supercilie proferuntur, & ex tempore, quod familiare est pluribus, inaudita prius & nulli unquam cogitata & inintellegibiles configuntur distinctiones, quæ licet imperioribus, ut aliquod Gorgonis caput, non parum terroris incutiant, à doctioribus tamen non alio quam vanæ cujusdam *Empusa* & larva loco habentur. Atque hæc sacra tum est anchora ad quam configitur: *distinguo bi-  
fariam, trifariam: est in potentia, non in actu: est  
in actu, non in potentia: A'ν λογι, & simpliciter,  
nego: οὐτάν, & secundum quid, concedo: ne  
alias distinctionum myriadas hic recensem,  
quarum aliquæ omnibus fere responsionibus*

accommodantur, quasi unus calceus omni pedi adaptetur. Non ego distinctionis usum culpo, sed abusum arguo. *Sæpen nega, concede parum, distinguo frequenter:* in argumentis enim solvendis, aut negatione utendum, aut concessione, aut distinctione: sed omnibus prudenter. Respondentem, formæ prius in Syllogismo quam materiæ rationem habere velim: & sive ad hanc sive ad illam respondeat, operam det serio, ne unquam lingua mentem præcurrat, ne per incogitariam ea effutiatur, quæ causæ suæ obsunt: quod factum sive vidi non sine vel pudore vel impudentia multorum. Si ea quæ objiciuntur aliena sint & *ἀναρτέλων* atque ad rem non pertinentia, *διδιώται* utendum seu repulsione, & ad verum controversiæ statum ducendus adversarius. Ejus formulam non illepidam legi aliquando apud Martialem.

*Non de vi, neque cæde, nec veneno,*

*Sed lis est mihi de tribus capellis:*

*Vicini queror has abesse furo:*

*Hoc judex sibi postulas probari.*

*Tu Cannas Mithridaticumque bellum,*

*Et perjuria Punici furoris,*

*Magna voce sonas manuque tota.*

*Iam dic Posthume de tribus capellis.*

Sed tandem Auditorum officia verbulo innuam: quæ sunt, attentis auribus, sedula mente, publicas *συζητήσεις* & disputationes audire; reverenter & modeste & juxta *τὸν τρόπον* ac decorum loci, temporis, & personarum, se gerere, Veritatem perceptam diligenter recondere, & eam ad vitæ communis usum dirigere ac referre. Atque ab hisce Auditorum partibus longissime abeunt, qui applausu non necessario perstrepunt, risu, sannis, ronchis, sibilis, fabulis, pedumque supplosionibus ingentes excitant tumultus, ut, qui adfunt, exteri & inquinili, videantur sibi non in *Scholarium* umbraculis, sed in *Circæs* stabulo commorari. Barbara plane consuetudo, fera, foeda, pestifera, & qua animi sui stolidam temeritatem, aliorum atque eruditio[n]is contemptum, honestorum exercitorum, atque in primis veritatis, de qua invenienda in disputatione laboratur, odium, aliaque in se vitia produnt ac prouident: Non sic agunt, quies

\*\*\*\*\* 3

De me.

*De meliore luto finxit præcordia Titan,  
quibus unica est voluptas, ut animum rerum  
optimarum notitia imbuant, & veri cognitio-  
ne ad Deum, veri omnis fontem ipsamque  
Veritatem, quam proxime accedant: quod si*

Disputationibus & habendis & audiendis in  
posterum consequamini, *Auditores Orna-  
tissimi*, ego dissertationis hujus scopum, vos  
laboris & diligentiae vestreæ consecuti eritis  
finem.

## D I X I.

Dispu-

# Disputationum ex Philosophiâ selectarum

## P R A E L I M I N A R I S

### P A R S P R I O R,

D E

# S V B S T A N T I A.

### T H E S I S I.



Nstitutum Præsidis est, materias illas feligere, ac ventilationi publicæ, sed modeſtæ ac placidæ, atque ad veritatem serio indagandam institutæ, ſubjictere, quæcumque cum fructu diſputari poſſunt, & uſum alicubi ha- bent in facultatibus superioribus: illas præterire, quæ aut nullam omnino habent utilitatem, aut ſola ſeſe ſubtilitate commendant. Diſputando autem pervagari decretum eſt per omnes Philosophia partes: in diſputationib⁹ vero feligendis ordine uti arbitrio viſum eſt, modo hanc, modo illam, quæ in manus inciderit, pro arbitrio cujusque, arripiendo: im- preſtentiarum ſubſtantiae naturam, publico ex- miniſtere, conſtitutum eſt.

II. Receptiſima eſt diſiſio entis in ſubſtantiam & accidens: quædam enim entia, vi- ſuā ſubſiſtunt ac per ſe, alia non per ſe nec vi- ſuā: quorum illa & ſtia, ſive ſubſtantias appella- mus, hæc συμβιθντα, hoc eſt, accidentia, eveni- tū, additamenta; ſunt namque veluti ἀρχαι- φύλαξ, atque appendices ſubſtantiarum: co- rum enim eſſe non eſt ἵστηται, ſed εὐπάρε- χειν, ſive inneſe ſubſtantii: unde etiam dicun- tur entia ἄκχειται, inseparabilia: per ſe ſub- ſiſtare, non excludit dependentiam ab omni- bus cauſis, ſed tantum dependentiam à ſubje- cto, eſtque nihil aliud, quam, non eſſe in alio tanquam in ſubjecto: eſſe in ſubjecto Arist. c. 2. categ. dicitur, quod, cum in aliquo eſt, non ut pars, non potest tamen ſine eo eſſere in quo eſt, quod proprium eſt, accidenti ſicut proprium ſubſtantiae eſt, non eſſe in ſubjecto: unde li- queat, hanc entis in ſubſtantiam & accidens di-

viſionem, exhaustire totam entis latitudinem: Quicquid enim ens eſt verum, aut in ſubjecto eſt, aut non in ſubjecto: quod per ſe ſubſiſt, non eſt in ſubjecto: quod non ſubſiſt per ſe, hoc eſt in ſubjecto: & contra, quod eſt in ſubjecto, non ſubſiſt per ſe: &c, quod non eſt in ſubjecto, ſubſiſt per ſe: hi enim duo modi, existendi in ſubjecto & non existendi in ſubjecto, tam immediate opponuntur, ut contradicitionem implicet, ſi quis aut illud quod per ſe ſubſiſt, v. c. ſubſtantiam, dicat eſſe in ſubjecto, aut quod eſt in ſubjecto, v. c. acci- dents, dicat per ſubſiſtare: qui enim hoc dixerit, idem dixerit eſſe ſubſtantiam & accidens, id eſt, ſubſtantiam & non ſubſtantiam, acci- dents & non accidens: in quantum enim illud ſtatuit per ſe ſubſiſtare, ſubſtantiam dicit, in quantum hoc idem in ſubjecto eſſe afferit, acci- dents dicit & non ſubſtantiam, &c.

III. Sed queritur hoc loco, qualis illa sit di- viſio entis in ſubſtantiam & accidens, an uni- voca, an aequivoqua, an analoga? Diversæ diver- forum ſunt ſententiae. Statiuimus autem, eno- non dici aequivoce de ſubſtantia & accidente: nam ὁρονυμα λέγεται, ὁ ὁρος μόνος καὶ δίκαια λέγουσα λόγος ἐπιστηται, id eſt, ho- monyma dicuntur, quorum nomen ſolum commu- ne eſt, ratio vero eſſentia communis nomini accom- modata, diversa, ut definit Arist. c. 1. Cat. At vero ſubſtantiae & accidenti non ſolum nomen entis communis eſt, verum conveniunt etiam in communi ratione & ūvai, cui repon- det vox, ens: proprius enim entis actus, & λόγος τοῦ αἰδος, eſt, eſſe: eſſe ſcilicet, ſecundi ad- jecti, non tertii: nam omne ens eſt, & quic- quid eſt, ens eſt, & contra: at n̄ eſſe ſecundi

A

adj eſti,

adjecti, & substantiae & accidenti competit; utrumque enim est, & ens est; convenienter igitur in communi ratione entis substantia & accidentis, quod contra naturam homonymorum est. Verum-enim-vero licet substantia & accidentis aequivoca non sint, non tamen pernitus sunt univoca; perfectè enim univoca dicuntur, quibus λόγῳ & στοιχίᾳ, communi nomini respondens, ita ut nomen ipsum, ex æquo communis est: at λόγῳ & στοιχίᾳ, respondens communi nomini entis, convenit quidem substantiae & accidenti, sed non ex æquo: substantiae primariò & per se, accidenti secundariò per & propter substantiam: accidentia enim dependent à substantiis, & in quantum sunt accidentia, & in quantum sunt entia: quod enim accidentia sunt entia, & talia, quæ insint, substantiis acceptum referunt.

IV. Supereft ergo, ut ens sit media conditionis inter univoca & aequivoca, atque ex eorum numero, quæ dicuntur Aristotelii lib. i. de ortu & interitu c. 6. §. 44. ἡ περὶ τῆς ἀπόρεως, καὶ τῆς αποτέλεσμας, id est, quorum alia ab aliis prioribus dependent, atque hoc ipsum disertè docetur l. 3. Metaph. cap. 2. ubi Philosophus sic ait, τὸ δὲ λέγεται πολλαχοῦ, οὐδὲ τρεῖς ἢ τριῶν τίνα φύσιν. Εἰ δὲ εἰκονίων, id est, ens quidem dicitur multipliciter, verum ad unum, unamque quandam naturam, non vero aequivoce: dicit ens esse ex τρεσσιν, non vero en τριφίνοις, nam αφ' οὐδὲ dicuntur ea, quorum unum, quod principiū efficientis aut exemplaris rationem habet, ceteris, quæ ab illo principio dependent, denominationem tribuit: veluti, si hominem Medicum dicas, & librum medicum, scalprum medicum, à Medico scilicet factum: at ea dicuntur τρεσσιν, quorum cetera ad unum referuntur, tanquam ad finem aut ad subiectum, ab eoque denominationem habent, veluti, cum animal sanum dicitur, & medicina, & virtus, & id genus alia: in hoc genere est ens ad substantiam & accidentis relatum: nam substantia proprio suo jure dicitur ens, accidentia dicuntur entia, quia substantiis accidunt, iisque insint, tanquam in subiecto: & hæc medii generis inter homonyma & synonyma, Scholastici vocant analogia, quæ faciunt, alia proportionis, alia

attributionis: cum ens, respectu substantiae & accidentis, analogum dicitur, intelligitur analogum attributionis: sed speciatim definitionem substantiae excutiamus.

V. Substantia vulgo definiri solet, *ens per se subsistens & substantans accidentibus*: substantia vocem derivant nonnulli à subsistendo, quod non alienā, ut accidentis, sed suā propriā vi subsistat; alii à substando, idque duplī sensu, positive & negative: positivo sensu à substando derivatur substantia, quia aliis nempe accidentibus substet; negativo sensu, quia ipsi substantiae non substet aliud, hoc est, illa non adsciscit aliud, in quo sit ac sustentetur. Hoc quidem definitum est: definitionis partes sunt, ens, quod est quasi genus; differentiae vicem tenent verba reliqua: tota definitio proprie tantum competit substantiis finitis: Deus enim nullis substet accidentibus: quoties ergo Deus substantia dicitur, id intelligentem est tantum de priori parte definitionis, quia & quatenus per se subsistit: illa enim verba (*per se subsistens*) potiorem faciunt partem in definitione istâ; itaque maxime consideratu sunt digna.

V I. *Tò per se subsistere*, vel sumitur latè, vel strictè: latè, significat modum existendi, quo ens aliquod ita existit, ut nullo modo alteri insit, sed aliis rebus sibi inexistentibus substernatur: strictè, quo ens aliquod ita existit, ut alteri non insit tanquam subiecto, licet inesse posfit alteri per modum partis, aut alio modo; quæ distinctio ut intelligatur, opere fuerit, ea rerum genera, quæ aliquo modo dici possunt esse in alio, recensere. 1. Accidentia existunt in alio, scilicet in subiecto. 2. Partes, tum essentiales, tum integrales, existunt in toto. 3. Ipsa natura rei totalis & singularis est in eo, cuius est natura, per modum formæ: natura enim rei seu essentia habet per modum materiæ; & sic non solum natura universalis inest in singularibus, ut humanitas in Petro, Paulo, Johanne; sed singularis natura inest in eo supposito cuius est natura: sic singularis natura Petri (quam docendi causa barbarè Petritatem vocabimus) inest in ipso Petro, id est, in ipso Petro includitur: Petrus enim non est humanitas Petri; sed est quid confitans

constans ex sua humanitate singulare, & substantia ei superaddita, ideoque bene singulare ejus humanitas ei inesse dicitur : *n*n* per se subsistere latè sumptum, negatur de omni ente, quod ad aliquam trium istarum classium referri potest, & sic in definitione substantiae non sumitur : *n*n* per se subsistere strictè sumptum, negatur tantù de primæ classis entibus, de secundæ & tertie classis entibus affirmatur, & sic sumitur in definitione substantiae.**

VII. Quando itaque *n*n* per se subsistere* sensu secundo significat, non esse in subiecto, omnis & sola substantia, sive sit universalis, sive sit singularis, sive completa & totalis, sive incompleta & partialis, vere dicitur ens per se subsistens : contra vero accidentia non subsistunt per se, quia existunt in alio, ut in subiecto, scilicet, in quo inharent: si *per se subsistere* sensu primo dicatur, quod non existit in alio, ita ut ab eo pendeat quoad existendi actum, id est, ita ut propter imperfectum existendi modum suum extra illud & per se existere nequeat, jam non solum accidentia non subsistunt per se, sed nec substantiae universales subsistunt per se, quia à singularibus dependent quoad existentiam actualem: homo enim existit in Petro, Paulo, &c. Nec materia, nec omnes formæ materiales à materiæ potentia educibiles, subsistunt per se, quia dependent à supposito in quo sunt, ut extra omnem suppositum existere nequeant ; immo nec ipsæ substantiae singulares nominibus abstrahitis significatae, hoc est, singulares essentiae substantiarum creatarum subsistunt per se: singularis enim humanitas Petri ita existit in Petro, ut per se & extra omnem suppositum existere nequeat ; quamvis enim singulares homines per se & nullo modo in alio existant, singulares tamen naturæ humanæ non per se, sed in singularibus suis suppositis existunt: hac significatione latâ, tantum per se substantiae singulares complete & prædicamentales concreto nomine significatae, hic homo, hic equus, hic lapis, quia nec per modum partis, nec per modum naturæ, nec per modum formæ, seu substantialis, seu accidentalis, nec per modum quasi formæ, in ulla re existunt.

VIII. Ut ergo concludamus, & hæc omnia ad definitionem substantiae applicemus, patet, quod, cū substantia definitur *ens per se substantens*, tere per se subsistere strictè aut sensu secundo sumatur, pro eo quod per se existit extra omne subiectum in hæc ionis, non vero sumatur latè aut sensu primo, quia tum secundæ substantiae seu universales non forent substantiae, materia, formæque substantiales materiales (si sint tales, quod hujus loci non est disputare) substantiae dici non possent, natura singularis etiam in abstracto spectata, substantia non esset, in quantum nihil eorum alteri inest ut subiecto: substantia enim secunda inest primis, sed non tanquam in subiecto, sed ut pars: sic formæ materiales partes sunt totius compositi, & natura singularis pars est & quasi forma substantiae singularis ; quæ omnia clariora erunt, ubi natura *accidentis* exposita fuerit, ac tu altera definitionis pars, qua substantia substatere dicitur accidentibus, clarior etiæ patebit, quod disputatione præstabilitur altera sequenti.

IX. Substantia potest dupliciter spectari, vel absolute, ut est *ens per se substantens*, quod jam exposuimus, & sic dividitur in substantiam corpoream & incorpoream, & illa est divisio generis in species, vel comparatè, respectu accidentium, ut iis substantia tanquam subiectum, & ita dividitur in primam & secundam, id est, in primum & secundum subiectum: nam substantia prima, id est, singularis, est primum subiectum, & ejus gratiâ ac beneficio, substantia secunda, id est, universalis, est subiectum, ideoque secundum appellatur : & est hæc divisio analogi, ut loquuntur, in sua analogata, quia prima substantia est magis substantia & prius substantia, id est, magis & prius est subiectum accidentibus, quam secunda ; neque enim putandum est, substantiam sic divisionem habere rationem generis, aut primam & secundam substantiam species esse : hoc enim si verum foret, deberent prima & secunda substantia contrariari, nec posse de se invicem, nec de eodem tertio, prædicari, nec sibi invicem subordinari: nec de se invicem, nec de eodem tertio prædicantur, ut quidem utrumque locum habet in substantia prima & secunda.

X. Ne vero substantiæ in primam & secundam divisionem offendiculum præbeat, & in detrimentum arripiatur fidei, quemadmodum ea abutuntur, ad Incarnationis & Trinitatis mysteria evertenda, *Antitrinitarii*, eam paulo plenius ob oculos ponemus. Substantia secunda seu universalis, est multiplicabilis in pluribus inferioribus atque individuis, ut *homo*. Substantia prima seu singularis, est substantia non multiplicabilis in pluribus inferioribus atque individuis, ut est, *hic homo actu in rerum existens natura*. Substantia singularis est, vel non suppositum, vel suppositum: sub-

stantia prima non suppositum, est substantia singularis alteri supposito vel suppositis communicabilis, ut humana Christi natura & essentia Dei. Substantia prima suppositum, est substantia singularis alteri supposito seu suppositis non communicabilis: estque, vel irrationalis (vulgo suppositum stricte dictum) ut, hic leo, hic lapis; vel rationalis (vulgo persona) ut Pater, Filius, & Spiritus S. in Trinitate, Gabriel inter Angelos, Petrus inter homines. Unde persona non malè definitur, substantia singularis intelligens, non pars altius, nec ab alio sustentata, de quā alias.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

## P R A E L I M I N A R I S

## P A R S P O S T E R I O R,

DE

## A C C I D E N T E

## T H E S I S I.

**A**CCIDENTIS natura melius cognosci nequit quam ex definitione & institutione ejus cum substantiis collatione: quod utrumque hanc disputationem agere est animus. Solet definiri *Accidens*, ens *substantia inhærens*: inhærente substantiæ, nihil est aliud, quam esse in substantiâ ut in subiecto: esse in subiecto vocat *Arist. cap. 2. Categoriarum*, & in ratiōne, in actu, in diversitate, & diversitate, & invenit se in aliis: quod cum in aliquo sit, non ut pars, non potest tamen esse sine eo in quo est: in qua descriptione tria dicuntur de eo, quod est in subiecto. Primo, ut sit in aliquo; nam quod nulli inest, nequit esse in subiecto. Secundo, ut non insit tanquam pars, id est, ut non pertineat ad essentiam aut integratatem ejus, cui inest, aut alicujus, quod est unum per se. Tertio, ut separatum ab eo, cui inest, nequeat existere, id est, ut ejus esse sit inesse: at hæc omnia locum habent in accidente. Ergo accidens inhæret substantiæ ut in subiecto.

II. Sed hic maxima est difficultas in hanc definitione & inherentiâ accidentis explicanda: Quæritur, an definitio de actu an de potentia explicari debeat? an intelligatur inherentia actualis an aptitudinalis? aut, ut status controversie ab aliis proponitur, an accidens ideo sit accidens, quod actu inhæreat, an quod possit inhære? aut, ut alii questionem instituunt, an, si est, & cum accidens erit in rerum naturâ, hoc ejus sit essentia futura, ut actu inhæreat substantia, vel an existere possit & tamen non inesse subiecto; immo an actu sit & tamen non insit? Posteriori à quā plurimis, inter veteres & modernos Philosophos, statuitur ac defenditur: autores non citamus, cum receptissimi passim omnibus pro hanc sententiam pugnant; & est, cur plerique id agant: nos tamen contraria, essentiam accidentis, cum existit aut existere supponitur, in eo esse sitam assertimus, non ut possit inhære, sed ut actu inhæreat substantia, aut actu inhære supponatur, adēque in definitione non aptitudinalem sed actualem

*lem inherētiam intelligi*, pronunciamus; quod cum dicimus, non negamus accidentis posse privari inherētiā actuali, quatenus potest destrui. Sed id dicimus, *accidens*, quando & quamdiu manet in sua entitate actuali, non posse privari inherētiā actuali, & hoc sensu, dicitur illa inherētia esse essentia ac de essentiā accidentis, imo de ratione formalis, quatenus, per inherētiam illam actualēm, accidentia definiuntur, solent enim definiiri ceteras, ut loquitur Arist. lib. 7. Metaph. cap. 4. Hoc igitur est, quod argumentis & rationibus confirmare conabimur; nempe, *absoluta simpliciterque impossibile esse*, *accidens aliquod separatum sine subiecto per se existere*.

III. Primum nostrum argumentum est de sumptum ex Analogia entis, quam disputatio ne priori demonstratam videtur est: ratiocinationem instituimus hōc modo. Si accidentis per substantiam sit ens, ergō dependet à substantiā, non tantum quā est accidentis, sed & quā est ens: Sed verum est prius; ergō & posterius. Minor probatur, quia accidentis per substantiam definitur tanquam per causam. Major probatur ex naturā entis aut generis Analogici, quā talis est, ut per se & prius conveniat speciei uni, quam alteri, & alteri non nisi ratione prioris speciei, à quā species posterior sive altera dependet in essendo & existendo: unde ob ināqualem istam generis attributionem. Analogia attributionis talia Scholastici vocarunt: jam verò, si accidentis, (ex vi iustius analogicę attributionis, quā ens tribuitur substantiæ & accidenti,) non tantum quā tale, sed etiam quā ens, dependeat à substantiā, ergō quod accidentis fit ens, debebit substantiæ, hoc enim ex analogicā attributione sequitur: si accidentis, quod fit ens, debet substantiæ, ergō substantiā substantiā, quia subiectum est, accidentis ne quidem erit, neque etiam manebit ens; ergō extra subiectum accidentis esse non potest: substantiā enim causā tollitur effectus: at substantia sive subiectum est causa accidentis; nam quod accidentis fit, imo quod tale fit, à substantiā est.

IV. Ad hoc argumentum regerunt *Adversarii*, ita se rem habere natura uter, verum

supernaturaliter contendunt, posse accidentis esse extra subiectum, Deo per concursum extraordinarium supplente defectum subiecti: sed concursus iste impossibilis est & Deo injurius; quod probo. Subiectum concurrit ad existentiam accidentis per causalitatem & modum cause materialis: causa materialis causat per modum potentiae: potentia notat imperfectionem: imperfectio non habet locum in Deo: ergo Deus non potest concursu suo defectum subiecti suppleri: nam quidquid Deus causat, causat causalitate externā: vel efficientis vel finis: at causalitas efficientis vel finalis non potest esse causalitas materialis; sic enim omnes causæ confunderentur, & causa interna effet eadem cum causalitate externā, ingrediens existentiam causati & extra eam manens: imo Deus hōc modo subiectum fieret verorum accidentium, ac vera darentur accidentia in Deo, quod statuere, impium est. Ergo concursus iste fictus est, & exceptio invalida: sed ulterius ejus robur nullum ostendamus, quod argumentum secundum esse potest.

V. Si substantia ne virtute quidem supernaturali possit esse in subiecto, ergo accidentis etiam non potest esse sine subiecto virtute supernaturali (quia inter se opponuntur) Sed verum est prius; ergo & posterius. Excipiunt *Adversarii*, substantiam posse esse in subiecto virtute supernaturali: sic humanam Christi naturam, quę substantia est, in divinā natura ut in subiecto esse, afferunt: verum enim verò hoc falsum est, quod ajunt: humana enim Christi natura dependet à divina quoad subsistentiam tantum, est enim assumpta in subsistentiam & personalitatem divinæ naturæ, non autem dependet ab ea propriè quoad existentiam aut existentiam, ut id quidem requiritur in eo, quod ineat in alio ut in subiecto, quod ab eo in esse & existere dependet: verum, ut haec res plenè intelligatur, hoc observandum est, quod nō per se subsistere, interdum nature substanciali tributatur, & istō modo natura Christi humana per se subsistit, interdum supposito seu individuo substanciali, & hōc modo humana Christi natura non per se subsistere potest, quia subsistit subsistentia divinæ naturæ; est enim una tantum persona, constans duabus naturis:

verum non ideo non est substantia, sed ideo non est suppositum: itaque humana natura non est in divina aut natura aut personâ, ut accidentis in subiecto, sed ut pars in toto ( licet impropus hic sit fermo ) aut potius, ut sustentatum in sustentante. Tota difficultas expeditri potest distinctione vocis, *subsistere*, seu *per se existere*: nam *si subsistere*, vel *per se existere* opponitur, vel ei quod exsilit in alio inhexivit, vel ei quod exsilit cum alio, non tamen inhexivit, seu ut clarius loquar, ei quod non exsilit solitariè, nec certum ac singulare suppositum constituit: priori sensu exsilit per se & subsistit natura Christi humana: posteriori sensu nec subsistit, nec exsilit per se, sed per naturam divinam ejusque subsistentiam. Ergo manet argumentum à definitionibus accidentis & substantiarum contrariis deflumptum, quod ulterius sic deducimus.

V I. Si substantia non modo insit in subiecto, sed ne esse quidem in eo ullo modo possit, ergo accidentis etiam non modo non est sine subiecto, sed ne ullo quidem modo sine eo esse potest, sed verum prius, quod ex thes. præced. ostensum est. Ergo & posterius. Major sic confirmatur, quia contraria sunt contrariorum consequentia: cum igitur Substantia definitur, ens per se subsistens, non verò, quod potest per se subsistere, Accidentis etiam definitum est, ens, quod inesset in subiecto, & non, quod potest inesset: nam sicut aliud est, per se subsistere, id est, non esse actu in subiecto, aliud, posse per se subsistere, id est, posse non esse in subiecto, ita aliud est esse actu in subiecto, aliud posse esse in subiecto, proinde, cum Substantia formalis ratio constitutatur in *si per se subsistere actu*, non verò in *si posse subsistere per se*, etiam accidentis formalis ratio est statuenda in *si actu esse in subiecto*, non verò in *si posse esse*; consequenter, ut Substantia definitur per Subsistentiam actualem & non aptitudinalem, ita & Accidentis definitum est per inherenciam actualem non aptitudinalem.

V II. Hoc argumentum Thes. 6 relatum totum nititur immediatâ oppositione, quæ est inter hæc duo, *subsistere per se*, & *esse in subiecto*, quorum alterum alterius negationem

includit: nam per se subsistere significat non esse in subiecto; &, esse in subiecto, non subsistere per se: ergo, ut Substantia essentia est subsistere per se, id est, non esse in subiecto, sic contrà, Accidentis essentia est non subsistere per se, id est, esse in subiecto: unde ulterius sequitur, ne Deum quidem posse facere accidentis, quod non sit in subiecto, quia faceret accidentis non accidentis: ut enim non potest facere hominem, qui non est animal rationale, hæc enim est ratio formalis ac constitutiva & definitio hominis; ita non potest facere accidentis, quod non insit in subiecto, quia inesset in subiecto est ratio formalis ac constitutiva & definitio accidentis: at definitum sejungere à definitione, esset, rerum naturam evertere, quod procul est à Deo: & profecto, si Deus id potest facere, quod non posse ostendimus, posset facere, ut idem simul esset & non esset, quæ est manifestissima contradictione, impingens in axioma receptissimum: *Idem non potest simul esse & non esse*; quam contradictionem in hoc negotio implicari sic specialiter ostendo.

V III. Si omne accidentis ex sententiâ Adversariorum per divinam omnipotentiam possit non esse in subiecto, poterit per se subsistere, ita tamen, ut maneatur accidentis: Ergo omne accidentis poterit per divinam omnipotentiam esse Substantia & manere accidentis, id est, poterit per se subsistere & non per se subsistere, esse in subiecto & non esse in subiecto; esse accidentis & non esse accidentis. quod quid aliud est, quam rerum ordinem à Deo constitutum à Deo perverti? quid aliud quam contradictionem implicare? quam tollere omne discriumen inter substantiam & accidentis? hoc enim discriumen est inter ea, quod Substantia, per se cum subsistat, in subiecto esse non possit: Accidentis, cum sit in subiecto, per se subsistere nequeat: at sublatâ differentiâ essentiali confundi species necesse est: sunt enim species, quarum una ab alterâ differentiâ essentiali differt. Ergo merum Chaos rerum & non unam contradictionem parit Adversarium opinio.

I X. *Hæc quidem natura fuit ac definitio Accidentis*, quæ ut illultrior adhuc evadat, non

non inutile fuerit hic adjungere *comparationem*, quam cap. 5. *Categoriarum instituit Arist.* inter substantias secundas & accidentia respectu prædicationis de primis: hæc enim res a liquido lucis attulerit. Substantiae secundæ Aristotelii dicuntur de primis univocè, id est, secundum nomen & definitionem, quæ essentiam cuiuslibet rei exprimit. At de accidentibus distinctè hic philosophandum est: vel enim considerantur in abstracto, vel in concreto: aliud est albor, aliud album: quando Arist. ait cap. cit. permulta esse accidentia, quorum nec nomen nec definitio de primis substantiis dicitur, abstracta intelligit: non enim Socrates aut ulla substantia dicitur albedo, nec definitio albedinis magis de Socrate aut ulla substantiâ dicitur: quoniam de quo nomen non dicitur, de eo quoque non dicitur definitio: concreta vero accidentia intelligit, cum aliquorum nomen de subjecto dici afferit, non tamen definitionem: nam albus dicitur de Socrate, sed definitio ejus non dicitur, id est, non dicitur tanquam definitio Socratis, sed tanquam definitio albi: nam alioquin certum est, de quo dicitur definitum, de eo etiam dici definitionem: & accidens concretum tam secundum definitionem suam propriam dicitur de Substantiâ primâ, ut de subjecto, quam secundum nomen: tam enim ipsa definitio albi in concreto dicitur de Socrate quam ipsum nomen, nisi quis definitum alicui tribui velit, definitionem non item, quod est inceptio: res aliter se habet in substantiis secundis, quæ quoad nomen & definitionem

etiam dicuntur de primis: quod explicata opera pretium fuerit.

X. Propositio illa Arist. *Substantiae secundæ affirmantur de primis tum secundum nomen tum secundum definitionem*: intelligitur secundum definitionem tam suam quam subjecti sui; ita Homo dicitur de Socrate, non tantum secundum definitionem suam, ut, animal rationale, est definitio hominis, sed etiam secundum definitionem ipsius in enunciatione subjecti, ipsius scil. Socratis, ita ut definitio hominis tanquam definitio ipsius Socratis de Socrate dicatur: si enim rogavero, quid est Socrates? respondebis, est animal rationale; quæ definitio non tantum hominis est sed etiam Socratis: alia enim essentialis definitio dari nequit: definitio, quæ eum ita definiat, ut distinguatur ab aliis hominibus, essentialis est & ab accidentibus tantum peti potest, quæ numericam & accidentalem, non verò specificam & essentialiem differentiam porrigit. At quando definitio albi in concreto, dicitur prædicari de pariete, non tamen prædicatur ut definitio parietis, alia enim ejus definitio essentialis dari potest: prædicantur itaque, ut concludam, de substantiis primis, & substantiæ secundæ & accidentia concreta, & quoad nomen & quoad definitionem, sed diverso tamen modo & sensu jam explicato: alii discrimen prædicationis hoc modo exprimunt: Substantiae secundæ prædicantur in quid essentialiter, Accidentia in quale accidentaliter, illæ, ut de subjectis prædicationis, hæc, ut de subjectis in hæfsonis.

### Disputationum ex Philosophiâ Selectarum

P R I M A,

D E

### PERSONA.

**E**xposita sunt ventilationi publicæ Disputationes duæ, de Substantiâ prior, de Accidente posterior, quæ, quod generalissimum Ensis divisionem continerent, tanquam præliminares,

omnibus aliis disputationibus de quocunque ente particulari instituendis, erant præmittenda: & quia institutionum Præsidio, primâ primâ disputationis thesi indicatum, est, ut materia, utiles præser-

præsentim, posthabitis inutilibus, ex universa feligerentur Philosophia, & ad disputandum proponerentur methodo arbitriaril pro ipsius & cunctis Respondentis arbitrio ac judicio, hanc De-

PERSONA, ex disputationibus feligendis dignitate atque utilitate nulli secundam, primam facere placuit.

## THEISIS I.

**D**E PERSONA aetoris, antequam ad rem ipsam progrediamur, vocabuli homonymiam indicare opera preium fuerit, ut eo exquisitius, quæ de re instituatur disputatio, innotescat. Solet itaque PERSONA aliquando significare qualitatem, ut cum quis in Comœdiâ dicitur sustinere Personam Regis, vel senis, vel juvenis: interdum vero & substantiam denotat, ut cum dicimus Petrus est persona; quæ significatio non invitâ Latinitate (ut quidam autumant, qui solam qualitatem significare volunt) accepta est, verum apud probatos Latinos autores extat & passim usurpatur. Quin & Deo personæ nomen attribuitur, cui si conveniat juxta varias habitudines & attributa, jam non tres, sed longè plures personæ in Deo erunt, quod absurdum esse ipsi Adversarii non diffidentur. Nos itaque de Personâ, ut substantiam denotat, impræsentiarum agemus; ea autem sic solet definiri, Persona est substantia singularis, completa, intelligens, incommunicabilis, quæ non est pars alterius, nec ab alio sustentatur.

II. Primo quidem dicitur substantia singularis, ut removantur universalia, illa enim non subsistunt, nisi in singularibus, qui est modus subsistendi imperfectus: Persona autem id denotat, quod excellentissimo modo subsistit. Deinde, debet esse completa, cum id quod incompletum est habeat incompletum modum subsistendi: at vox Persona iis tribuenda est, quibus perfectissime convenit & subsistere. Tertio, in personæ definitione requiritur, ut sit intelligens, & sic Melampus, Phylax, aut alia quedam supposita, quibus intelligendi facultas negata est, à Personæ definitione arcentur: In hoc enim sita differentia est inter suppositum & personam, quod suppositum in genere deriaret omnem substantiam singularem, completam, & incommunicabilem, persona autem insuper requirat ut sit

intelligens. Quartò, Persona debet esse incommunicabilis: quæ conditione excluditur essentia divina, quæ quidem est substantia singularis, completa, intelligens, sed communis tribus personis in SS. Trinitate. Est quidem essentia di vina incommunicabilis, prout vox illa notat id, quod non est communicabile pluribus speciebus vel individuis; neque enim se habet per modum generis vel speciei, sed non est incommunicabilis pluribus hypothesibus, vel ut Scholastici loquuntur, suppositalitatibus aut subsistentiis; at persona etiam hoc modo incommunicabilis est, ut dicemus Thes. 6. Quintò, Persona definiebatur, ut non sit pars alterius, ad excludendam animam rationalem, quæ quidem est substantia singularis & intelligens, non tamen est persona, quia est pars hominis. Sextò denique, ut non sustentetur ab alio; propter humanam Christi naturam, quæ si persona esset, Christus haberet duplē personam, quod absurdum est: Ab humana igitur Christi natura removetur nomen Personæ, quia ipsa sustentatur à Λόγῳ.

III. Ut hæc definitio personæ per partes explicata clarius sit, notandum venit, in persona, v. g. Petro, duo esse, naturam scilicet substantiam, quæ habet essentiam & existentiam actualem: & subsistentiam, quæ natura substantiali addita eam reddit incommunicabilem alteri. Ex quibus duobus oritur compositum constans natura & subsistentia, quod suppositum est, & persona. Naturæ ergo nomine intelligitur substantia singularis, continens integrum individui essentiam, in abstracto tamen sumtam. Suppositum & natura distinguuntur tanquam includens & inclusum: suppositum enim includit naturam & aliquid addit, quod suppositalitas seu subsistentia dicitur, natura vero in se non includit suppositalitatem seu subsistentiam, sed ab ea præcindit: pari modo philosophandum est de persona

sonā & naturā : persona enim speciale est suppositum, sc. rationale, ejusque abstractum est personalitas : Græci utuntur voce *ὑπόστασις* : Atque ex hāc philosophandi ratione petenda est causa, quare natura posit conservari sine subsistentiā propriā ; ( ut in Christo patet, qui caret subsistentiā humanā seu creatā) suppositum autem totum non posit conservari sine naturā, quia sc. illam formaliter includit.

V. Subsistentia sive *ὑπόστασις* in abstracto est modus substancialis, quo naturæ existentia ita determinatur, ut & *per se subsistat* & *incommunicabilis sit*. In quā definitione & subsistentiæ natura & ejus geminum munus explicatur. Primum subsistentia munus est substantiam determinare ut per se subsistat, non ut *non per se subsistere significat non esse in subiecto* quomodo per se subsistere est proprietas non tantum suppositi & personæ, sed omnis etiam substantiæ, in generali substantiæ definitione expressa, sed prout *non per se subsistere significat subsistere subsistentiā propriā*, independenter à subsistentiā alterius : quod ut intelligatur, observandum est *non existere substantiæ*, id est, *non habere entitatem extrā causas suas positam*, vel etiam *non subsistere per se*, prout opponitur inesse alteri ut in subiecto, duobus dici modis ; nempe vel ita, ut, quæ existit ac subsistit per se ( quatenus non inest alteri ut subiecto) substantia, ab alio tamen sustentetur, sic existit & subsistit per se humana Christi natura, quia in existendo & subsistendo per se sustentatur à divinâ, ab ejusque subsistentiâ dependet; vel ita, ut quæ existit & per se subsistit substantia, ab alio non sustentetur, ab alio non dependeat, non tantum ut à subiecto, sed nec ut à sustentante, sic Petrus, Paulus, &c. existunt & subsistunt per se : *non per se subsistere*, quod largitur subsistentia vel *ὑπόστασις*, intelligitur secundo modo, in quantum substantia independenter ab alterius subsistentiâ ac propriâ subsistit. Atque ex his manifestum est, substantiam tum completam esse perfectissimè, quando suam habet & sibi propriam subsistentiam, & quidem quia ac quatenus eam habet : Si dicas, humanam ergo Christi naturam non fore substantiam perfectissimè completam ; concedimus id libenter, quia

non est persona, nec suā subsistentiâ subsistit, sed subsistentiâ divinæ naturæ; interim perfecta & completa est substantia ac verè subsistit perse, quatenus *per se subsistere significat non esse in alio*, ut in subiecto, ac proinde verè proprièque est substantia : Cum natura una alienâ subsistit subsistentiâ, fit ut duæ nature in unum coalescant suppositum ac personam ; ita Christus una tantum persona est, duabus constans naturis essentia atque existentia diversis, *ὑπόστασις*; tamen unitis.

V. Quemadmodum duas naturas in una subsistentiâ posse uniri jam ostensum est, sic & una natura plures potest habere subsistentias, & una eademque essentia plures personas modo subsistendi diversas constituere: Ut in divina essentia videtur est, quæ subsistit in tribus distinctis personis, Patre, Filio, & Spiritu sancto, quia tribus praedita est subsistentiæ. Utraque autem natura, & quæ plures subsistentias admittit, & illa, quæ diversam naturam in suam subsistentiam & in unitatem personæ assument, debet esse infinita. Natura autem finita quelibet sua hypostasi ita est definita, ut tota subsistat in uno supposito, atque ita ut extra eam existere non possit, idque tantum quia finita est.

VI. Alterum subsistentie munus est, naturam substancialem reddere incommunicabilem: notari hic solet & rectè, naturam duobus modis communem dici, vel pluribus speciebus & individuis distinctis: sic omnis natura universalis dicitur communis; vel pluribus suppositis : sic una eademque natura divina singularis, communis est tribus personis, Patri, Filio, & Spiritui sancto. Totidem quoque modis dici potest natura incommunicabilis : primò cum non potest concipi sub ratione generis aut speciei, secundò cum non potest communicari pluribus suppositis aut personis. Prior incommunicabilitas est à rei singularitate ; posterior à subsistentia. Quare quemadmodum quod singulare est, non potest communicari pluribus inferioribus, ita quoque quod determinatum est subsistentia, non potest communicari pluribus personis, in quantum est determinatum. Sic Dei essentia communis est tribus personis, quia non

includit substantiam : at eadem substantia jam affecta, non amplius communicari potest. Et hoc est quod Theologi dicunt, Dei essentiam considerari, vel *essentiam*, in quantum non includit substantiam, & sic dicitur communicari tribus personis, vel *trinitatem*, & sic est incomunicabilis; essentia enim Dei restricta per substantiam, της ποντικης, in Patre, nequit communicari filio, ut sic; neque enim essentia Patris, ut sic, est essentia filii, sicut nec pater est filius, ut sic, in quantum per substantias sibi proprias restringuntur.

VII. Quid haec substantia sit, intricatum atque obscurum fanè est, & circa id sententiis validè variatum est. Nos autem primò statuimus non esse substantiam, quia aut prima fōret aut secunda: non secunda, quia illa est universalis; at substantiam singularis est, & reddit ens singularissimum: non prima, quia sic constaret natura & substantia, & haec rursus alia, & ita daretur progressus in infinitum; sed videtur potius natura aliquod additamentum. Non etiam est accidens aliquid, quia illud non potest substantiam compleere aut reddere

incommunicabilem. Preterea in Christi humanitate omnia sunt accidentia humanæ naturæ convenientia, nec tamen est substantia de qua agimus. Supereft ergo ut sit modus substantialis, substantiam actuans ac determinans in ratione sue substantia. Cum autem duum generum sint modi, mutabiles & separabiles, alii immutabiles & inseparabiles, substantia modus est immutabilis prorsus ac inseparabilis: quod non tantum verum est de substantia cuique substantiæ propria, sed & de aliena: ita ut substantia illa naturæ divina, qua substantiat natura Christi humana, nunquam ab illa fuerit separata, quamdiu exitit; ne quidem in ipso triduo mortis; mansit enim corpus, mansit anima, *trinitatem* naturæ divinae unita, etiam tunc quando à se invicem fuere divulsa ac separata: neque enim ad corporis & animæ solutam unionem, secta est dissolutio unionis, qua natura Christi humana unita est divinæ, dum in eandem substantiam assumta est. Quæ de persona & substantia ulterius inquire possunt, aliis & alias facere licebit.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

#### S E C U N D A,

#### D E

## ENTE INFINITO:

**D**E ENTE INFINITO disputationem habituri, non quaecunque de eo ventilari possunt ac solent, hoc tempore proponemus: *Quis enim ista omnia unica disputatione comprehen-*

*dat aut exhaustat? sed generales quasdam, attamen nobilissimas, questiones decidimus, speciales specialioribus disquisitionibus reservaturi.*

#### T H E S I S I.

**R**ecta est divisio apud Philosophos Entis in finitum & infinitum; quæ divisionis entis prima, intima, & maximè essentialis dicitur, quia præter alias omnes entis divisiones universales, hæc membra habet omnium maximè inter se distantia; cum enim ens dividitur in substantiam & acci-

dens, absolutum & relatum, non tam distantia se divisionis membra, quam si dividatur in finitum & infinitum. Finitum est, quod habet essentiam & perfectionem limitatam: Infinitum, quod habet essentiam & perfectionem nullis limitibus circumscriptam: itaque termini illi desumti quidem sunt à quantitate molis,

molis , ubi limites sunt & fines , sed translati per analogiam , ob intellectus nostri in cognoscendo imperfectionem , ad quantitatem perfectionis significandam , sicut hoc egregie explicat Suarez *disp. 28. Metaph. f. 1. §. 18.* Cum hac divisione coincidit divisio entis in ens à se , & ab alio , necessarium & contingens , per essentiam & per participationem , increatum & creatum , omnino actuale & aliquam potentialitatem includens , quæ ibid. loc. cit. à Suarez. explicitur. Ens finitum , ab alio , contingens , per participationem , creatum , aliquam potentialitatem includens , dicitur creatura ; ens infinitum , à se , necessarium , per essentiam , increatum , omnino actuale , dicitur Deus : & hujus entis infiniti , Dei sc. inquiremus hac disputatione existentiam , essentiam , attributa , operationes ad extra .

II. Deum esse non tantum Scriptura , sed etiam natura docet : de Scriptura res est evidenter , quam ut ullam requirat probationem , vel testimoniorum inductionem : & ex Scripturis sacris id probare non nostrum etiam est , sed Theologi. De natura id quoque evidens est , licet id negare ausi fuerint non nulli : est autem *naturalis* Dei notitia insita & acquisita , Scholastici dicunt , *subjectiva* & *objectiva* : illa hominis cuiusque animo jam inde ab utero quasi impressa & insculpta est , qua homo ex principiis secum natis , tanquam imaginis divinae quibusdam ruderibus & reliquiis , ad Deum crearem manu ducitur : hęc , ex contemplatione operum & effectuum , Deum nobis ostendit : hęc duplex Dei notitia naturalis , paulo latius explicanda est . Est in homine vis aut facultas naturalis cognoscendi Deum , sive lumen quoddam congenitum , quo intellectus aptus natus est , ad assensum præbendum illi , quod dicitur , *esse Deum* ; ita ut , quam primum ratio se exerit , & quid significetur illa voce , *Deus* , cognoscit , sine ulteriori disputatione , labore & difficultate illi assensum præbeat , dicatque *esse Deum* ; & hanc etiam ob causam dicuntur *insitae* naturales istae notitia , quia sine præceptore , sine demonstratione , sine disciplina , homo absque difficultate , quam primum terminos simplices apprehendit , absque mediis aliis & prin-

cipiis istam notitiam elicit : hęc ruditamen Dei notitia , confusè & indistincte Deum attingens , opus habet ut eisdem naturae viribus , ex diligenti contemplatione creaturarum & assidua meditatione , incrementum capiat , & quasi perficiatur . Non tamen hoc sic est capiendum , quasi adscribamus homini sibi relieto facultatem vel virtutem ullam , vel minimam , cognoscendi salutariter ex se verum Deum : nihil minus : quin hoc modo totalem in homine cæcitatem & ignorantiam agnoscimus , verum aliqualem tantum , non salutarem ex notitiis insitis ac creaturarum intuitu , rationisque fano exercitio , Dei notitiam ponimus ; quomodo statim fuit explicatum .

III. Circa Dei essentiam queritur , an ea definitione exprimi valeat ? Sunt qui affirmant , alii contrarium sustinent , quibus & nos calulum addimus : assertionis nostræ stabilimentum est hoc : Quod nec genus nec differentiam habet , nequit definiri : atqui Deus , nec genus , nec differentiam (accurate loquendo ) habet : ergo . Major patet , quia ad exquisitam definitionem requiruntur genus & differentia : ut Arist. docet 6. topic. c. 5. Minor probatur : primò de differentia , quod ea Deo non conveniat , inde . Quia de ratione differentiæ , propriè sic dictæ , est , ut neque includat speciem quam constituit , nec etiam genus illius speciei , ut Arist. docet lib. 6. topic. c. 6. 9. & 14. velut rationalitas , quæ est differentia specifica hominis , non est homo , & eadem rationalitas , non est animal , quod est genus istius speciei , (*hominis*) quam constituit rationalitas : Unde si quæ esset differentia , per quam constitueret Deus in haec specie entis , illa non esset Deus ; at nihil est in Deo , quod non sit ipse Deus : cum enim , quicquid præter Deum est , sit creatum quid , si non esset Deus , quod est in Deo , Deus ab aliquo creato haberet ultimam perfectionem . Ceterum ex his , quod Deo non conveniat differentia , efficaciter sequitur , quod nec eidem conveniat genus : nam generica natura non datur , nisi contrafacta per differentiam , quę ipsam actuat & compleat , sicuti forma materiam : atque ita , sicut huic repugnat esse fine formam : ita generi repugnat esse fine differentia : unde cui repugnat habere diffe-

differentiam, eidem etiam repugnat habere genus: at ostensum est, quod Deo repugnet habere differentiam; repugnat igitur eidem habere genus. His addit rationem desumtam ab infinitate Dei & ejus incomprehensibilitate. Qualis est cuiusque rei cognitio, talis & est ejus definitio. Quid enim aliud est definitio quam plena & perfecta rei cognitio? Deus autem plenè & perfectè, id est, ut loqui amant Scholastici, quidditatè, cognosci non potest, ergo nec quidditatè, id est plenè & perfectè, definiri; Deum certe nemo definiverit, nisi qui Dei ipsius logical instructus fuerit; potest tamen qualcumque descriptione adumbrari, qua per attributa instituitur, quod sit *sine principio & fine, aeternus, immutabilis, infinitus, &c.*

IV. Quæstio hic gravis est de attributorum ab essentia & inter se distinctione. Antequam ad questionem respondeamus, videntur, quid per attributa intelligatur. Per attributa igitur intelligimus prædicata, quæ per modum affectionis de Deo enunciantur, qualia sunt qua essentiam Dei confusis & inadæquatis conceptibus significant ac repræsentant; intellectus enim noster essentiam Dei uno & adæquato conceptu concipere nequit, unde fit, ut multa de Deo apprehendat per modum affectionum, ut bonitatem, veritatem, justitiam, misericordiam, sapientiam, sanctitatem, potentiam, aeternitatem, & sic deinceps, qua vocari solent attributa; & de his queritur, *an realiter à Dei essentia differt?* *an eadem inter se realiter sint distincta?* Nos utrumque negamus. Ratio negationis est quod partem priorem, *Quia si attributa divina ab essentia sint realiter distincta, utique singula erunt finita, vel infinita: si finita, ipso etiam infinitas Dei, qua inter attributa est, finita erit: quod contradictionem involvit.* Si infinita, aliquid à Deo erit realiter distinctum infinitum; & sic vel Deus se ipso non erit infinitus, vel plura erunt infinita: quorum utrumque falsum & absurdum. Quod attributa divina realiter à se invicem distincta non sint, probatur hoc argumento: Essentia absolute simplex non potest includere plura prædicata essentia, realiter inter se distincta: Atqui

essentia Dei est absolutè simplex: ergo. Propositionis ratio est, quia pluralitas prædicatorum essentia, realiter distinctorum infert compositionem, adeoque repugnat absoluta simplicitati. Restat ergo, ut attributa divina à Deo & inter se distinguantur: vel formaliter cum *Scoto & Scotifis*, quia quavis sint eadem res simplex, tamen distinctæ sunt rationes formales: non enim ratio formalis & definitio unius, v. c. intellectus aut justitiae, est ratio formalis aut definitio alterius, v. c. voluntatis aut misericordiae: vel ratione ratiocinata cum *Thoma & Thomifis*, qui varii sunt conceptus objectivi, non realiter, actu, in se aut Deo, distincti, sed virtualiter tantum & eminenter, atque in effectibus, seu in terminazione potius ad effectum talem vel talem, diversi.

V. Existentiam Dei, essentiam, attributa, excipiunt *operations ad extra*, quæ vulgo recensentur, *creatio, conservatio, concursus*, pro tripli causa secundè dependentia, in fieri, in esse, in operari: per creationem res, quæ ante non erat actu, sed in potentia tantum objectiva aut etiam obedientiali, simpliciter producitur: per conservationem res producta in esse conservatur: per concursum ad operationem prestantam applicatur & in efficientia actuatur. *Creatio* solet definiri *productio rei ex nihilo*: *productio* hæc non dicit formaliter relationem, sed fundamentum relationis creaturæ ad creatorem: soletque à parte Dei concepi à nobis per modum actionis transeuntis, & vocari *creatio activa*: à parte rei per modum passionis, & dici *creatio passiva*: additur, *ex nihilo*, quod negat subjectum & ponit terminum: itaque primum intelligendum id est negativè, ut excludatur omnis causæ materialis concursus, quæ ratione potissimum *creatio* distinguuntur à generatione, quæ est eductio formæ de potentia materiz; secundò positivè, ut notet ordinem termini à quo, sub quo res ante erat: *nihil enim iustud, sive non esse, praesedit esse rei*: unde liquet novitatem essendi esse de ratione creationis: nam omne, quod habet esse post non esse, habuit initium seu novitatem essendi: quod si ab aeterno quipiam habeat non esse & item esse, simul erit & non erit.

VI. Crea-

V I. Creationem excipit *conservatio*, quæ est, *rei productæ per actualē influxum in suo esse continuatio*: dicimus, *per actualē influxum*, ut excludamus conservationem, quam vocant, *permisivam*, sive *privativam*, cum id dicitur conservare, sed impropriè, quod non destruit: item *indirectam*, quæ tantum removet impediens: hæc enim non influit in ipsum esse rei, quod conservatur, sed in id quod rei contrarium est, unde per accidens resultat permanens rei in suo esse. *Quod hæc actio Deo competit facilè patet*, quia creatura non tantum in fieri, sed etiam in esse à Deo essentialiter dependet: deinde id liquet ex annihilatione: hæc enim non consistit in positivo, quia tendit in non esse rei simpliciter: at omnis actio positiva tendit ad esse positivum: consistit igitur in sola suspensione influxus divini, quo conservat Deus: qui influxus ita se habet ad res creatas, ut sol ad lumen.

V II. Creationem & conservationem sequitur *concursum*, seu *cooperatio*. Quæritur hic: *An Deus per se atque immediate in actionibus omnium creaturarum operetur?* Non defuere qui negarint Deum per se & immediatè concurrens ad actiones secundarum causarum; nominatim ejus sententia erronea fuit *Durandus* in 2. *dispt.* 1. q. 5. ubi sentit: postquam Deus ab initio creationis ipsiis creaturis concessit sufficientem agendi virtutem, nihil amplius eum cum illis operari. Verum hæc sententia non tantum est temeraria; sed etiam non satis in fide tuta; quapropter oppositum ejus, ut longè certius & verius, tenemus, quod ita ostendi potest: Res creatæ in esse subordinantur Deo, atque hinc in essendo dependent à Deo, ergo & dependent ab eodem in operationibus; operari enim sequitur esse, & modus operandi sequitur modum effendi: at ista rerum creatarum à Deo dependentia in operando, insinuat *concursum Dei*, ad producendas istas actiones; qui definiri potest, *actio Dei ad extra*, qua unâ cum causis secundis & subordinatis omnes illarum effectus producit. Id autem facit dupliciter, & causas secundas præ-

movendo, excitando, ad agendum applicando, & in ipsas actiones realiter influendo, coagendo, cooperando: priori respectu dicitur concursus Dei prævious, posteriori modo simultaneus: utroque modo Deus concurrit, & utroq; modo creatura in operando à Deo dependet: Itaque concursum collocamus non in solo influxu, in ipsam actionem terminato, quod facit *Suarez Metaph. disput. 22. Conimbr. 2. Phys. Ruoviis ibidem, de Raconis in tract. de principiis*, sed & motione, excitatione, applicatione causæ secundæ ad agendum, juxta vulgatum axioma, *Causæ secundæ non agunt nisi motæ à prima*. Verum quia solum admittunt concursum simultaneum auctores citati, & Jesuitæ omnes, & rejiciunt præviū, motionem sc. illam qua virtutem activam creaturæ Deus compleat, eam excitat, applicat, determinat ad agendum, unico arguento sententiam nostram confirmabimus. *Quod erit definitum ex hypothesi & sententiâ Adversariorum*: hoc modo: Si causa secunda non posfit agere quin Deus simultaneo concursu cum illa influat, ut dicunt omnes Adversarii; ergo etiam non potest agere nisi præmoveatur à Deo ad agendum, nisi Deus concurrat concursu prævio. Prob. conseq. hæc est Adversariorum positio & omnium etiam, excepto *Durando* cum paucis aliis: ad actionem causarum secundarum requiritur concursus simultaneus duarum causarum primæ & secundæ: ergo, quomodo istæ duæ causæ concurrent simultaneè, vel ut una moveat aliam, vel ut utraque moveatur à tertiat, vel ut casu concurrent. Hoc postremum dicere non licet, præfertim si istæ causæ per se sunt subordinatae, ut sunt; nec secundum dici potest; nam quæ erit illa tertia, quæ utramque causam, primam & secundam, præmoveat? ergo una alteram præmovebit ex duabus causis simultaneo concursu concurrentibus; sed non potest præmoveare secundam primam, sic enim secunda non foret, sed prima: ergo prima præmovebit secundam, quod erat demonstrandum: sed hæc omnia specialibus aliquot disputationibus aliquando, si Deus volet, exponentur.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

TER T I A,

DE

## NOTITIA DEI NATURALI.

## THE S I S I.

**E**sse Deum sciri potest, ac cognosci multis modis. Nonnulli triplicem statuant Dei cognitionem: 1. cognitionem *rationis*, quam investigamus per creaturarum intuitum. 2. cognitionem *devotionis*, qua sit per verbum, ex cuius prædicatione cognitione fidei oritur. 3. cognitionem *glorificationis*, qua sit in vita æterna. Alii ponunt quadruplicem divinæ cognitionis librum, *φύσεως, naturæ, quo* pertinent *κοινωνίας menti* naturaliter impressæ. 2. *κτίσεως, creature, quo* pertinent intuitus & contemplatio creaturarum, 3. *scripturæ, quo* pertinet divina in Propheticis & Apostolicis scriptis revelatio. 4. *ζωῆς, vitae æternæ, quo* pertinet intuitiva & beatifica Dei visio. Sed prætermissa cognitione glorificationis, & libro *vitæ æternæ*, qui cognoscendi modus in hac vita non possidetur, sed speratur tantum, reliqui tres cognoscendi modi optimè revocari possunt ad duo capita: ut *cognitione Dei*, alia sit *naturalis*, alia *revelata*, & illa petatur ex *naturæ*, hæc ex *scripturæ* libro. Ac nos quidem relicto Theologis scripturæ libro, & cognitione revelata, *Qualis sit Dei notitia naturalis, haufsta ex libro naturæ, hac disputatione inquiremus.*

11. *Liber naturæ* duplex statut potest, *internus & externus: unde notitia Dei naturalis dividitur in instam vel innatam, & acquistam: illam vocant alii subjectivam, hanc objectivam.* Notitia *insta* originem habet ex *co-  
muni cœlois, quæ amissæ imaginis divinæ sunt obsecura quedam ruderæ ac vestigia, & amissæ illius lucis, qua in hominis mente ante lapsum fulgebat, superstites quedam ac sponite scintillulæ, per quas communis illa & anticipata notio, Quod sit Deus, omnium homi-*

num mentibus naturaliter est insculpta. Has ergo notitias communes referimus ad librum natu ræinternum: ad quem etiam pertinet liber *overdōtæs*, internum conscientiæ testimoniun, quod Scholastici vocant *Synteresis, co-  
nūctiōnēs*: nam ex principiis cum homine natis oritur in corde cujusvis hic Syllogismus practicus: *Qui vitam vivit impiam, sentiet Dei vindicis iram & pœnam: ratio ejus est, quia omnibus naturaliter est insitum & insculptum, Deum esse, Deum esse colendum, Deum esse scelerum vindicem: subsumit autem conscientia impii. Ego flagitosam vitam duxi &c. Acquisita Dei notitia ex libro naturæ externo, videlicet ex contemplatione operum & effectorum divinorum, vi naturalis discursus, à mente humana colligitur: ut enim ex pluribus literis, ita ex pluribus creaturis, liber quidam componitur, cum quilibet creatura non sit nisi quædam litera manu Dei scripta: & in hoc libro. Deum legere, atque ex lectione cognoscere possumus.*

III. Atque hæc est gemina & genuina Deum naturaliter cognoscendi ratio: partim insita, ex libro naturæinterno; partim acquisita, ex libro naturæexterno; quæ à non uno impeditur & impugnatur hoste. Priorum negat *Tiplerus*, *Metaph. lib. 4. cap. 2. quest. 2.* qui plura habet passim in Metaphysica non proba notæ, & heterodoxia merito suspecta: & sicut multos ex Tipleriana Metaphysica errores, ita hunc etiam ex ea haufit ejus Collega, *Conradus Vorstius, in notis ad disp. 1. de Deo, pag. 119. & in apologetica ex-  
gesi, c. 1.* Erravit & hunc errorem *Scaliger*, exercit. 307. sect. 18. Utramque tam innatam quam acquisitam Dei naturalem notitiam negat

negat infastus ille *Socinus*, *praelect. Theol. c. 2.*  
*Quia* vero distincta sunt argumenta, quibus  
 tum insita, tum acquisita Dei notitia natura-  
 lis, probari potest, distincte etiam ea proponem-  
 mus, si primum status converxæ fuerit fixus  
 recteque formatus; ad quem fingendum for-  
 mandumque, quædam distinctiones obser-  
 vandæ veniunt.

*I V.* *Notitia Dei* potest, vel ratione subje-  
 cti, in quo est, vel ratione objecti, circa quod  
 est, vel ratione modi & graduum, diversimo-  
 de considerari. *Ratione subjecti* est, vel spe-  
 culativa, vel practica; intellectus, vel affec-  
 tus: theoræ, vel malitiae: non est quæstio,  
 cum queritur, an detur aliqua naturalis Dei  
 notitia, de notitia practica, affectus, malitiae:  
 multi enim affectu, malitiæ, voluntate, vita &  
 operibus, Deum negant: quem tamen intelle-  
 ctu & theoræ speculativa negare non possunt:  
 ignorant tales Deum, non pura negatione, sed  
 prava dispositione: est etiam notitia alia in  
 actu primo, id est, habitualis, alia in actu se-  
 condio, id est, actualis: non queritur, an detur  
*notitia naturalis* semper in actu secundo, seu a-  
 ctualis, sed in actu primo seu habitualis: *Rati-*  
*onē objecti* potest dividì notitia Dei in eam,  
 quæ est circa  $\tau \circ \delta \pi$ , & eam, quæ est circa  $\tau \circ \delta \pi$ .  
*De priori quæstio est, non de posteriori,* sc.  
 an naturaliter homo scire possit, quod sit Deus:  
 non vero quid & quis sit Deus: distinguunt etiam  
 potest inter notitiam veri Dei, & quasdam vero  
 Deo competentes notitias, five inter con-  
 ceptum, qui est de Deo, & conceptus applica-  
 tionem: *hoc est in controversia, an homo extra*  
*revelationem possit habere quasdam vero Deo*  
*competentes notitias, quasdam veros de Deo vero*  
*conceptus, et si in particulari illos male applicet,*  
*ad id v. c. quod non est Deus:* *3. Ratione modi*  
*& graduum,* notitia Dei est, confusa in com-  
 muni, & distincta in particulari, salutaris, vel  
 non salutaris: de notitia Dei confusa & non sa-  
 lutaris quæstio est, non autem de distincta & sa-  
 lutaris: talis enim nullo modo ex natura hau-  
 riri potest. Hic igitur controversiae status manet,  
*An detur notitia Dei naturalis speculativa,*  
*in actu primo, circa  $\tau \circ \delta \pi$ , confusa & non salu-*  
*taris, qua verum de vero Deo conceptum forma-*  
*re potest homo, sive illud sit ex contemplatione*

*creatuarum, sive per notitias innatas & tacitas*  
*cordis motu:* hoc enim in quæstione hac no-  
 bis perinde est: affirmamus utrumque & pro-  
 bamus.

*V. Notitiam innatam probant, 1. Universali*  
*sc. & perpetuas omnium populorum con-*  
*fensus: nulla enim gens tam est barbara, tam*  
*effera, que non cognoscat esse Deum,* inquit Ci-  
 cero *l. 1. de natura Deor.* Aristot. *l. 1. de cœlo,*  
*μήτις τὸ ἀρχαῖον τοῦ θεοῦ τοῦ οὐκέτι τοῦ πάντων.*  
*Et Seneca epist. 117. nulla gens adeo extra leges*  
*moresque est projecta, ut non aliquos Deos*  
*credat: sc. sensus divinitatis naturaliter omnibus*  
*insitus tam efficax fuit in Gentilibus, ut*  
*quidvis potius etiam infra hominis naturam*  
*positum, Deum esse, quam nullum esse Deum,*  
*statuerint: & falsum est, quod Adversarii affe-*  
*runt, non tantum aliquos homines, sed inte-*  
*gratos hodie populos reperi, qui nullum pe-*  
*nitus sensum aut suspicionem divinitatis ha-*  
*beant, & apud quos nullum sit vestigium reli-*  
*gionis: nec exempla Brasiliensium atque Indor-*  
*um id probant.* *2. Salutaria morum pre-*  
*cepta & institutiones apud Gentiles, quæ ex*  
*lumine naturæ profluxerunt: haec enim mani-*  
*feste ostendunt honestorum & turpium dis-*  
*crimen esse omnibus naturaliter impressum,*  
*& notitiam de Deo insitam.* *3. Timor supre-*  
*mi alicujus numinis naturaliter ex corde ho-*  
*minis prorumpens: homines enim feri &*  
*barbari, adeoque ab omni doctrina & institu-*  
*tione remoti, inque sylvis degentes, cum toni-*  
*trua audiunt, timent, & suo timore testantur*  
*insitam esse naturaliter cordibus hanc noti-*  
*tiā, quod sit aliiquid summum numen o-*  
*mnipotens: & hic timor ac conscientia con-*  
*sensus internus, qui omnibus diffat aliquem*  
*esse, qui virtus puniat & premiis virtutes com-*  
*penset, supremum Dictatorem, vel solus suf-*  
*ficit ad subiectivam hanc Dei & insitam natu-*  
*ralem notitiam probandam: nec difficile est*  
*refutare (quod facere malum in ipso dispu-*  
*tandi actu) argumenta sententiæ negantis, in*  
*quam, nescio quo fato, delapsus est quoque*  
*Cl. hujus Academiæ ante paucos annos Philo-*  
*sophus, D. Fr. Burgersdicius, lib. 2. Metaph.*  
*c. 4. th. 1. & 2. Maximum quidem senten-*  
*tiæ hujus fulcrum à Cl. Viro ponitur loc. cit.*  
*in dicto.*

in dicto Aristotelis, quo dicit *animam esse tabulam ratiām, in qua scriptum nibil est, sed quidvis inscribi potest*: verum locus iste Aristotelis huic opinioni non patrocinatur: nam intelligendus est ratione specierum intelligibilium, & complete five actualis cognitionis illius, ad quam naturaliter aptus existit intellectus, & quasi in proximā est potentia; eam tamen impressam non habet: nam ante rationis usum mens hominis, neque propositiones comprehendit, neque terminos simplices apprehendit: veritatem proinde ac falsitatem nullius propositionis actu cognoscit: hoc enim si faceret, ratione jam uteretur antequam uteretur: & hujus actualis cognitionis respectu, anima dicitur tabula rāja. Quid dicat Vir Cl. th. 1. hanc propositionem, *Deus est, non esse per se notam, nec intellectā significatione vocum, qui effertur, a sensu impertrare, sicut hēc facit, Totum esse maius suā parte, & neminem repertum iri, qui hoc assenserat, non satis caute dicetur: Nam aquē notum est ex terminis cognitis, si non notius, Deus est,* quam alterum istud: nam postremum hoc notius esse videtur, quia sensibus ejus veritas est vicinior: at prioris veritas intellectui est propior. *Totum non esse maius suā parte, per se notum est, quia sensus id testatur: at Deum esse, per se notum est, quia intellectus id testatur: & sicut visio aut cognito, quid sit totum, quid pars, statim scitur, totum esse maius suā parte, ita etiam, intellectu quid significet hoc nomen, Deus, statim habetur & scitur, quod Deus est: Nam quid significat vox, Deus?* illud sc. quo melius ac maius cogitari non potest. At hoc ipsum significat, *Deum esse:* nam quomodo vox, *Deus*, intellectui significare poslit, id quod est Optimum & Maximum, nisi intelligat intellectus, illud esse quod per vocem, *Deus*, significatur: quod enim entitatem non habet nec habere intelligitur, nec bonitatem, nec vim ullam habet, nec habere intelligi potest.

V I. *Cognitionem Dei obiectivam probant, totus macrocosmus & microcosmus, cui utriusque tam clara sui vestigia impressit, ut utrumque contemplanti nullibi non occurrat, Deus: ubi vis videre est examinanti, divinos illos,*

sapientia, bonitatis, potentia, characteres, rebus impressos, quos illinc eruerit, id demum est Philosophari: tota enim *Philosophia*, quae verè id nomen meretur, hic absolvitur, ut ex *visibilibus Deum invisibilem aperiat, animoque sistat, & cognoscendum & colendum*: quò si non destinatur, ab autore suo abit, & à fine & scopo aberrat: ut enim omnis nature notitia à Deo est, ita ad Deum tendit ac dirigitur, & in Dei notitiā cultuque naturali, tanquam fine ultimo, acquiescit: produxit enim mundum majorem minoremque, rebusque omnibus entitatem largitus est, Deus, pro supremā bonitate, sapientia, potentia: ut ipse in iis & agnoscatur & laudetur: *sapientiam Dei, pulcherrimus monstrat rerum atque universi ordo, ac porportio: potentiam, admiranda cœli, terra, rerumque naturalium virtutes & effecta: bonitatem, rerum creatarum finis, utpote quos non sui, sed hominis, causa condidit optimus Deus: unde vera Philosophia in creaturarum existentia Dei existentiam, in earum virtutibus & effectis Dei virtutes & effecta, tanquam in clarissimo speculo, proponit cognoscenda ac contemplanda: quam Dei, naturæ virtutumque divinarum, in rebus creatis latentium, ac Philosophie nunc beneficio patentium, notitiam, non potest non sequi cultus amoris Dei: tantum enim diligimus, quantum cognoscimus. An Deum, ita naturali intellectus lumine ex rebus creatis cognoscendum, bene & sufficienter doceat qua haec tenus viget & ubique regnum tenet, ex Gentilismo tantum & Peripateticismo hausta, ac noxio heterodoxorum Philosopherum veneno infecta, sub vanis subtilitatibus & infrugiferis questionibus, Philosophia disquiri posset: sed ab instituto nostro est alienum: certè non multum ad Dei notitiam faciunt, Sophisticæ, & de vobis tantum ac terminis institutæ, non paucæ in Philosophia digladiationes. Quicquid sit, reperire tamen est in Philosophiâ modernâ ac disputatrice rationes non contempnendas, quibus notitia Dei naturalis objectiva adstruitur.*

V II. *Thomas Aquinas summa sue parte. 1. quæst. 2. art. 3. quinque argumenta profert, 1. ex parte motus: quia omne quod movetur, ab alio*

ab alio movetur; necesse igitur est, ut deveniatur ad aliquod primum movens, quod à nullo movetur: & hoc esse, omnes intelligunt, *Deum*: 2. ex ratione cause efficientis: quia omne, quod est, ab alio est: necesse est igitur pervenire ad aliquam causam efficientem primam (non enim datur progressus in infinitum) qua *Deus* est: 3. ex possibili ac necessario: quia non omnia, que sunt, sunt possibilia, sed semper aliiquid fuit, quod fuit necessarium, ubi devenietur tandem ad aliquid, quod per se est necessarium, & causam necessitatis aliunde non habet, sed quod necessitatis causa fit in aliis, estque *Deus*: 4. ex gradibus, qui in rebus inveniuntur, inveniatur in rebus aliquod magis & minus bonum, verum, nobile, &c. Ergo est etiam aliiquid, quod est verissimum, optimum, nobilissimum, proindeque maxime ens, puta *Deus*: 5. ex gubernatione rerum, que-

omnia, etiam quæ cognitione carent, operantur propter finem, ad quem tamen non casu, sed ex intentione cognoscientis perveniunt: ergo est aliquod intelligens, à quo res naturales & omnes ad finem ordinantur ac diriguntur qui est *Deus*. Has rationes apud ipsum *Thomam*, & *Summa* eius, ejus commentatores, prolixius diductas videre est. Qui plures defiderat, audeat *Mar. Mersen.* in *Genesim*, ubi cap. 1. art. 2. probat argumentis 35. notiam Dei naturalis, & *Campanellam*, integro libro, quem vocat *Atheismum triumphatum*. Et Dei notitiam insitam, ex Dei idea per creationem nobis inditam, tanquam nota artificis operi suo impressa, subtilissime probat *Renatus Descartes*, in sua prima *Philosophia*, meditatione tertia, & respons. subjunctis adversus varias contra eam *objectiones*.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Q U A R T A,

D E

## P R O P R I O:

T H E S I S I.

**I**ntra Prædicabilia (qua sic vulgo vocantur) recensi solet & *Proprium*, de quo disputationem imprestiarum instituere est animus; ac ne vocis ambiguitate detinemur, eam primum removebimus, ac tum ipsius *Propriet* naturam penitus inquiremus. *Proprium*, ut notat *Porphyrius* in sua *Introductione* cap. 4. & *Aristoteles* 5. *Topic. cap. 1.* dicitur quatuor modis: 1. quod convenit soli alicui speciei, sed non omnibus ejus individuis. 2. quod convenit omni alicuius speciei individuo, sed non soli sibi speciei. 3. quod convenit soli speciei alicui & omni ejus individuo, sed non semper. 4. quod convenit soli speciei, & omni ejus individuo, & semper: & hoc nostra est consideratio. Verum istud quarto modo *proprium* non uno

etiam modo dicitur: Nam vel est *indeterminatum*, vel *determinatum*: illud est, vel *transcedens*, quo sensu bonum dicitur propria passio entis, vel *prædicamentale*, quod toti alicui Categoriarum convenient, ut non esse in subiecto substantiaz, æquale esse vel inæquali quantitat, &c. neutrum huc spectat, quia non certe alicui rerum speciei, sed, vel rebus universis, vel pluribus rerum speciebus una clasi categoricâ contentis, convenient: hoc verò *proprium*, scilicet *determinatum*, est hujus loci, quod certe rerum speciei convenient, eique vel infime, vel subalterna: & quia species subalterna eadem est cum genere subalterno, coque etiam nomine venit, factum est, ut *Proprium* ei competens dictum sit genericum; quod convenit speciei infime

C

specifi-

*specificum*, speciatim vocari solet: de utroque hoc tenendum est, quod genericum cum genere, non cum specie infinita, specificum cum specie, non cum individuis, conferri debeat: propriis enim sic dicuntur semper ratione subiecti proximi & immediati.

II. *Proprium* *quarto modo*, determinatum, sive genericum, sive specificum, definitur ab Aristot. l. 1. Topic. c. 5. t. 5. quod non declarat *quidditatem*, & tamen soli rei inest & cum ea reciprocatur. Non declarat *Propriam* *rei* sive *subiecti* *quidditatem*, quia nec essentia est ejus, ut species, nec pars essentiae, ut genus & differentia; & tamen soli inest & cum re reciprocatur, quia non contingenter sed necessariò inest; essentiam enim subjecti, quam non constituit, immediate tamen consequitur ac concomitat: *reciprocatio* hic intelligitur in casu recto; est enim in Graco Aristot. textu *ἀριθμητική*: at *ἀριθμητική* distinguitur ab illa reciprocatione, quæ dicitur *ἀριθμός*, habetque locum in relatis, quod hæc fiat in casu obliquo; dicuntur enim relata aliorum in genitivo, aut alio casu ad aliud referri; at ista, quæ hic locum habet, itemque in differentiâ & definitione, quæ cum subiecto reciprocantur, in casu fit recto. *Propria* sic definita & explicata, duū vulgo statuuntur generum: quedam immediate dependent & emanant ab essentiâ subiecti, quedam existunt in subiecto mediante causa externâ: posteriora ex hypothesi tantum propria sunt, eaque nunc temporis missa faciemus; Prioris generis propria dupliciter possunt spectari, vel ratione subiecti in in quo sunt, vel ratione subiecti in quo non sunt; unde gemina oritur questio, difficultas utraque: si proprium conferatur cum subiecto in quo est, queritur, *utrum ab eo possit separari?* si conferatur cum subiecto, in quo non est, queritur, *utrum alteri subiecto, in quo non est, specie diverso, communicari possit?*

III. Questio prior, *An proprium à subiecto suo separari possit?* dupliciter potest intelligi; aut de separatione reali, aut de mentali. De utraque distinctè est pronunciandum. Quod attinet separationem realem, dicimus, *propria ita immediate dependere à suis subiectis, ut nulla virtute, nec naturali nec supernaturali,*

separari ab iis possint, sic ut nec propriam sine subiecto, nec subiectum sine proprio, existere queat. Ratio nostræ assertionis hæc est. Quæ se habent ut causa emanativa & effectum, ea non possunt, vel ad momentum temporis, à se invicem separari, ne quidem per omnipotentiam divinam: at subiectum & proprietas quarto modo habent ut causa emanativa & effectum. Ergo, &c. Prob. major. Quæ se mutuo ponunt & tollunt, ut uno posito alterum ponatur & sublatu tollatur, ea non possunt à se invicem separari, ne quidem virtute divina: at causa emanativa & effectum se mutuo ponunt & tollunt: quod probo, quia causa emanativa sua existentiâ causat, ita ut, qui ponit eam existere, jam ponat eam causantem; at causare non potest nisi sit causatum; ergo actu ponitur causatum, posita existentia cause emanativa: consequenter se mutuo ponunt: Causam verò emanativam causare sua existentia, inde liquet, quia in eo distinguitur ab activa, quod hæc præter existentiam distinctam habeat causalitatem, actionem scil. illius verò causalitas sit ipsa cause existentia. Si ergo Deus conservare possit causam emanativam ut effectum separetur, jam conservabit causam non causam, quod est contradicens, & Deo indignum: ex hypothesi enim quod effectum separatur, non erit causa, cum causa non sit causa actu, nisi causa & effectum producat, effectumque ponatur, si non in esse, saltem in fieri; ex hypothesi verò, quod Deus eam conservet in existentiâ seu existentem, causa erit, cum existere non possit nisi sit causa, quia existentia est ejus causalitas, & qui ponit causam emanativam existere, ponit eam causare: itaque si Deus conservare possit subiectum, quod se habet ut causa emanativa, separata proprietate, quæ se habet ut effectum, quod immediate emanat, jam poterit conservare causam emanativam sine effectu, id est, conservabit causam non causam, quod est contradictionis: at contradictionia Deus facere non potest. Quod verò subiectum & proprietas ita se habeant, ut causa emanativa & effectum (quæ erat Minor principalis syllogismi) seu quod proprietas ita immediate fluat à subiecti essentiâ, ut ab eâ emanet, id est, existentiâ subiecti

subjecti positā, sine ulla aliā causalitate, ponatur, dubitari non potest; aut, si quis dubitet, is aliquam actionem, cū medium causalitatem ab existentiā subjecti distinctam, proficerat, quā proprium à subjecto producatur. Quomodo ergo Deus conservans essentiam & existentiam subjecti, v. c. animæ rationalis aut corporis, separare potest proprietates, risibilitatem aut quantitatem; cum eo ipso actu, quo essentiam subjecti atque existentiam conservat, etiam conservet proprietates, eo quod ipsa subjecti essentia atque existentia sit proprietatum productio; Unde, qui essentiam atque existentiam subjecti ponit, jam ipsas ponit proprietates productas; qui posterius separat ac tollit, nempe proprietates, & prius tollat, sc. subjectum, neccesse est, cum positio subjecti in existentiā sit, positio quoque proprietatum in existentiā: existentia enim subjecti est existentia priorum, ita ut nihil intercedat medium: nam si aliquid intercederet medium, jam propria non emanarent, sed actione transiente fierent: Non potest ergo Deus facere, ut existat subjectum, non existente proprietate, aut contraria, nisi possit facere, ut idem simul existat & non existat; ergo propria nulla ratione aut virtute, nec naturali nec supernaturali, separari possunt: quod erat demonstrandum.

I V. Quod attinet ad separationem mentis mentalem cum queritur, utrum hoc modo saltem propria à subjecto suo separari possint? ad id respondendum est cum distinctione. Separatio enim mentalis (quam alii vocant intellectus abstractionem) duplex est: una *simplex*, (vulgo abstractio precisionis,) altera *composita* (vulgo abstractio negationis) illa respicit simplicem mentis operationem, haec complexam: cum intellectus, ex iis, quæ conjuncta sunt, unum apprehendit, relictis ceteris, id est, non apprehensis, vocatur hæc mentis actio, separatio vel abstractio simplex: cum intellectus, ex iis, quæ conjuncta sunt, duo vel plura apprehendit, alterumque de altero negat, unum ab alio separat ac dividit, (negatio enim divisio est, ut affirmatio conjunctio) ita mentis actio dicitur separatio vel abstractio composita: separatio mentis simplex nulli

falsitatis obnoxia est, composita falsa est ac faliit, quando separat ea quæ conjuncta sunt: si quis Petrum, qui pater est, concipiatur, non concepta paternitate, paternitatem à Petro separari simpliciter, nec falsum committit: at si quis Petrum, qui pater est, concipiatur, negata paternitate de eo, is eam separat à Petro separatione composita ac falsum committit: *Propria non possunt separari à subjectis suis separatione mentis composita*: nam qui conciperet animam rationalem & risibilitatem, ut hanc de illa neget, animæ rationalis existentiam ponat, risibilitas existentiam tollat: is conciperet contradictionia, quia conciperet simul existere animam rationalem & non existere, item risibilitatem existere, & non existere: quia existentia unius est existentia alterius: si qui conciperet corpus negata quantitate, is conciperet corpus esse & non esse, quantitatem esse & non esse: quia enim se mutuo ponunt ac tollunt, non potest unum concipi existere, ut alterum existere negetur: sed vel utrumque existere, vel neutrum esse, concipiendum est: quod autem se mutuo ponant & tollant, th. præced. demonstratum est, non tantum de iis, sed de omni subjecto & proprio, quia omne subjectum & proprium se habent ut causa emanativa & effectum: sed an saltē separari possunt separatione mentis simplici? Hic distinctione iterum est agendum.

V. Quod spectat separationem mentis simplicem, an eī subjectum & proprium separari possit? hæc quæstio dupliciter intelligi potest: 1. An subjectum possit concipi non concepta proprietate? 2. An proprietas possit concipi non concepto subjecto? quæ duo longè differunt. Prius affirmamus, posterius negamus: utrumque explicamus & probamus. Quod prius est natura, potest concipi sine actuali conceptu posterioris, cum in illius conceptu posteriori non includatur, itaque posterior potest intellectu separari à priori, quia potest intellectus cogitare prius, non cogitando actu de posteriori: at subjectum natura prius est, quia causa: proprium posteriori, quia effectum. Ergo potest subjectum intelligi non intellectu proprietate: At proprietas intelligi aut concipi nequit, non intellectu aut non

concepto subiecto, sc. suo, cum quo reciprocatur; & ratio est, quia subiectum continetur in definitione proprii, ac proinde subiectum est de essentiâ proprii, si ergo proprium concepi possit non concepto subiecto, res concipi poterit, non conceptâ essentiâ rei, quod est absurdum: itaque risibile concipi nequit nisi concepto homine, quantitas intelligi nequit nisi intellectâ materiâ, similitas cogitari nequit nisi cogitato natio: at homo, corpus, natus, intelligi possunt, non intellectis, risibili, quantitate, similitate: hic enim nulla est contradictionis; at contradic̄tio est similitatem cogitari non cogitato natio, aut quodlibet proprium concipere non concepto subiecto: nam ut natus similitatis, ita quodlibet subiectum proprii sui definitionem & essentiam ingreditur; nam dicuntur de se invicem in secundo modo dicensi per se, telle vel ipso Aristotele l. 1. Post. c. 4. t. 31. At contradictionis est, rem definitam concipere non conceptâ definitio, ejusque partibus, v. c. hominem concipere non concepto animali aut rationali: id enim est concipere hominem non hominem. Ergo si subiectum sit de definitione proprii, impossibile etiam est concipere proprium non concepto subiecto: esset enim concipere proprium non proprium. Si dicas, nullum fore discrimen inter proprium & differentiam essentiale ac specificam, si hec sententia sit vera, quia ut differentia talis non potest concipi non concepto subiecto, de quo dicitur (quod constituit ac specificè distinguit) ita & proprium: Respondeo, discrimen illud adhuc superesse, quod subiectum concipi possit non conceptâ proprietate, ut homo non conceptâ risibilitate, at non potest concipi non conceptâ sua differentiâ essentiali & specificâ (quâ in certa specie collocatur, & ab omni alia specie distinguitur) ut homo non potest intelligi non intellectâ rationalitate; & causa est, quia differentiae essentiales conve-niunt rebus in primo modo dicendi per se; at proprietates in secundo, ut ex Aristotele statim diximus.

*Alterum quæstio de Proprio proposita est, re-*

*spectu subiecti, in quo non est: ac queritur, an alteri specie diverso, in quo non est, communicari possit?* Respondeo, planè non posse, ne quidem per potentiam divinam, idque ob rationem thel. 3. assignatam: quod probo. Si propria emanant ab essentiâ subiecti, ita ut se mutuò ponant, ergo si proprietas poni possit in alio subiecto, etiam subiectum ipsum proprietatis in alio subiecto poni debet: si v. c. quantitas possit communicari spiritui, ipsa corporeitas seu esse corpus subiectum quantitatis, spiritui communicari debet: quia ex arctissima connexione, qua est inter causam emanativam & effectum, non potest fieri, ut alibi sit proprietas, v. c. quantitas, qua est effectum, & alibi, ac non ibidem, subiectum, v. c. corpus, quod est causa emanativa; ita ut, qui dicunt proprietatem communicari subiecto specie diverso, dicant proprietatem non proprietatem, qua est contradictionis; quam sic ostendo. Omne quod communicatur est commune: quod commune est, proprio contradistinguitur; contradictionis autem sui contradictiorum negationem includit, & sic communicari vel commune esse, dici nihil potest, nisi prius dicatur non proprium: ergo si proprietas hujus subiecti communicatur illi subiecto specie diverso, est proprietas non proprietatis; proprietas, quia emanat ab hoc subiecto; non proprietas, quia communicatur alteri: qua est contradictionis manifesta. Proprium & commune esse opposita, negari nequit: opposita includere negationem mutuam, extra omne est dubium: jam argumentor ad hominem. Nullum proprium est commune, quia sunt opposita: major hæc est ex concessis: quoddam proprium est commune: minor est ex hypothesi adversa parti: Ergo quoddam proprium non est proprium, quæ est contradictionis in adjecto: videant ergo adversarii, quomodo Deum & se à contradictione liberent, qui affirmativam hujus questionis tuerintur. Plura argumenta, quia & temporis & chartæ angustia adferre vetat, alias fortes persequemur,

## Disputationum ex Philosophia selectarum

Q U I N T A,

D E

## R E L A T I O N E.

## T H E S I S I.

**D** E Relationibus tam utilis est doctrina, ut nulla ferè sit per universam Philosophiam, quæ ei anteponi possit: sed enim tam miserè ac fœdè à Scholasticis ac tanto terminorum & vocum barbararum involucro pertractata est, ut si quid sit horridum atque intricatum, nihil tamen hæc doctrinâ horridius atque intricatus reperiatur, atque vel Delio natator, vel Oedipo aliquo sit opus ad eam assequendam: præterea tam multa disputantur de Relatione vana atque inania, ut qui contemplandis iis operam ac tempus locat, nec temporis nec opere pretium ferat: ne dicam nunc, periculofas in fide consequentias, ex hac doctrinâ non fatis prudenter ac dextrè traditâ, à multis educi; quare non male nec inutiliter egerimus, si relationum doctrinam ac relatorum naturam perspicue breviterque exposuerimus, erroribus obiter notatis, ac præsertim iis, qui aliorum in rebus aliis errorum sunt fontes ac causa.

I I. *Relatio nihil est, quam  $\chi\mu\sigma$  unius ad aliud: quæ  $\chi\mu\sigma$ , illam habent, dicuntur  $\tau\alpha\omega\zeta\chi\mu\sigma$ , quasi dicas, ut id ex primunt nonnulli barbarè quidem sed significanter, quæ sunt ad aliud: Latinis *relata* vocant, quia referuntur ad aliud: Relata ab Aristotele sic definiuntur, cap. 7. Categ. text. 1.  $\tau\alpha\omega\zeta\chi\mu\sigma$   $\tau\alpha\omega\zeta\chi\mu\sigma$   $\lambda\epsilon\gamma\tau\alpha\mu$ ,  $\tau\alpha\omega\zeta\chi\mu\sigma$   $\tau\alpha\omega\zeta\chi\mu\sigma$ ,  $\tau\alpha\omega\zeta\chi\mu\sigma$   $\tau\alpha\omega\zeta\chi\mu\sigma$ ,  $\tau\alpha\omega\zeta\chi\mu\sigma$   $\tau\alpha\omega\zeta\chi\mu\sigma$ . quod ita vertit Pascius; *Alium* ea dicuntur, quecumque, id quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quocunque alio modo ad aliud referuntur. Quando Relata dicuntur esse aliorum, primo significatur relationem non confundere nisi inter*

duo, secundo relata referri ad aliud in causa genitivo: quando additur, *vel quovis alio modo*, indicatur, non tantum hoc sed etiam alio casu quocunque, relata ad aliud referri: sed præsertim notari debent voces istæ,  $\delta\alpha\omega\zeta\chi\mu\sigma$ ,  $\tau\alpha\omega\zeta\chi\mu\sigma$ , id est, que quatenus sunt, hoc quod sunt, atque ea ipsa voce, quæ nuncupantur, dicuntur esse aliorum: sic, ut unum proferamus exemplum, Pater relatum est, non quia dicitur filii autor, causa, aut aliud tale, sed quia & quatenus dicitur illius pater: at quæ dicuntur aliorum, non tamen hoc quod sunt, relata non sunt: ita v. c. cæcitas dicitur visus, non  $\tau\alpha\omega\zeta\chi\mu\sigma$ , non *hoc quod est*, non visus cæcitas, sed privatio, ideoque nec relatum est.

I II. In omni relatione duo requiruntur tam necessariò, ut sine iis Relatio non sit, *subjectum* & *terminus*; quod vel ipsa relationis definitio evincit: Relatio enim est habitudo unius ad aliud: *unum*, istud est, *subjectum*, aliud *terminus*. *Subjectum* est illud quod referatur, *terminus* illud ad quod refertur *subjectum*: *subjectum* est res absoluta ut & *terminus*: sed quando *subjectum* consideratur cum *respectu* illo ad aliud, vocatur *relatum*; cum *terminus* consideratur cum *respectu* illo quo ad se refertur *subjectum*, & contrà ipsum refertur ad *subjectum*, vocatur *correlatum*: unde vulgo definiunt, *subjectum* est cui *relatio inheret*: *terminus*, cum quo *subjectum* in relatione comparatur: & hinc orta est distinctio illa inepta & insulsa inter *esse in* & *esse ad*, quæ omnes ferè Scholastici uti solent, quæ non tantum ob verborum barbariem sed & ob sententie vitium repudianda est: nam  $\tau\alpha\omega\zeta\chi\mu\sigma$  in potuissent latius dixisse, inesse, &  $\tau\alpha\omega\zeta\chi\mu\sigma$  *esse ad*, referri ad

aliud: deinde *nō esse in* vocant id, quo relationes more ceterorum accidentium inhærent subiecto, *nō esse ad*, id, quo relatio terminum reficit: at verò relationes totas consistunt in respectu & in ordine ad aliud, nec quicquam aliud involvunt in essentia suā præter respectum ad terminum: quare incepit dicitur ac falso, relationes more accidentium ceterorum inesse subiectis, cum subiecto tantummodo attribuantur: voces quippe relativæ non significant aliquid, quod subiecto propriè ac per se inest, sed tantum declarant, quomodo subiectum se habeat ad terminum: neque enim Pater significat aliquid, quod humanae nature propriè & per se inest, sed quomodo ille, qui sic dicitur, se habeat ad filium.

V. Ut in omni relatione necessariò duo referuntur, ita omnis *relatio gemina* est, unde vulgo dicuntur relata & relatum, hoc est, inter se reciprocari, seu, ad se invicem ultrò citrōque referri, adeo ut utrumque dicatur esse alterius, & utrumque relatorum suā propriā relatione referatur ad alterum: itaque errant illi, qui una eademque relatione volunt utrumque relatorum ad alterum referri: hoc enim falsissimum est: nam relationis essentia in eo sita est, quod quippiam ad aliud aliquo modo se habeat: *et ratiōne; et nō in essentiā;* atqui pater non eodem modo se habet ad filium, quo filius ad patrem: ergo non eadem est relatio, qua referuntur ad se invicem: atque ex hisce ultro sequitur, *omnia relata esse mutua,* & nullas dari relationes non mutuas: quod vero quædam relata dicantur non mutua, inde est, quod ob vocabulorū inopiam geminatio non appareat, nec in relatis nec in relationibus: itaque quæcumq; relata non mutua dicuntur, nomine tenus tantum, non re ipsa sic dicuntur: neque aliud colligi potest ex Aristotele, quām relationes aliquas non mutuas videri ob vocabulorum defectum: qua causa Aristoteles nobis jubet capite citato *de partitione;* videatur cap. 7. Categ.

V. In mutua relatorum ac relationum habitudine, quod in una relatione relatum est, id in altera semper est correlatum; & contraria: & ut relatum se habet ad correlatum, ita subiectum se habet ad terminum: itaque quod est

unius relationis subiectum, id est alterius terminus. Quæri hic solet, an præter subiectum & terminum requiratur in relatione fundamentum? Fundamentum verò vocant, quo mediante relatio in subiecto oritur atque existit. Respondemus in aliquibus relationibus, in aliis non item, hoc requiri: sunt enim duū generum relationes, quædam in subiecto proveniunt, posito solo termino in existentia, nullaque causa alia requisita, sic in ovo oritur relatio similitudinis, posito quod alterum ovum existat eadem qualitate præditum, nec quicquam aliud requiritur: sunt aliae quædam relationes, qua non oriuntur in subiecto, posito solo termino, sed requirunt insuper aliud in subiecto atque in termino, quo mediante proveniant, ut sunt v. c. dominium & servitus: hoc, quod requiritur, vocatur fundamentum: & requiritur non tantum in subiecto, sed & in termino: terminus enim unius relationis est subiectum alterius: imo, quia terminus, ideo subiectum est: itaque indiget fundamento non solum, quæ oppositæ relationis est subiectum, sed & quæ terminus: atque hinc videre est communem fere errorem, quo omnibus relationibus promiscuè fundamentum tribuunt Metaphysici ac Logici: at verò quodnam est fundamentum, distinctum à subiecto, ut esse illis censetur, relationis, qua vel duæ horæ aut lineæ æquales, duo colores aut figuræ similes dicuntur: quodnam est fundamentum earum relationum, quæ Deo, vel quæ duabus substantiis ejusdem generis aut speciei immediatè tribuuntur? profectò si quædam relationes manent quasi de essentia subiecti, termino posito, quid opus est fundamento? Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora: ergo *Falsum est in omni relatione requiri fundamentum diversum à subiecto & termino.*

VI. Non subsistit hic communis Philosophantium error, sed progressus est ulterius: qui in omni relatione fundamentum exigunt distinctum, ut sunt subtile distingueendi artifices, distinguunt inter *fundamentum & rationem fundandi.* Fundamentum vocant, quasi causam relationis: rationem fundandi, ejus quasi causalitatem, sc. paternitatis fundamentum illis est potestas generandi: ratio fundandi ipsa

di ipsa generatio : verum enim verò ista figura fuit citra necessitatem ex cogitata. Fundamentum definitur, id quo mediante relatio subiecto competit: ideoque posito fundamento, cum est, necessariò ponitur relatio: itaque fundamentum sine ratione fundandi, quam vocant, ne fundamento quidem fuerit: eo enim tantum posito, non posita ratione fundandi, relatio nondum ponitur ex illorum sententia: non est ergò id fundamentum vocandum, quod illi vocant; sed ipsa ratio fundandi, est fundamentum relationis: potestas illa, quam fundamentum illi vocant, fortasse vocari possit *conditio sine qua non*: at fundatum, nec dici, nec esse potest.

VII. Atque haec nobis esse videtur genuina relationis ac relatorum explicatio: unum adhuc refut paulo ulterius inquirendum, quod, ad relationis ac relatorum naturam cognoscendam penitissime, multum facit. sc. *Quid sunt relationes? utrum sunt ens reale an nihil?* Respondemus, relationes, quā *relationes*, nec esse *ens reale*, nec *nihil*. *Quid non sunt ens reale*, inde probatur, quod cum subiecto, cui adduntur, non faciant veram compositionem, nec ortu suo aut recessu ullam faciant in subiecto mutationem: nulla certe est compositio in hora aut linea, cum alteri horæ aut linea dicitur æqualis, nulla mutatio in ovo, cum alteri ovo alibi genito simile incipit esse, aut in Petro cum alteri homini idem esse dicitur in natura humana: oriuntur quidem multæ relationes aliqua mutatione: sed ea mutatione vel est in termino, vel si mutatio est in subiecto, relatio est posterior mutatione, utpote ex qua suo modo oritur atque resultat: neque res mutatur, quia fit relata, sed fit relata, quia mutatur. Ex hisce sequitur, omnibus omnino rebus, etiam Deo, relationes tribui tuto posse: nec metuenda est hic ulla in Deo aut compositio aut mutatio, quæ infinita Dei perfectione foret indigna: nam relationes non componunt nec immutant, cum adveniunt, ut iam ostendimus: non etiam perficiunt subiectum cui attribuuntur, quod intelligi debet de relationibus ut sic: nam quod quedam

relationes videantur perficere subiectum, hoc fit ob fundamentum, aut formam ali: quam ac perfectionem absolutam, quæ simul cum relatione ex fundamento oritur, ac relationem comitur: at nihil est, quod perfectiorem aut beatorem possit efficere Deum accessu suo.

VIII. Sed si relationes non sint entia realia, nec quicquam perfectionis addant subiecto, videntur proflus esse nihil: sed respondemus id non sequi, neque *esset esse nihil*: nam licet subiectum non perficiant ut forma absolute, referunt tamen subiectum ad aliud: quod non est omnino nihil: si relationes essent purum nihil, non possent inter se distinguiri: at distinguuntur, quia aliter se habet pater ad filium quam dominus ad servum: qui putant hoc discrimen oriri à fundamento, illi primum omni relationi fundamentum tribuunt, quod jam refutavimus thes. 5. deinde licet relationes omnes à fundamento provenirent, non tamen relatum hoc aut illo modo se haberet ad correlatum per fundamentum, sed per relationem ipsam: atque hoc satis est, ut relatio, quatenus à fundamento distinguatur, non sit proflus nihil: qui relationum discrimen referunt ad subiectum & terminum, quæ connotantur, non tamen evadunt nostri argumenti robur: imo id confirmant potius: nam si relationes, subiecti & termini connotatio, differunt aliae ab aliis, jam ipsa relationes, quā tales, differentias istas subeunt, quia quā *relationes subiectum & terminum connotant ex definitione relationis th. 2. allata*: illa certe connotatio non est nihil: præterea nihil non potest connotare ens: & ubi nihil incipit connotare ens, jam fit aliquid: & si relatio foret nihil, sicut una res potest differre ab alia per connotationem relationis, ita possit differre per connotationem & nihil: at hoc non est: ergo relatio non est nihil. *Quid tandem fuerit igitur relatio?* respondemus, medium esse inter *ens reale* & *nihil*, non participationis sed negationis, qualia dari præter relationem, alias, cum occasio se se offeret, ostendemus.

## ORTV ANIMÆ RATIONALIS.

## T H E S I S I .

**I**ntra difficultimas, quæ à Philosophis agitari solent, quæstiones, non insimum tenet locum de qua nunc instituimus disquisitionem: sc. *Vixum h̄icq; à Deo corpori humano infundatur per creationem, an vero à parentibus una cum corpore in liberos propagetur per generationem, Anima humana?* hæc difficultas Maximo inter Patres latinos Augustino visa est tanta, ut i<sup>πιζή</sup> voluerit ac scriperit, Epist. 157. non est periculum, si origo animæ lateat, dummodo redemptio clareat. Verum enim verò cum in controversiis multis Theologicis, Juridicis, Medicis, & in aliis casibus multum expedit, firmam tamen aliquam de ortu Animæ rationalis sententiam tenere, non erit præter rem in hoc negotium inquirere, præfertim cum de eo scriperint tot Viri preclarí, quos tanquam cuivis notos non nominamus, ne Authores citando chartam impleamus: duæ igitur sunt classes opinionum quas de ortu animæ humanæ sustinent Viri docti: quidam creari, ali generari eam volunt: neque enim sunt alii modi quibus substantia posse produci præter creationem & generationem. *Nos priorem amplectimur, posteriorem rejicimus.*

**II.** *Qui animas humanas oriri per generationem, & à parentibus in filios propagari ac traduci existimant, putant istam propagationem fieri vel per multiplicationem aut divisionem substantia ipsius animæ, vel productionem animæ ex aliquo semine:* nam qui traduci quidam animam flatuunt, modum tamen non explicant, nec explicari posse contendunt, ii non satisficiunt accurato indagatori. *Si dicant, Animam rationalem filii esse traductam ab anima Patris per ejus divisionem & quasi diminutionem, jam divisibilem facient ani-*

mam rationalem, consequenter & materialē; quod indivisibili & immateriali ejus naturæ repugnat: deinde si animæ substantia cum semine, ex quo fit homo, decidatur ac dividatur, cur non etiam, abscessio capite aut alio membro, dividitur & deciditur? Præterea, queri potest, an in parentibus παλντίκαιοι non imminuantur tot sui partibus decisis ac divisis anima? Tertio, queri potest, an à solo Patre vel Matre sola hæc proliis anima decidatur ac dividatur? si ab unius tantum parentis anima; à cujus? Patris an Matris? si ab hujus vel illius tantum anima, cur non ab alterius quoque, cum utriusque anima æquè sit divisibilis? si ab utriusque Parentis anima per sui divisionem anima fibolis propagetur, unde petetur sexus ratio? fortasse, quia ab alterius parentis anima plus fuerit decisum ac divisum. *Quam absurdæ hæc sint & inepta, nemo non videt.*

**III.** *Si dicant, animas propagari & tradi per sui multiplicationem, dum anima parentum aut parentis gignit aliam fui similem in prole, quæ est Traducentium probabilior opinio, explicit mihi, cur anima rationalis magis possit sic multiplicari quam Angelus?* sunt enim anima rationalis & Angelus, quoad substantiam, ejusdem generis ac naturæ: nempe substantia per se subsistens, immaterialis, spiritualis: unde & spiritus, tam hic, quam illa, nominatur: idcirco tam anima nostra intelligit & vult quam Angelus: utrobius par ratio est; ergo etiam sicut Angelus non producit alium Angelum, etiam neque anima nostra producet aliam animam; est enim & hic utrobius eadem ratio. Cur enim Angelus ex Angelo non propagatur? Quia est substantia per se subsistens, immaterialis, spiri-

spiritualis; consequenter quæ transmutatio-  
nem non patitur: At talis etiam est anima ra-  
tionalis: ergo etiam, si Angelus, nec gener-  
tur, nec generet sui similēm, per multiplicatio-  
nem essentiæ, nec de anima rationali id di-  
cendum est.

I V. Sed ulterius sententiam istam incom-  
modis urgeamus: Actio ista multiplicationis,  
qua anima animam generat, rationalis sc.  
rationalem, vel naturalis est, vel voluntaria:  
si naturalis, quæ fit ut anima rationalis intelle-  
ctu & voluntate predita se ipsam multiplicet  
nec volens, nec sciens? si voluntaria, ergo  
sterilitatis causa erit sita in voluntate, quia  
anima non vult se ipsam transfundere & mul-  
tiplicare. Et quomodo in hominibus nequam,  
adulteris puta, sequitur sœpe foeticatio, cum  
eam maximè nolint? Preterea semper fieret  
conceptio, cum vellet anima Parentis: at hoc  
non fit; tertio illa multiplicatio animæ ratio-  
nalism, quæ producitur in sobole, aut fit à pa-  
rente utroque, aut ab altero tantum: utrum  
vis dicatur, redit difficultas mota th. præced.  
circa animæ rationalis traductionem per di-  
visionem. Speciatim, si ab utroque parente  
est anima prolis per multiplicationem, quo-  
modo fiet unio duarum animalium masculæ  
& femineæ in unam substantiam & in unum  
sexum? explicit si possint. Adhæc sequitur,

1. Unum numero effectum, animam sobo-  
lis, produci à duabus causis totalibus ejusdem  
speciei non subordinatis, sc. ab anima Pa-  
tris & Matris, quod contra veritatem est, &  
quorundam judicio, vel Deo impossibile.
2. Ex duobus actibus fieri unum per se: sc.  
anima Patris actus est: anima Matris item: ex  
hac utraque, una fiet per se anima sobolis,  
quod contra axiomatis recepti veritatem  
quoque est. Denique si anima parentis, five  
unius, five utriusque, producat animam libe-  
rorum multiplicando se, aut in semine hoc  
facit, aut extra semen: si in semine, jam semen  
erit animatum anima rationali: quod si non  
est absurdum, cur non & sanguis sic dicatur  
animatus? & cur non utrumque homo? aut  
aliud entis actu animati anima rationali genus  
præter hominem constituantur. Deinde si in  
semine se multiplicet anima, vel semen ali-

quid confert ad istam animæ multiplicationem, vel nihil: si aliquid, jam anima rationalis in ista sui multiplicatione, tum activa tum  
passiva, in suo fieri, aliquo modo dependebit à  
femine: at hoc est absurdum, quia sic non fo-  
ret immaterialis: nam quod in sui productio-  
ne dependet à materia, sic ut illa aliquid con-  
ferat, est materiale: & nulla causa est, cur ani-  
ma, quæ non dependet in operando, in intel-  
lectione & volitione, à commercio materiæ,  
dependeat in fiendo? Si nihil confert semen ad  
istam animæ rationalis multiplicationem, fru-  
stra in femine fieri dieatur: quod dicant fortal-  
se requiri semen, non quidem per modum  
causæ aliquid conferendo ad animæ multipli-  
cationem, sed saltē per modum subiecti,  
animam, dum se multiplicat, sustentantis, ine-  
ptum est. Nam anima sicut non est accidens,  
nec indiget subiecto in operando, nec in ef-  
fendo, multo minus in fiendo: si extra semen  
se multiplicando anima animam producat,  
jam anima rationalis filii ab anima rationali  
parentum creabitur; quod probo: quia hæc il-  
lam producit, & ex nihilo subiecti & ex nihilo  
termini: nam nihil animæ filii præexistit, &  
nullum præexistit subiectum, quia extra se-  
men anima parentis se ipsam multiplicando  
altera sobolis producere supponitur: ergo fuer-  
it creatio: at illa non est finitæ virtutis. Quid  
multis opus est? Si anima rationalis una aliam  
producat se multiplicando extra semen, jam  
saltē sit ex nihilo subiecti, quia semen nec  
subiectum est ex quo educitur anima, nec eam  
productam constituit, nec ipsa anima Parentis  
est subiectū ex quo educitur anima filii, quia  
quod educitar ex alicuius subiecti potentia, in  
eodem recipitur & exsistit: sed anima non reci-  
pit nec exsistit in anima parētis. Ergo: deinde  
de anima Patris non est pars constitutiva ani-  
mæ filii; alioquin animæ filiorum puniri pos-  
sent pro actualibus peccatis omnibus parentum,  
quia eorum animæ, cum peccata com-  
mitterent, pars fuere animæ liberorū: Præter-  
ea fit ex nihilo termini, quomodounque hæc  
phrasis sumatur; quia semen non potest esse a-  
liquid termini ad quæ ipsius animæ rationalis,  
si extra semen producatur sui multiplicatio-  
ne: nec potest dici semen terminus à quo illius

mutationis qua productur anima rationalis, quia terminus à quo adveniente termino ad quem perit: at semen adveniente anima rationali adhuc manet: nec potest ipsa anima parentis dici aliquid termini ad quem animæ rationalis in filii, quia sic eam constitueret, & ipsa à seipso post generationem foret divisa: nec potest dici terminus a quo in mutatione ista qua productur anima filii, quia, ut jam dictum est, terminus à quo perit productio termino ad quem; at anima parentis non perit producta anima sibi: ergo, cum nihil subjecti nihilque termini præexistat, fuerit creatio ista animarum multiplicatio, quod est absurdum.

V. Nonnulli animas sic traduci ac propagari volunt, ut nec multiplicentur nec dividantur, sive in sive extra semen, sed ut producantur ex aliquo semine: & quidam statuant hoc semen esse spirituale θυρηόν, aliis esse corporale οὐρανόν. Qui traducem explicant per productionem animæ ex semine θυρηόν spirituali, ii tertiam quandam spiritus creati speciem agnoscere coguntur, præter angelum & animam rationalem: nam neque angelum esse volunt neque ipsam animam rationalem parentum, sed tertium quid ab angelo & anima rationali utriusque parentis distinctum: at hoc absurdum est, & otiosa est subtilitas, in tertio spiritus genere excogitando. Deinde illa spiritualis semen substantia, aut fit ex aliqua materia corporeâ: & hoc non, quia ipsa ponitur spiritualis substantia: aut ex animâ parentis: eaque vel totâ: & hoc non, quia sic anima parentis tota evanesceret, & in spirituale semen converteretur: vel ex parte: & sic divisibilis foret, una parte in hoc spirituale semen conversâ, alterâ non item: aut ex nihilo: & sic foret creatio: non addo plura absurdâ, quæ hinc sequuntur. Si semen hoc statuant, ex quo productur ac traducitur anima rationalis, corporale οὐρανόν, jam anima rationalis productio erit eductio ex potentia materiæ, proindeque in suo fieri dependebit à materia, quod qua ratione consistat cum illius essentia immaterialitate, spiritualitate, addo & immortalitate, illi viderint: certe ut est in operando inorganica & animalia anima, ita in es-

sendo, multo magis in fiendo: ut immortale ex mortali, spirituale ex materiali, simplicissimum ex mixto, oriri possit, natura viribus, quis est Philosopherum qui concipere valeat? etiam si subtilissimam quis materia in semine puritatem imaginetur ac somniet, quamdiu materiam aliquam concipit in semine, ex quo produci dicunt animam, ego quidem quomodo tueri queant ejus essentiam spiritualem, in materiale, immortalem, equidem non video; quicquid dixerint aut distinxerint. Manet hoc: Forma, quæ ita dependet à Materia, ut per concursum causæ materialis producatur, illa est materialis: at anima rationalis, si producatur ex semine, si ex feminis potentia educatur, ita dependet à Materia ut &c. ergo est materialis. Ita quidem omnes modos traducis animæ rationalis in specie examinavimus & refutavimus.

V I. Nos ergo per creationem esse & oriri animas humanas censemus, & creationem factam à Deo, non ab Angelis, ut ex Veteribus nonnulli solum farunt: nam virtus creandi nulli convenit præter Deum: est enim infinita: creare enim est agere in nihil; ipsum autem nihil cum sit infinitum, continens totum non est, nulla res potest habere vim & efficaciam in illud, nisi ea sit infinita, continens in se excellenter totum est: creantur ergo animæ à solo Deo, non tamen ex eius substantia vel essentiâ, ut ex Veteribus quoque nonnulli interpretierunt: quia Dei essentia aut substantia nullius rei forma esse potest; sic enim alicujus creature essentiam ingredieretur ut pars: at anima rationalis forma hominis est. ergo, &c. Non sunt vero animæ creatæ simul & semper, nec una post aliam ex animabus creatis, nunc hec, nunc illa, corpori inditur, que sententia Platonis & Origensis adscribitur, sed formatu corpore demum & creantur & infunduntur: quo illud fiat tempore, non disquirimus; tertio die à conceptione organizatio potest esse perfecta, ut quidam existimat: etiam tametsi quadragesimo aut alio demum die ea peragatur, tunc animas quoque à Deo effici & corporibus singulis infundi existimamus; sed de tempore litera non facimus nostram; neque ad institutum nostrum facit. Id nobis sufficit animas

animas à Deo creari, quounque id fiat tempore. Creationem animarum confirmat quoque si non necessariò, saltem probabiliter, Adami & Evæ animarum rationalium creatio; in his enim Deus specimen edidit quid in aliorum hominum productione facturus esset perpetuo. Quod Adversarii excipiunt, in primis parentibus necessariam fuisse creationem quia nihil exisibebat, per quod propagatio naturaliter fieri poterat: Respon. ideo argumentum non habet necessariam vim probandi universaliter omnium animarum creationem; sed tamen animadvertiscuntur. Primo, Adami animam materiæ ante præparata extrinsecus infundi, cæteras autem animalium animas in & cum materia concreatas fuisse, cuius ordinis alia idonea ratio non est, quâ ut Deus ostende-

ret in hominibus aliam corporis, aliam anime esse originem, at in brutis esse eundem utriusque ortum. Secundò, universi pulchritudinem & symmetriâ postulare, ut cù inferiores creature primæva & ordinaria virtute fese multiplicent, omnini creaturarum dominus non sine speciali operatione & auxilio supremi Domini generaretur: Itaq; probabilis saltem est probatio à creatione animarum Adæ & Eve ad creationem animarum aliarum. Qui plura desideret pro creatione anime rationalis argumenta, videat ex Theol. Zanch. de operib. creat. l. 2. c. 1. Iun. in Genes. c. 2. Thom. Aquin. 1. part. sum. quest. 90. art. 2. & ibidem commentatores ex Philosoph. Conimbr. l. 1. de an. c. 1. quest. 3. Tolet. ibid. quest. 17. Ruyvium, aliosque plures ibidem. item Baron. Philos. Theol. ancill. exerc. 2. &c.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

S E P T I M A,

D E

## C O N C V R S V D E I.

### T H E S I S I.

**S**I quid in Philosophiâ universâ arduum est ac difficile explicatu, Concursus est divinus, in quo explicando tam fuit à Philosophis laboratum & sudatum, ut nulli magis: &, quod amplius est, sicubi erratum fuit periculose, hic quâm maxime: quare omnino meretur hæc materia feligi, ut fideliter ac juxta veritatem explicetur, præfertim, quod dextrè & rectè intellecta insignem habeat usum. Queritur, An Deus causa prima vere cooperetur seu concurrat in agendo cum creaturis causis secundis. Seu, An causa secunda aliquid agere possit, independenter à Deo, ut causa prima non concurrat ad actionem, effectivè, proxime, immediate? Dua hic sunt sententie oppositæ: una tenet, causas secundas per se solas sufficienes esse ad actiones suas elicendas, nec Deum ad actiones istas concurrere. Hæc sententia defensa fuit olim à Durando Scholastico reali, sed nec

Thomista, nec Scotista, verum utriusque adversario: hic putavit, causas secundas per se effecta sua producere, nec cum illarum operatione causam primam aliter concurrere, quâm causas secundas ipsas, & agendi vim primò à creatione aut generatione illis indicatam, conservando: vid. ipsum in lib. 2. Pet. Lombardi, sententiarum Magistri, distinct. 1. quest. 5. Durandi sententiam amplexus est hoc seculo Nicolaus Taurellus in lib. de rerum aeternitate & triumpho Philosophiæ, nisi quod hic præter concursum divinum etiam insuper fulsulerit Dei conservationem: & nuper rime ante annos novem prodiit Monachus quidam Capucinus Burgundus, qui hanc Durandi sententiam magno molimine & ingenti volume adstruere conatus est: imò ait, hanc sententiam Durandi esse unicum medium ac remedium tollendis litibus idoneum, que tot jam annos inter Dominicanos & Jesuitas agitan-

agitatur, de ratione concursus divini, de scientia mediæ, de natura libertatis, &c. Altera sententia, opposita huic, statuit Deum causam primam, actu & reverâ ac per se proximè & immediate concurrere ad operationes causæ secundæ: itaque ex hac sententia, Deus non tantum permittit creaturam agere, non tantum vires concedit ac conservat ut agat, sed & ipse agit, efficit, efficaciter concurrit, cooperatur. Et cum hujus sententiae authoribus nos facimus, ponimusque hanc thesin: *Deus concurrit ad quilibet causarum secundarum operationem, sicut immediate ac per se influat in omnem actionem creature; consequenter, in omnem effectum: estque Deus immediata, principalis, totalis causa actionis & effectus eque atque causa secunda. Quam sententiam primum explicabimus, tum probabimus.*

I I. Multis modis aliquid dicitur causa actionis: I. quia tribuit agenti virtutem operandi: quo sensu nonnullis Philosophis gravia & levia dicuntur moveri à generante, qui generans communicat eis gravitatem & levitatem, quibus moventur. II. quia conservat virtutem, quâ aliud operatur: quo modo Medicina & herbae dicuntur causæ visionis, quia conservant potentiam videndi. III. quia est instrumentum alteri in agendo interviens: hoc modo securis causa est sectionis in ligno. IV. quia aliquid saltem confert in agenda: hicet non totam actionem producat, ut sunt causæ partiales: sic duo equi trahunt navem. V. quia ad agendum impellit, adhortatur, suadet, obiecta proponit, qua est causa moralis. VI. quia applicat activa passivis: quo sensu, qui apponit ignem domui, dicitur eam comburere. VII. quia influit in effectum & actionem immediate, conferens illi non tantum verum esse, sed & totum esse in suo genere & ordine. Deus causa est actionis causa secunda primo & secundo modo, quia causam secundam ac virtutem operandi in eâ creavit, & utramque conservat: causa enim secunda est ens per participationem: ideoque, quicquid habet essentiam, agendi potentiam, &c. habet ab alio; & à quo, nisi à Deo? porro non est in causa secunda potestate, ut quæ jam est & agendi potentiam habet, cras aut alio tempore sit eandemque

habeat: si enim creatura sibi dare possit, ut cras sit, & eadem cras habeat. potentiam agendi, quam nunc possidet, quidni possit sibi dare, ut semper sit & semper illam agendi potentiam habeat? atqui hoc est absurdum: Ergo quod causa secunda in eis perseveret eandemque habeat alio tempore agendi potentiam, quam nunc habet: est ab alio, & à quo, nisi ab eo qui primum eam fecit? Deum itaque esse causam actionis causa secunda. I. & II. modo extra omne est dubium: sed causa est tantum per creationem ac conservationem, necdum per cooperationem aut concursum: ut enim sic sit causa actionis causa secunda, aliquid amplius præter virtutis agendi in causâ secundâ creationem ac conservationem requiritur, ut th. 5. probabimus. III. modo, Deus nequamquam est causa actionis causa secunda, quia quoties Deus est causa, nunquam est instrumentalis, sed semper principalis. IV. modo, Deus neutiquam est causa actionis causa secunda, quia aliquam tantum partem actionis produceret, & reliqua pars actionis fieret à causâ secundâ sine influxu primæ, quod utrumque est absurdum: & imperfectio foret in Deo, dicere, quod sit causa in agendo partialis: est enim totalis. V. & VI. modo, Deus non est proprie causa actionis causa secunda, quia sic tantum foret mediata; at Deus immediata est causa cum agit. Restat ergo VII. modus, ut *Deus sit causa actionis causa secunda, quatenus in eam vere ac principaliter influat, eique totum esse immediate tribuit; & hoc est quod vocamus, Dei concursum seu cooperationem.*

VII. Deus in concurrendo causa est actionis causa secunda: *Principalis*, quia non est necesse ejus virtutem aliunde excitari: *totalis*, quia in suo genere & ordine totam actionem producit: *immediata*, quia ipsam actionem & effectum causa secunda attingit fine ullo medio: At, dices, *Causa prima operatur mediis secundis, ergo earum actiones & effecta non attingit immediate.* Respond. Deum agere mediis causis secundis, nihil est aliud, quam, Deum admittere concausam, vel causam foeciam, & confortium alterius agentis, quod nihil impedit, quo minus omnes secundarum causarum

causarum actiones atque effecta immediate attingat. Quod ut intelligatur, explicandum est, quomodo aliqua causa, & Deus, dicitur agere immediate, alia mediate: *causa dicitur agere, vel mediate, vel immediate, cum quoad suppositum, rum quoad virtutem:* illa causa agit immediate immediatione suppositi, inter quam & effectum seu rem patientem nullum aliud suppositum singulare per se subsistens interjectum est, quo paecto aqua manum abluit refrigeratque: contra mediate agit causa mediatione suppositi, inter quam & effectum seu rem quae patitur aliud cadit suppositum, ut inter fabrum & statuam fecuris. Illa causa agit immediate immediatione virtutis, quae agit per virtutem sibi propriam, & non, ut ageret, mutuo acceptam: quo pacto ignis calore suo, sibi proprio, & ad calefaciendum non aliunde commodato, aquam calefacit: contrà mediatè mediatione virtutis, que per virtutem, non suam aut sibi propriam, sed aliunde acceptam ac commodatam, operatur, ut cum luna lumine à sole mutuatio terram illuminat, aut aqua calida manum calefacit: virtus illuminandi, non lunæ, sed foliis, media est inter lunam illuminantem & illuminationem, que virtus quia alterius est corporis, dicitur luna illuminare mediate mediatione virtutis, id est mediante virtute solis: sic aqua calefacit mediante virtute ignis, unde dicitur calefacere mediata mediatione virtutis. Deus cum quovis agente creato concurrit immediata, immediatione, tum virtutis, tum suppositi: *virtutis*, quia agit propriâ virtute non aliunde commodata: *suppositi*, quia per suam substantiam rem attingit, ipsa enim Dei substantia ejus est virtus. Sed enim dicet quis, ex hac explicatione sequitur, *nullam causam secundam agere immediate immediatione virtutis*, quandoquidem omnis causa secundæ virtutis à prima est quasi mutuo accepta, commodata, & communicata. Resp. Certe nullum agens creatum agit immediate immediatione virtutis, si per virtutem immediatam intelligas omni modo independentem & nullo modo aliunde acceptam: sed si intelligas virtutem, licet à Deo acceptam & dependentem, causæ tamen secundæ ingenitam, nativam,

non aliunde, cum jam est & operabitur, sicut frigus aquæ nativum est, calor adventitius, jam multa ex agentibus creatis agunt immediate immediatione virtutis, alia non item: & hæc res tota consistit in modo loquendi.

IV. Explicatâ sententiâ nostrâ, probandum refat, *Deum immediate ac vere influere cooperando in omnem actionem & effectum causæ secundæ*. I. probamus ex communi axiome, quod est verissimum: *Modus operandi sequitur modum effendi*: hinc sic concludimus. Si omnes causæ secundæ dependent à Deo in esse, dependent quoque in operari, ita ut non minus Deus vere & immediate concurredat ad earum operationes quam ad eorum esse. Atqui omnes causæ secundæ dependent à Deo quoad suum esse, quod *th. 2. hujus disput.* invictè est ostensum, & alias confirmatum *th. 6. disp. 2. ex selectis disp.* Ergo &c. Tota consequentia ratio innititur axiomati à nobis allato, quod tam evidens visum est *Aristoteli*, ut, licet ad gravissimas quæstiones epocondandas assumerit, nunquam tamen ipsum probare vel tentaverit, vel laboraverit: ut exemplum proferam, constat *ex lib. 1. de Anim. c. 12. & seq.* *Aristoteli* versari in animæ intelligentis separatione possibili demonstrandâ; ad quam rem ut viam sibi sternat, statuit primum accipiendo esse, an aliquis sit actus animæ proprius, à corpore non dependens, quia hoc posito, inquit, fieri potest ut ipsa quoque anima separetur; hinc apparet axioma nostrum, cui totus *Philosophi* discursus innititur, præsupponi, ut certum & evidens: & certè, si modus operandi absolvi potest ab illa dependentia, quam involvit modus effendi, non licet concludere ex eo quod modus operandi animæ intelligentis sit independens à corpore, ipsam animam esse independentem quoad modum effendi, quæ tamen consequentia apud *Aristoteli* & omnes hactenus *Philosophos* valida fuit: Et quid nunc obstabit, si hoc nostrum axioma in dubium vocetur, quoniam eius brutorum animæ post mortem existimantur superstites & immortales, quandoquidem eas non permanere conclusum est hactenus, quod animalium in britis operationes à corpore

dependeant. Maneat ergo immotum hoc principium, *modus operandi sequitur modum effendi*, & salva est consequentia nostra ei in-nixa, si causa secunda dependeant in esse à Deo, etiam in operari dependebunt. Sed alia hic exceptio, ad nostrum argumentum proferri solita, est diluenda, nam distinguunt Adversarii nostræ enunciationis hypotheticæ consequens hoc modo: si creatura dependet à Deo immediate in esse, Ergo & in operari sic à Deo dependebit, ut permittente, concedunt, ut coefficiente, negant. Resp. distinctio nulla est: nam si modus effendi proprius creatura est esse de-penderet à Deo non solum permittente, sed reverā, phycice, & immediate in fluente, sequitur ejus modum operandi pendere similiiter à Deo, non permittente solum, sed reverā, phycice, & immediate influente: sed verum est prius ex th. 2. hujus disp. & disp. 2. th. 6. Ergo & posterius. Sed verò quia hæc permissione est asyli instar, ad quod solent recurrere Adversarii in hoc negotio, plane eam destrueamus, eademque operā fententiam nostram in varatione adfruemus.

V. Ergo probamus II. aliquid amplius in Dei concursum dandum esse quam virium suppeditationem, earum conservationem, aut nudam agendi permissionem, hoc modo. Si Deus concessa & conservat agendi vel non agendi facultate solum permittit creaturam agere vel non agere, tum nihil amplius præstat, cum creatura agit, quam cum non agit; cum hoc modo agit, quam cum alio modo: cum bene agit, quam cum male: at ista sunt absurdæ: Ergo & absurdum est, Deum in operationibus creaturarum nihilo plus agere, quam vires da-ge, conservare, & permettere ut agant: imo

vero præter ista, occasiones & incitamenta causis secundis ad agendum objicit, impedi-menta suspendit, ipse actu cum iis influit, con-currat, coëfficit, cooperatur, earum actiones concurrendo dirigit, determinat, &c. quæ plus significant, quam nudam permissionem, aut facultatis in agendo largitionem aut conser-vationem: ita autem Deum agere circa ope-rations caufarum secundarum, probari posset nisi id nimis esset manifestum; & probatum extaret in *Theolog. naturalis & supernaturalis scriptoribus*.

V I. Hæc efficacia ac realitas concursus divini contra Durandum stabilita, ponit debet circa omnes omnium causarum secundarum actiones; etiam illas, quæ sunt peccaminosæ, id est, af-ficiunt malitiæ: dico expresse, circa actiones malas, non circa malitiam actionum: circa actiones malas, ut sunt actiones: sic enim bona sunt in genere naturæ ac suo modo entia: con-sequenter, & dependent à Deo cum exercen-tur: itaque licet actiones quædam respectu creaturarum sint subjectum malitiæ, ipsæ tamen actiones non exercentur nisi dependenter à concurso divino: alioquin aliquid, quod revera est & existit, eximeretur Dei providentia & efficacitæ. Quare nuda Dei permissione à non nullis inventa circa actiones creaturarum, vel in genere vel specie malas, fragmentum est de-rivatum ex hac sententiâ Durandi jam refuta-ta. Concludimus: *Deus non tantum vires lar-giendo, conservando, aut otiosa permittendo, sed efficaciter operando concurrat ad actiones, tum malas, quæ sunt actiones suoque modo entia in genere naturæ: sed ad malitiam concurrat tantum permittingendo: ad bonitatem, novo & speciali gra-tia & influxu insuper de novo quæsi cooperando.*

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

O C T A V A,

D E

## CONCVRSV CAVSAE PRIMÆ. T H E S I S I.

**D**ari Concursum Divinum, & Deum verè esse causam omnium effectuum & actionum, quæ à causis secundis producuntur ac proficiuntur, disputat. Septimâ ostendimus, cum

etim præter potentia activa in causis secundis creationem, præter ejus conservationem, præter permissionem in agendo concessam, aliquid amplius à Deo fieri, circa actiones causæ secunda omnes, etiam vitiosas, scilicet efficaciam aliquam, realitatem & actualitatem aliquā ab eo proficiunt, qua efficaciter, reverā, actu, ipsam causæ secundæ actionem comproducit, exposuimus ac probavimus. Nunc, quid sit ille concursus aut cooperatio, in quo consistat, & quare ratione causa prima cum causis secundis ad quemcumque effectum concurrat, & cooperetur in omnibus actionibus omnium creaturarum, explicandum restat, quod explicatu fatemur esse tam difficile, ut nihil sit in tota Philosophiâ difficultius: verum difficultatem compensabit maxima hic utilitas: Nos perspicuitati, in re obscurâ, studebimus, & primum variis modos distincte recenfemus, quibus variis varie concursum Dei explicitant, ac tum quomodo hic sit sentiendum & loquendum docebimus.

11. §. Quidam ponunt concursum divinum in Dei voluntione simpliciter: & his, Deum concurrere cum causis secundis, nihil est aliud, quam Deum velle actus causarum secundarum: sed hi confundunt voluntatem cooperandi seu decretum, cum ipsa cooperatione actuali, & voluntatis ac decreti executione: ille concursus vocatur à Scholasticis concursus intra, & distinguitur à concursu ad extra, de quo nos nunc agimus. §. Alii volunt, Deum cum creaturis ad earum actiones non aliter concurrere, quam quatenus essentiam iis & agendi potestatem dat, atque utramque conservat, aut ad summum quatenus causam secundam agere permittit: sed hi concursum cum creatione & conservatione confundunt, & aliquid, quod verè sit in rerum natura, faciunt independens à Deo, ut disputat. sept. fuit ostensum. §. Alii ponunt concursum in virtute aliqua supperaddita, quā ajunt creaturam sufficientem redi ad agendum. §. Alii rursus ponunt concursum in motione rerum creatarum, vel in causarum secundarum excitatione & ad agendum applicatione. §. Thomas Aquinas sum. Theolog. I. quest. 105. contra gentes I. 3: cap. 70. ponit concursum Dei in hisce quinque:

1. quatenus vires & facultates agendi dedit causis secundis.
2. quatenus ipse eas tuerit ac sustentat in esse & vigore.
3. quatenus exercitat & applicat causas secundas ad agendum.
4. quatenus ipse eas determinat ad agendum.
5. quatenus eas regit ac dirigit, ut ad fines suos fibi praestitutos perveniant. §. Postremo aliū dicunt concursum Dei nihil esse aliud, quam positivum influxum, quem præbet immediate ad effectum vel actionem causæ secundæ; non quatenus aliquid in causâ secundâ, quicquid illud foret; sed quatenus aliquid cum causâ secundâ, efficit: ponuntque eum concursum in actione, qua Deus immediate influit in omnes actiones creaturarum, ita ut actiones istæ dicunt possint, non solum à creaturis, sed & à Deo immediate pendere. Hunc ultimum concurrendi modum vocant Philosophi concursum per modum actionis, quatenus videlicet Deus est proximum principium operationis, qua à causis secundis editur, ita ut eadem illa sit & operatio & actio Dei concurrentis: est enim hic concursus per se & essentialiter aliquid per modum actionis, vel per modum reæ actualis fieri ipsius actionis immediatè fluentis à Deo: unde etiam concursus hic intime & per se includitur in ipsa creature actione, tanquam per se quoque & immediatè tendens ad eundem terminum, ad quem tendit actio creature, qua ratione termini eadem est cum ipsa Dei cooperatione: reliquos modos concurrendi, præter ultimum, recensitos, vocant Philosophi, concursum per modum actus primi, concursum per modum conditionis ad agendum prærequisite, concursum per modum principii.

III. Sed & distinctiones quedam sunt tendendæ, quibus Philosophi hinc utuntur, ut quid sentiendum sit ac loquendum, in hac sententiarii varietate, rite recteque doceamus. §. Distinguitur concursus nonnullis in Physicum & moralem: *Physicus*, quo quis per modum causæ Physicæ concurrit & agit: *moralis*, quo per modum causæ moralis, causam verò *Physicam* vocant, qua verè & efficaciter agit, & realiter in effectum & actionem vero & positivo influxu influit: *moralēm*, qua agit suadendo tantum aut dissuadendo, vel objecta & occasio-

& occasiones proponendo aut removendo, vel activa interdum passivis applicando, §. Aliis distinguitur concursus in mediatum & immediatum: que distinctio intelligenda est de mediatione vel immediate, tum suppositi, tum virtutis: quomodo, dictum est disp. præced. §. Distinguitur etiam nonnullis concursus in indifferentem seu non determinantem & determinantem: illo per modum causæ universalis (unde aliis dicitur concursus universalis) hoc per modum causæ particularis (unde aliis dicitur concursus particularis) influit Deus in effectum & actionem causæ secundæ. §. Distinguui etiam plerumque solet concursus in Dei præsumtive prædeterminantem, & simultaneum sive concomitantem. Duplex enim intelligi potest Dei motio circa voluntatem creatam: una quasi antecedens, non tempore sed in signo rationis, actualem concursum ad voluntatis creatæ actum: altera in ipso actualli concursu confitens: illam vulgo dicunt esse ex prærequisitis ad agendum: hanc ex concomitantibus: per illam causæ secundæ moventur ad suas actiones; per hanc verè agunt: secundum diversas & distinctas concursus acceptiones, diverse quoque extant & distinctæ hic sententiam & loquentium Philosophorum sententie.

I V. Multi ex Philosophis negant, Deum concurrendo ullo modo per modum principii; negant eum concurrere motione prævia, concurredi prædeterminante: sic sentiunt omnes Iesuitæ, ex quibus inter alios videantur, Suarez. disp. Metaph. 2. 2, seſt. 2. & 3. Conimbricenses. l. 2. Phys. cap. 7. queſt. 12. & 13. & alii; quos sequuntur Philosophi, qui ex illorum scriptis ferè sapiunt, Chriſt. Scheiblerus, & Iacobus Martini, in suis Metaphysicis, & ex Reformatis Guinandus Rutgerius, & qui olim in Academiâ hac nostrâ Philosophiam professus est, subtilitas nomine Celeberri-  
mus, D. Gilbertus Iacobæus, uterque in suis item Metaphysicis: Hæc tamen sententia sine ullâ limitatione proposita satis est periculosa in rebus fidei, ubi omnino ac necessario motione prævia admitti debet: itaque alter hujus Academiæ nuper Philosophus, piæ memorie Clariss. D. Burgersdicius distinguebat actio-

nies supernaturales à naturalibus: in naturalibus negabat Deo esse tribuendum concursum per modum principii tantum, aut per modum principii & actionis simul: quia vero in actionibus supernaturalibus, creature non habent sufficientem virtutem, ut eas eliant, dicebat esse necessarium, ut Deus cum illis concurreret non solum per modum actionis, sed & per modum principii, ut videre est ejus sententiam in Metaph. l. 2. c. 11. Quidam ex Scholasticis arbitriati sunt, in iis, quæ à libero hominī pendent arbitrio, concursum Dei, non esse Physicum, sed moralē, & hinc ab heterodoxis Philosophis arrepta est occasio dicendi, quod Deus non concurrat ad conversionem nostri physici, sed moraliter tantum, suadendo,hortando, &c. Quidam abusi significatione terminorum, (immediatione virtutis & suppositi) quos non bene intellexerunt, negarunt Deum concurrere immediate mediatione suppositi. Quidam concursum Dei, quem per modum actionis tantum agnoscunt, statuant esse universale & indifferentem, ut Iesuitæ omnes: sed non eodem modo explicant: aliter Perierius l. 9. c. 13. Phys. General. quem sequitur inter Reformatos Rod. Goclen. c. 34. in prodomo Lex. Phil. aliter Conimbric. loc. cit. queſt. 15. art. 2. quos sequitur ex Reformatis Rutgersius l. 2. c. 4. in suis Metaph. aliter Bellarmine, qui sibi non constat, Tom. 4. controv. l. 2. c. 18. & lib. 4. cap. 15. aliter Suarez Disp. citata. Subtilissimus Iacobæus fatetur res naturales determinari per concursum Dei, sed liberas non item: quas non à Deo, sed à ſe, nec ad unam, sed ad plures actiones determinari à ſe, afferit, cap. 10. l. 3. Metaph. Cl. Burgersdicius licet neget concursum cause primæ determinari à causis secundis quoad specificationem, theſ. 13. c. 11. l. 2. Metaph. adhibita tamen distinctione actionum naturalium & supernaturalium, dicit Deum concurrere, th. 7. ejusdem cap. ad omnes creaturarum actiones, ut causam universalem indifferenter: ideoque specificationem actionum naturalium, (nam in supernaturalibus fatetur esse aliam rationem) non Deo fed ipsius creaturis vult esse adscribendam: hinc quod homo ſe moveat, Deo deberit  
(in eq.

(in eo enim movemur) sed quod motus ille sit ambulatio, homini tribuendum esse, ibidem asserit. Nos contra hosce omnes, statuimus, *Deum concurrere ad actiones creaturarum, non tantum per modum principii, tum physici, tum moralis, sed & per modum actionis, idque immediate, tum immediatione virtutis, tum suppositi, & quidem concursu, particulari ac determinante, prævix ac simulaneo.* Sed distinctè juxta præmissa *tb. 2. & 3.* sententiam nostram enunciabimus, explicabimus, probabimus.

V. *Concursus Dei non est volitio simpliciter:* non nego, volitionem divinam prærequiri ad concursum; sed tamen ita volitio, non est ipse concursus, secundum quem Deus influit ad extra, ad productionem actionum in causis secundis: nam Volitio simpliciter est actio Dei immanens; sed concursus est actio extra Deum transiens: volitio Dei juxta nostrum intelligendi modum præcedit concursum, ut & creationem & conservationem: neque enim sunt ista actiones volitiones formaliter ac simpliciter, sed volitionis executio & terminatio extra Deum. §. *Concursus Dei est quid amplius, quam quod causis secundis essentiam dederit ac vires agendi, & utrumque in suo esse ac vigore conservet,* denique eas agere permittat, quod fatis *disp. superiore* est probatum. §. *Concursus Dei non consistit propriè in virtute superaddita, qua creatura reddatur sufficiens ad actum suum:* nam in naturalibus actionibus nulla virtus superadditur: in supernaturalibus virtus quidem aliqua divina, ut fides, aut alia, superadditur, sed non est adhuc sufficiens tum causa secunda ad actum supernaturalem eliciendum, nisi concursus & influxus divinus de novo accedit. Sed argumentemur. Si Dei concursus in eo consistit, ut indat creaturis novam & ulteriorem agentiam, illa virtus indita, erit haud dubie qualitas, ibi creata vel in agente secundo produceta, ut per eam operetur: sed vero, si ad hunc finem, ut operetur creatura, haec vis & virtus de novo ei inditur & in eo creatur ut sit efficax agens, non minus requiret concursum Dei, quam alia quelibet virtus à natura indita: & si ille concursus iterum consistat in virtute novâ indita, dabitur progressus in infinitum;

nam iterum rogabo, an non novum requirat concursum ut operetur, quandoquidem est virtus creata ac finita: Certe concursus divinus sive dependentia à Deo in agendo convenit rebus creatis in operando, ex eo quod sint creatae entia: ergo convenient omni enti creato in operando: ergo & illa virtus creaturæ superaddita ad actum suum eliciendum, isto modo dependebit à Deo, ejusque concursu indigebit: ergo ante concursum, quo egit, non est illa virtus indita sufficiens ad actum suum: egebit itaque virtus superaddita adhuc concursu, id est, ex illorum hypothesi, alia virtus superadditæ, & haec alia, & sic dabitur progressus in infinitum. §. *Concursus Dei ex parte bene collocatur in motione causarum secundarum, excitatione, & ad agendum applicatione,* juxta vulgatum hoc: *causæ secundæ non agunt nisi motæ à prima:* Dico ex parte, quia non in sola motione, excitatione, applicatione causæ secundæ, eum colloco, sed plus etiam requireo: itaque, §. *etiam est positivus influxus in ipsam actionem,* ita ut Deus non tantum aliquid efficiat in causâ secundâ cum concurrit eam præmovendo, sed & aliquid efficiat cum eâ, quod ipsa vox *concursus* evincit, ita ut concursus Dei sit actio & eadem cum actione causæ secundæ. §. *Nec male Thomas Aquinas in iis quinque quæ recensimus tb. 2.* concursum ponit, licet in iis quinque formaliter non consistat. *Quod Deus concurrendo quandoque specialiter moveat, excitet, applicet causas secundas ad actiones,* certo certius est, & liquet ex eo quod corda hominum mutet & inclinet, quo vult: sed an semper, quando concurrit Deus, concurrendo ad operationes causarum secundarum, eas moveat, excitet, applicet, quæstio est ardua: Putem quod sic: contra Jesuitas, *Suaresium* & alios, qui eos sequuntur, ac seq. *disp.* probatum dabo, quod nunc propter angustiam chartæ non licet. *Quod Scheiblerus* hic dicat, illum concursum solum terminari ad causam agentem & non ad actionem, falsum est: nam concursus non pono tantum in ista præmotione, excitatione & applicatione, sed & in influxu in ipsam actionem terminato, ut jam est dictum.

VI. Ad distinctiones progredior, easque singulas concursui applicabo. §. Deus *concurrit & moraliter*, suadendo, hortando, activa passibus applicando, sed præfertim *Physice* efficaciter cum causis secundis cooperando. Nam concursus moralis non salvat influentiam realem, quæ est in concursu divino ad effectum & actionem cause secundæ ut enim qui hortatur, suadet, aut ignem applicat domui, non est causa *Physica & propriè dicta combustionis*; sic si Deus tantum agat moraliter, non erit *Physica* quoque, vel, quod in hac materia præstat dicere, *hyperphysica*, aut propriè dicta causa actionis causa secunda. §. Deus *concurrit immediate* cum causis secundis ad operandum, & *quoad suppositum*, & *quoad virtutem*, quod *preced. disp.* est ostensum. §. Deus *concurrit, ut causa, & universalis, & particularis*; sed cum distinctione: *concurrit, ut causa universalis*, ratione objectorum variorum, imo omnium: nam Deus concurrit ad action-

nes omnes omnium causarum secundarum: at vero non est causa universalis, sed particularis ratione modi agendi, quia Deus non tantum concurrit ad esse genericum actionis, sed & specificum & individuale, quæ est ens, quæ actio, quæ actio talis in genere naturæ. §. Deus non tantum concurrit ad omnes actiones creature, *concursu simultaneo & concordante*, quem omnies admittunt, præter *Durandum & eos*, contra quos egimus *disp. præced.* sed præterea *concursu prævio & prædeterminante*, quem Jesuitæ negant, Dominicanii affirmant: & ob quam sententiarum pugnam multæ extitere inter eos utrumque similitates & odia, quæ tollere nunquam est ausus Pontifex, decidendo, utra ex duabus hisce sententiis Philosophicis sit vera: nos eo audaciore veram esse pronuntiamus, & sequenti *disp.* eam explicabimus ac probabimus, quæ concursum prævium ac prædeterminantem addmittit.

---

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum.

N O N A.

D E

## C O N C V R S V D E I.

### T H E S I S I.

**D**ecidenda nunc est, explicanda, ac probanda, celeberrima atque utilissima quæstio, *An præter concursum Dei simultaneum, qui nihil est aliud, quam actio ipsa causa secunda, ut à Deo procedit, detur concursus prævious, qui nihil est aliud, quam motio quedam, virtutem activam creature complens, eam excitans, applicans, determinans ad agendum.* Hęc controversia ante annos plus minus sexaginta primum in Hispania, mox Romæ & in Italia, hinc in Galliâ ac Belgio, à Jesuitis mota, & negans sententia acriter defensā fuit contra Dominicanos, qui affirmantem ab Augustino ac suo Thomā acceptam strenue pro-pugnārunt: controversia originem & pro-

gressum fusè narrat *Guilhel. Camerarius Scotus ac Scotifa*, in parte sec. *disp. Philos. quest. 9.* Non tantum momenti esset situm in hac controverbia, si ipsa intra Philosophiæ limites constitisset; sed enim & Theologiae pomœria intravit, eamque non leviter infecit: nam qui concursum prævium in naturalibus actionibus primum sustulerunt Jesuitæ, eundem in supernaturalibus iidem sublatum iverunt: hinc, circa bonum spirituale faciendum, dictitarunt, voluntatem seipsum movere, excitare, applicare, determinare, & motionem Dei præviā excitantem, applicantem, determinantem, non minus hic quam in naturalibus esse otiosam, vanam, inutilē: quæ quo abeant, unus.

unusquisque videt: hinc à Jesuitis introducta est ficta libertatis notio, in indeterminata *diuīphoria* confitens: hinc scientia media: hinc decreta conditionata: hinc concursus universalis tantum, indiferens, & indeterminabilis, ac non determinans: hinc moralis tantum in convertendo homine Dei actio, & alia plura, quæ ceu floscui pullulant ex negato Dei prævio ac prædeterminante concursu ad actiones supernaturales, sicut eum negant ad quamcunque actionem, supernaturalem & naturalem, Jesuitæ omnes, *Fonseca, Suarez, Molina, Lessius, Conimbricensis, Ruvinus*, & qui eos sequitur *Abra de Raonis*, alii que ex quibus hodie Philosophari consuevimus: sequuntur hosce multi ex Reformatis, qui imprudenter nimis concursum Dei prævium negant sine restrictione, *Scheiblerus, Iac. Martini, Rutgerius, Iacobæus, &c.* Cl. D. *Burgersd.* concursum prævium in supernaturalibus admisit, in naturalibus sustulit, sicuti id *disp. præed. ex ejus Metaph. l. 2. c. 11.* est ostensum.

II. Sententia nostra est: *Non tantum in supernaturalibus, sed & in naturalibus, causæ secundæ, tum necessarie, tum liberæ, actionibus, præter concursum simultaneum, admittendus est prævius:* itaque utrumque in concursu Dei includimus: dicimusque, Deum concurrere & per modum actionis & per modum principii, attingendo & operationem, & potentiam seu principium operandi ipsius causæ secundæ in operatione qualibet, naturali vel supernaturali: Quam sententiam antequam ulterius explicem ac probem, congre-diendum est prius cum Cl. D. *Burgersdicio*, praecitore olim venerando. Primum, qua habet *th. 4. c. 11. l. 2. sue Metaph.* quando probat concursum Dei non recipi in causis secundis per modum principii aut conditionis actionem earum præcedentis, nos non tangunt, quia probat tantum, concursum Dei non esse in eo collocandum solum, ut per modum principii agat, quod ultrò fatemur, & nos ipsi ultra requirimus, præter hunc influxum in causam aut potius potentiam agentem, qui est concursus prævius, diciturque nobis concursus per modum principii, adhuc influxum in

ipsam actionem, qui est concursus simultaneus & per modum actionis: ne nunc dicam ipsum alio planè sensu hanc phrasin capere, *concurſus per modum principii*, quam nos capimus: nam ille existimat istam phrasin significare, virtutis alicuius novæ in causas secundas ad agendum impressionem, quam nos *superiori disp.* opinionem rejicimus, & rejicimus hanc phrasin, si hoc significet: at nobis nihil significat aliud, quam Deum concurrendo non novam virtutem producere, sed virtutem in creaturâ existentem excitare, ut efficaciter agat. Deinde quæ habet *th. 5. seq.* quando probat concursum Dei non posse esse simul per modum principii, & per modum actionis, nihil habent difficultatis, & facile expedientur. Rogat, *quorū pertinet illa virtus, quæ datur creaturis per modum principii, an ut per illam virtutem operentur?* atqui creaturæ, inquit, habent virtutem sufficientem ad operandum: ergo illa virtus est supervacua. Resp. primum supponit concursum prævium per modum principii collatum esse virtutem aliquam novam de novo creaturis aut causis secundis impressam & inditam: at hoc non ita est, ut *disp. superiore* est ostensum, & non ita esse ipsi dicent *Præterminantes* plerique, seu concursus prævii assertores: deinde, quod roget, *quorū pertinet*, non *virtus*, ut loquitur, sed *motio prævia*, respondeo, & dico, motionem istam præviam dari, ut operari incipient causæ secundæ, ut ex non operantibus fiant operantes: creatura enim licet, cum operatur, habeat sufficientem virtutem ad operandum in suo ordine & genere causarum, quia tamen est causa secunda, non est primum se movens, sed operatur mota: atqui non potest moveri ab alia causa secundâ: ergo à primâ: ergo causa secunda non est sufficiens, ut se moveat, id est, ut ad agendum se excitet; sed oportet eam moveri & excitari prius aliunde: & in eo est concursus Dei prævius, ut causam secundam moveat; causa secunda mota operatur per virtutem sufficientem in suo ordine causarum; at nihilominus adhuc eget concursu simultaneo, quia tam parum est actio independens à Deo quam ipsa causa agens: itaque hoc argumentum Cl. D. *Burgersdicio*: Causa secunda, v. g. ignis, habet

habet virtutem sufficientem ad operandum, ergo non indiget concursu per modum principii, seu influxu previo & determinante: tam militat contra influxum & concursum simultaneum, quam contra prævium: Nam si D. *Burgersdicio*, Creatura dicatur habere virtutem sufficientem ad operandum, & nihilo minus includit influxum Dei in actionem ipsam, seu concursum simultaneum, quem ipse cum aliis statuit hic tantum, cur minus dicam ego, creaturam habere sufficientem virtutem ad operandum, licet includat influxum in ipsam causam seu concursum prævium? nam sicuti Creatura sufficienti virtute preedita operari tamen non potest sine concursu Dei simultaneo, ita afferente ipso D. *Burgersdicio*; sic dico ego, Eadem creatura, licet instruxta sufficienti virtute ad operandum, operari tamen non potest sine concursu prævio, id est, nisi primum mota à Deo, quia creatura non est primum se movens: & hoc observandum est in genere, quoties causa secunda dicitur habere virtutem sufficientem aut completam ad operandum, id non dici de ea, quasi sic excludat Dei concursum, sive simultaneum, sive prævium, quia is propter dependentiam cause secundæ à primâ excludi non potest, adeoq; causis secundis intrinsecus est, ac causarum secundarum naturis, quia sunt secundæ, debitus, ita quidem iis naturalis, ut si causa prima non influat suo concursu, causa secunda operari nullo modo possit, sed miraculum sit, quod liquet in fornace Babylonis: non igitur excludit concursum Dei causa secunda, cum dicitur habere perfectam & completam virtutem operandi; non simultaneum, ut D. *Burgersd.* cum omnibus vult, sed nec prævium, ut nos ostendimus, verum excludit concursum causarum sui ordinis, id est, secundarum.

III. Nunc porrà sententiam & mentem nostram explicabimus, quæ ut intelligatur, sciendum & observandum est, illa duo esse distinctissima: *operari cum aliquo*, & *operari in aliquo*, vel *operari per illud*, *moveare ipsum ad operandum*: primum, *operari cum aliquo*, significat tantum similitatem & concomitantiam concursus: ita, si duo portent eundem lapidem, simultaneo concursu concurrunt,

quia quis operatur cum alio: sic unus equus cum alio simultaneè concurrit, quando simul trahunt plaustrum; alter enim cum altero operatur: at verò secundum, *operari in aliquo*, *per aliud*, requirit non tantum, ut agens, quod operatur in alio seu per aliud, simultaneè concurrat cum altero, sed ut per concursum suum faciat alterum agere & operari, quia agens tale operando movet alterum, & facit, ut illud operetur: sic ex duobus, qui portant lapidem, neuter operatur in altero aut per alterum, aut ex duobus equis trahentibus plaustrum, quia neuter præmovet aut applicat alterum ad agendum: jam verò, hoc est quod dicimus, Deus non concurrit cum causâ secundâ, operando tantum cum eâ, ut duo ferentes eundem lapidem, aut duo equi trahentes idem plaustrum, qui concursus est simultaneus, sed concurrit etiam cum causâ secundâ, aliquid operando in illâ & per illam, quatenus eam movet efficaciter, applicat & determinat ad agendum, qui est concursus prævius & prædeterminans: & sic magis explicatur & solidius, dependentia causæ secundæ à primâ, quæ per concursum simultaneum tantum, non satis salvatur: nam si Deus & causæ secundæ concurrunt concursu tantum simultaneo, ut duo equi trahentes plaustrum, erunt causæ partiales actionis: & sic unaquaque causa, prima & secunda, adhibebit proprium ac peculiare influxum, quem habet à seipso, ita ut in influendo non dependeat ex influxu alterius causæ tanquam à causâ verè efficiente, licet effectus dependeat ab utraque, sicuti influxus unius equi non dependet ex influxu alterius equi (neuter enim alterum influere facit) licet tractio plaustris ab utriusque influxu simultaneo dependeat: sed hoc de Deo & creaturis dicere absurdum est: non enim sunt causæ partiales concurrentes, sed totales; non independentes à se invicem, sed dependentes: Deus quippe est causa totalis in suo genere; creatura in suo genere; hæc ab illo dependens: Deus quidem à nullo dependet, sed secunda causa dependet in suo influxu à Deo, cui subordinatur, ut causæ priori, non tantum morali, sed verè & physicè operanti: ergo ad concursum divinum & dependentiam causæ secundæ

secundæ à primâ explicandam, non sufficit dicere, quod Deus simpliciter cooperetur cum causa secunda, & influat influxu simultaneo, sed requiritur amplius, ut operetur aliquid in eâ, & influat in eam, influxu prævio eam movendo, &c. Sed vero ostendamus hoc clarissimè. Causa prima & secunda concurrunt ad actionem causæ secundæ, sed cum discrimine: Deus non solum est causa illius actionis, v. c. calefactionis, prout est ab ipso, sed & per suum concursum causa est ejusdem actionis, prout est à causa secunda, sc. igne: at vero causa secunda licet sit causa suæ actionis, prout est ab ipsa, ignis v. c. causa suæ calefactionis prout est ab ipso igne, non tamen potest esse causa illi us prout est à Deo: ergo plus aliquid est in concurso causa primæ quam secundæ: causa nempe secunda tantum causat suam actionem; Deus non solum causat istam eandem actionem causæ secundæ, sed per suum concursum facit actu, ut causa secunda agat, ut ignis v. c. calefactionem producat: quare non operatur simpliciter cum igne, & cum qualibet causa secunda, concurru simultaneo, aliquid operando cum eâ, sed & concurrit concursu prævio, aliquid operando in eâ, physice eam movendo, applicando, determinando.

I V. Probamus efficacissimè concursum præviū argumento. Quod est in potentia, non potest reduci in actum, nisi per aliquid, quod sit in actu: sed omnis causa secunda est in potentia ad agendum, antequam agat: ergo non potest reduci ad agendum, nisi per aliquid quod sit actu: major patet, quia quod est in potentia calidum, non sit actu calidum, nisi per aliquid quod sit actu calidum, vel formaliter, vel eminenter: minor probatur; quodcunque modo facit, modo non facit, modo facit unum, modo alterum, illud est in potentia ad actionem: sed omnis causa secunda modo agit, modo non, modo agit hoc, modo illud, quod ex inductione patet: ignis enim modo agit, modo non, modo cespitem comburit, modo lignum, & sic in cæteris: jam sic pergo: Omnis causa secunda debet fieri actu causa & actu agere per aliquid quod sit actu causa: sed hæc causa, quæ est actu causa, per quam creatura debet fieri actu causa, non est

ulla secunda aut creata, sed prima, & increata, solus Deus: ergo solus Deus reducit omnem causam secundam de potentia agente ad actu agentem: atqui in eo consistit concursum Dei præviū & prædeterminans, ut Deus faciat actu agere causas secundas, quæ non agunt, sed agere possunt, ut eas ad agendum moveat, excitet, applicet, determinet, quod erat demonstrandum: quod non sit alia causa actu quam Deus, patet, quia omnis causa secunda est causa in potentia: ergo sola causa prima est causa actu: est enim purus actus.

V. Sed hic dubium aliquod removendum est, quod aliquem suspensum tenere queat, Quærat quispiam, an influxus in causam secundam, qua Deus causam secundam moveat, excitat, determinat ad operandum, & influxus in ipsam actionem, quæ operanti causæ secundæ cooperatur Deus, sint duo influxus? seu, an concursum Dei præviū & simultaneus sint duo concursum? Resp. quod non: nam est unus idemque influxus re, unus idemque concursum re, sed duo sunt ratione: nam quatenus Deus moveat causam secundam, ut agat, dicitur se habere ejus concursum & influxus per modum principii, vocaturque prævius & prædeterminans; quatenus influit in actionem ipsam, dicitur se habere per modum actionis, vocaturque simultaneus & concomitans; unus tamen idemque influxus & concursum, quo influit, in causam secundam, eam movendo, & in actionem causæ secundæ, cum causâ secunda cooperando. Sed dicet quis, idem influxus non est prior & posterior seipso: sed influxus Dei in actionem est posterior influxu causæ secundæ in actionem; influxus vero Dei in ipsam causam secundam est prior influxu causæ secundæ in actionem: ergo influxus in ipsam causam secundam & in ejus actionem non est idem influxus; seu concursum prævius & simultaneus non est idem concursum. Resp. ineptum hoc est dicere, quod influxus causæ primæ in actionem causæ secundæ sit posterior influxu causæ secundæ in actionem suam, licet sic loquantur & loqui fere cogantur adversarii; quia influxus causæ primæ omnibus modis prior est influxu causæ secundæ: nam (quod bene hic est notandum) concursum prævius &

simultaneus non est hoc modo concipiendus, quasi Deus, ubi causam secundam movit & excitavit ad agendum, subito cesset ab illo influxu, & alio postea influxu in actionem influat & concurrat, sed Deus istum influxum, quo movet creaturam ad agendum, continuat, cum influat in actionem ipsam, itaque per eundem influxum & concursum causam se-

cundam movet ad operandum, & simul influat in causæ secundæ operationem: respectu priori, quatenus movet, ejus influxus dicitur concursus prævious; respectu posteriori, quatenus cooperatur, dicitur concursus simultaneus, unus idemque influxus re, nostro tantum concipiendi modo distinetus.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

## DECIMA

DE

## CONCURSV CAVSÆ PRIMÆ.

## THESIS I.

**E**xposuimus & adstruximus *disp. preced.* Concursum causæ primæ ad actiones causæ secundæ prævious; protulimus argumentum unum atque alterum: Verum quia res est maximi momenti & usus, etiam hanc disputationem ei dabimus. Inter argumenta pro concurso prævio postremum non est, quod defumitur ab ipso concurso simultaneo, quem Adversarii admittunt, qui ipse prævium infert efficacissimè, etiam invitis omnibus adversa partis patronis: nam Deus non potest concurrere concurso simultaneo, si non præmoveat creaturam ad agendum, nisi quis statuat, aut ipsam creaturam determinare Deum, aut causam primam & secundam determinari ab alia tertia, aut eas concurrere fortuito & casu, quæ omnia cum sint absurdâ, omnino admittenda est prædeterminatio & præmotio illa, in qua concursus hic prævius consistit: quod argumentum, quia urgentissimum est, imò tanti roboris, ut ipsi *Suarefo disp. 22. sett. 4. Metaph.* concursus prævii hosti maximo, summa difficultatis esse dicatur, paulò latius est explicandum.

Sic argumentamur. Si Deus non concurret concurso prævio, determinando antecedenter creaturam ad actum suum, neque potest conjungi in agendo cum creaturâ concur-

su simultaneo. Sed ex hypothesi Adversariorum Deus, &c. Ergo. Prob. maj. Coniunctio in operando cum creaturâ non dicit solam indistinctam aut præsentiam localem cum illâ; multa enim sunt, quæ habent indistinctam ac præsentiam localem cum alio, neque tamen cum illo statim cooperantur; & præterea, Deus propter suam immensitatē intime præfens est rebus omnibus, non tamen coëfficit omnia, quæ potest coëfficere; ergo coniunctio primæ causæ cum secundâ in operando plus dicit, quam præsentiam utriusque; scil. dicit præterea, quod per se & non casu convenient, ad producendum eandem operationem: tunc vero per se convenient & non concurrent casu ad eandem operationem causæ duæ, quando vel ambæ alicui superiori causæ subordinantur, vel ambæ naturâ suâ sunt determinatae ad operationem illam, ita ut illam non possint non producere, vel quia una ex illis determinat operationem alterius, & consequenter determinat causam alteram ad agendum: præter hos enim convenienti & concurrendi ad productionem unius ejusdemque operationis modos, alijs excogitari non potest, nullus verò ex hisce modis convenire potest causæ primæ convenienti & concurrenti cum causâ secundâ ad productionem unius

unius ejusdemque operationis, nisi is, quo dicamus, *Causam primam ut superiorem determinare secundam ut inferiorem*: ergo sic quoque dicendum est, & sic habemus concursum prævium: quod verò nullo alio modo Deus dici possit convenire aut concurrere cum causa secunda, quam hoc postremo modo, nim. determinando, & præmovendo, facile probatur; nam 1. falsum est, quod utraque, tam prima, quam secunda causa, subordinentur tertiae cause superiori, cum causa prima Deus nullam habeat causam supra se, nec causa secunda subordinetur ulli, nisi ipsi Deo. 2. falsum est, quod utraque causa, prima & secunda determinantur naturâ suâ necessario ad operandum, quia, & Deus in omni concursu ad extra est liberrimus; & causa multæ secundæ non agunt ex necessitate naturæ, sed liberè quoque, habentque dominium sui actus. 3. falsum est, quod causa secunda determinet operationem cause primæ, licet hoc audacter fatus & maximo molimine assertum sit à *Iesuitis, Fonseca, Bellarmino, libris & locis, superiori disputatione, citatis*: verum non tantum falsa est hæc assertio, sed multorum insuper errorum basis ac causa; quare opera fuerit premium eam planè evertere.

III. Qui concursum Dei, quem simultaneum agnoscunt solum Adversarii, dicunt indifferentem & universalem, eumque faciunt determinabilem & determinari afferunt à concursu causa secundæ, illi indigentiam, potentialitatem, & imperfectionem Deo attribuunt, quod Deo est indignum & injurium. Atqui Adversarii, &c. Ergo. Injuriam Deo fieri ex hac sententiâ manifestissimum est: Deus concurrit cum voluntate nostra, ut purus actus, ergo non expectat aliquem concursum voluntatis nostræ, quo ejus indifferentia universalis in agendo determinetur, ut quidem volvit & loquuntur *Iesuitæ*: ratio consequentiæ est, quia repugnat puro actu, esse determinabilem & determinari per aliud: quod enim determinat, perfectius est determinabilis aut eo quod determinatur: at Deo, qui est purissimus actus, nihil est perfectius; immo, quia purissimus est actus, ipse omnia determinat, & à nullo determinatur, ipse omnia

actuat, & à nullo actuatur: certè, sicut summa perfectio est, à nullo determinari vel actuari, ita imperfectio quædam, potentialitas, & indigentia est, ab alio determinari & actuari. Sed figmentum hoc concursus Iesuitici, Deo indignum, per modum causa universalis & indifferens, quæ à causa particulari secundâ determinetur ac specificetur, latius detegendum est ac refutandum: latet enim hic anguis in herbâ.

IV. Sic argumentamur. Si concursus Dei indifferens esset & determinaretur à causa secunda, in genere cause efficientis (nam de hac determinatione quæstio est, non de determinatione in genere cause materialis, aut subjectivæ) vel ut clarius loquar: si Deus expectat concursum nostra voluntatis, ut in genere cause efficientis antecedentem, non solum determinabitur Dei concursus, sed Deus ipse, id est, non solum determinabitur ejus actio, sed ipsum, qui est causa & principium actionis. Hoc est absurdum. Ergo & illud, ex quo sequitur, sc. concursus universalis & indifferens. Probatur Major, hoc modo. Prioritas inter actiones, respiciendo genus cause efficientis, respicit ipsas actiones, quatenus formaliter egrediuntur à suis agentibus: actio enim, qua actio est, est formaliter ab agente, & per illam in materiam subjectam agens dicitur agere, ergo prioritas inter actiones formaliter ut actiones, est prioritas quoad illum modum procedendi ab agentibus: si igitur actio unius causa, puta secunde, ex sententiâ Adversariorum, est prior actione alterius cause, puta primæ, in genere cause efficientis, non tantum operabitur in ipsam actionem, sed & in causam à qua procedit, quia non potest operari in actionem, nisi in quantum ea procedit ab agente, ac proinde operabitur determinando in ipsum agens: Philosophi sanè omnes ordinant eodem planè modo & actiones, & agentia, à quibus proveniunt actiones; & in ordine ac genere cause efficientis, esse unam actionem priorem alterâ, est, unum agens esse prius altero, & consequenter, unam actionem habere influxum efficienter in aliam, si sic loqui liceat, est, unum agens habere influxum in aliud: ergo, si voluntas nostra suo concurso

cursu in genere causæ efficientis ita determinet concursum divinum, ut ejus concursus exspectet nostrum, voluntas nostra determinabit concursum divinum efficienter, per consequens, determinabit ipsam causam, Deum. At qui hoc est, Deo imperfectionem, indigentiam, potentialitatem adscribere: quia determinans est perfectius eo, quod determinatur, ut antè est dictum.

V. Preterea, concursum Dei indifferentem & à causâ secundâ determinabilem, quo per modum causæ universalis concurrit, ita explicant ejus patroni, ut Deus concurrit tantum ad esse genericum actionis, causa secunda det esse specificum actioni, ad quam ambe concurrunt: quod si verum est, Deus minus influet concurrendo, quam causa secunda, & aliqua entitas eximetur efficientiæ divinae: at Deus non minus, si non magis, influat concurrendo in actionem causæ secundæ, quam ipsa causa secunda, nec ulla entitas efficientiæ divinae eximi potest. Et si hic concurrendi modus in Deo, per modum causæ tantum universalis & indifferentis, qua determinetur & specificetur à causa secunda, applicetur operationibus supernaturalibus, ut specificatio bonarum actionum sit à sola causâ secundâ, qua primam determinat ac specificat, jam in aperito est, quantum derogetur gratiæ divinæ, & tributatur arbitrii liberi & voluntatis humanæ viribus in operando: sed id parum curant Adversarii: verum ne in naturalibus quidem id mihi placet, quod Deus dicatur ad actiones creaturarum concurrere, ut causa universalis, modo jam explicato, quamvis ita senserit & loquutus sit inter alios Cl. D. Burgerſd. l. 2. Metaph. c. 11. th. 7. Verum liceat id pace Venerandi olim Praeceptoris, & salvâ reverentiâ piis Manibus debitâ, dicere: non ista ~~exspectatio~~ in concurso explicando versatus est Vir Cl. quam quidem adhibuit in aliis Philosophia capitibus explicandis: cogitationes secundæ, si per vitam licuisset, haud dubie aliquid elaboratus hic nobis dedit.

V I. Specialem ac particularem Dei concursum rejicit loc. cit. D. Burgerſd. propter denominaciones actionum, à quibus denominantur causæ secundæ, non prima: quo argu-

mento & alii sunt usi. Ex. gr. Homo dicitur ambulare, non Deus, ignis urere, non Deus: licet Deus non minus conferat ad ambulandum vel urendum, quam homo vel ignis: ratio est, inquit cum aliis, quis Deus est causa universalis, & sunt ejus verba, *Causa universalis indifferenter se habet, eademque virtute concurrit ad omnes creaturarum actiones, ideoque specificatio actionum, non Deo, qui est causa universalis actionum naturalium, sed ipsis creaturis adscribenda est, ideoque quod homo se moveat, Deo debetur: sed quod motus iste sit ambulatio, homini tribuendum: ideoque non Deus, sed homo dicitur ambulare.* Hic quidem est discrusus D. Burgerſd. itoc loco, in quo, ut liberè eloquar, non pauca desidero.

V II. Dicit, quod homo se moveat, Deo deberi, sed quod ambulet, homini, quia Deus sit causa universalis, homo particularis in concurrendo. Ergo, inquam ego, Deus tantum concurrit ad esse genericum istius actionis in quantum est motus, non ad esse specificum in quantum est ambulatio, multo minus ad esse individuali, in quantum est ambulatio talis: at vero hoc est contra rectam rationem: nam sic nō esse specificum, ne nunc loquar de individuali, eximeretur in hoc motu & quovis alio, efficientiæ & concursi divino. Sic argumentor contraria. Si efficientia & concursum divinus requiritur ad id omne producendum quod habet aliquam entitatem Physicam & veram, ergo etiam efficientia & concursum divinus requiritur ad specificationem actionum, quia specificatio actionum est entitas vera & Physica, in dū à specificâ ista entitate actiones omnineque res in suas species & classes entium dispeluntur: quare, qui dicit, Deum tantum concurrere ad actionis esse genericum, in quantum est motus, non vero ad specificum, in quantum est ambulatio, cursus, &c. is potissimum rerum entitatem & physicam realitatem, efficientia, influxui, concursui divino admit: adhuc, plus conferet creatura, qua speciem lagitur lux actioni, quam Deus, qui generice, & indifferenter, & universaliter concurrit, tam ad unam unius causæ secundæ actionem, quam ad aliam alterius. Sed porro, ego quidem non video aut percipio, quomodo id dici

dici possit, quod Deus ut causa universalis concurrat ad actionem in genere quatenus est motus, non concurrat idem ad actionem in specie quatenus est ambulatio, cum nemo possit concurrere ad esse genericum rei, nisi idem concurrat ad esse specificum & individuale; quia non esse genericum continetur & est in non esse specifico, & utrumque includitur in non esse individuali. Motus in genere non existit, nisi in quantum est ambulatio, cursus, aut similis actio in specie: quomodo ergo potest quis concurrere ad motum in genere, qui non concurrat idem ad actionem in specie, cum motus in genere produci nequeat nisi producendo actionem talem in specie? Postremo, si non detur concursus singularis, influxus particularis Dei, qui terminetur ad particularem in specie & singularem in individuo actionem atque effectum, ne universalis ille quidem Adversariorum concursus flare potest, quod ad oculum demonstrabo.

VIII. Quoties homo generat hominem, Philippus v. c. Alexandrum, qua ratione quis non indiget concursu Dei ad procreandum hunc hominem, eadem ratione neque indigebit concursu Dei ad procreandum vel hominem vel animal: nam qua virtute quis pro-

creat Alexandrum, eadem per omnia virtute procreat & hominem & animal: proinde, si non egeat concursu particulari, influxu speciali, ad procreandum Alexandrum, nec egebit concursu universali, influxu indifferente, ad procreandum hominem vel animal: similiter, si homo non indigeat concursu particulari ad hanc speciem actionis, ambulationem, neque universali concursu indigebit ad productionem motus in genere. Quemadmodum itaque homo producens hominem, & hunc hominem, producit in individuo, & hominem in specie, & animal in genere, & vivens, & corpus, & sic porro, eundo per omnes entitatis gradus, ita & Deus concurrendo ad quamlibet actionem causæ secundæ producit actionem, & qua est ens, & qua est motus, & qua est ambulatio in specie, & qua est hæc ambulatio in individuo, manendo semper in genere naturæ; & sic utraque causa prima & secunda ratione modi agendi est particularis, quia utraque hoc modo agit, ut ambae omnem gradum entitatis in actione & effecto concurriendo attingant: ratione vero objecti potest speciali denominatione causa prima dici universalis, quia ad omnia objecta, effecta, actiones; secunda particularis, quia ad certa objecta, effecta, actiones, operando concurrit.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

UNDÉCIMA,

DE

## CONCVRSV CAVSÆ PRIMÆ.

## THEISIS I.

**O**Stendimus Disputationibus nunc aliquid, dari Concursum Dei ad operationes omnis causarum secundarum, eumque non simultaneum tantum sed & præviuum, atque illum non universalem sed particularem, non determinabilem sed determinantem, adeo ut actio causæ secundæ quelibet dependeat à Deo non tantum quoad esse genericum, sed &

quoad esse specificum, & quoad esse individuale, manendo in genere naturæ: atq; ita defuncti videmur isto labore, ut ex iis, quæ disputationem, facile sit adversæ partis argumenta solvere; verum enim verò quia in quibusdam rationibus valde triumphant, quas pleno semper ore crepant Adversarii, ac quibus calumnias impingunt huius nostræ sententiaz, eas,

F quibus

quibus hoc tentant, omisiss cæteris, jam nunc refutabimus, contra morem nostrum: quia solâ ~~xaractere~~<sup>et</sup> contenti in disputationibus conficiendis, ~~aracteris~~<sup>et</sup> ipsi conflictui solemus reservare.

II. §. 1. Si Deus non ut causa universalis sed ut particularis concursu particulari concurredit ad specificationem actionis, ergo Deus dicitur ambulare, urere, &c. Sed hoc est absurdum. Ergo & illud. Resp. 1. non sequitur, ex concursu particulari causæ primæ ad actionem in specie ipsam statim causam primam particulariter concurrentem inde denominari: ratio est, quia ambulare, verbi causæ, non est tantum efficere ambulationem, sed etiam informari ambulatione: & hinc est, quod *à ambulare* denominet hominem, non Deum, quia Deus ictius informationis capax non est: hoc enim presupponeret potentiam passivam, quæ Deo non convenit: pari modo, *urere*, non tantum est efficere unctionem, sed & informari amore, quod convenienter tantum secundæ convenit & soli convenire potest. ita fatetur Suarez, nobis hic cum cæteris omnibus adversarius, l. 2. de concursu Dei cum voluntate humana, c. 17. n. 8. quod *à amare* non sit tantum efficere amorem, sed & informari amore, quod convenienter voluntati elicenti amorem, non Deo cum illâ concurrenti: hinc licet Deus cum voluntate efficiat amorem, non tamen dicitur amare hoc amore ut quidem dicitur voluntas. 2. Effectus & actio denominat causam illam, à cuius influxu determinato & tantum fluit, sic ut illa causa alias actiones & effectus extra hoc genus effectuum & actionum non producat, non verò illam causam, à cuius influxu, quod obiectum in determinato, aliæ actiones quoque & effecta profluant: ita ignis dicitur urere, quia influxus ignis ad unctionem, non ad ambulationem, non ad locutionem, &c. terminatur: contra homo dicitur loqui, animal ambulare, non urere, quia neutrius influxus ad unctionem terminatur: at Dei influxus ad omnia objecta & quævis effecta & actiones terminatur; ideoque Deus influendo à nullo obiecto, effecto, actione certâ denominari potest.

III. Si §. 2. Deus concurrat concursu, non universalis, sed particulari, ad omnes causarum secundarum actiones, erit causa particularis etiam earum actionum, quæ cum lege Dei pugnant: Atqui hoc est absurdum. Ergo &c. Ego verò nego hoc esse absurdum. Probant, quia sic Deus erit author peccati: qui enim est causa particularis istarum actionum, quæ cum malitia sunt conjunctæ, quas malitia sequitur ac concomitant, is est author peccati: atqui Deus, ex nostra sententia, est causa particularis &c. Ergo &c. Resp. Majorem non sequi, & esse ambiguatem in isto termino, causa particularis, & in istâ phraesi, cum dicitur; malitia sequi aut comitari actiones. 1. Causa particularis dicitur, aut, quatenus in actione mala sive peccato entitatem specificam actionis in particulari, ut est species entis in genere naturæ producit; aut quatenus causa particularis est terminata in ipsum defectum, malitiam particularē illius actionis: Deus concurrendo dicitur particularis causa, priori tantum modo, quatenus producit entitatem specificam actionis, ut est actio in particulari: creatura rationalis dicitur causa particularis utroque modo, quatenus præter modum priorum suo concurru & operatione terminatur præterea in malitia ac vitiis actionis: sed respondebimus distinctissime. Si causa particularis intelligatur, à quâ peccatum in concreto, id est, actio mala, habet non tantum entitatem suam physicam, sed & illum defectum, à quo ratio est peccati in abstracto, à quo ipsa malitia est, à quo ex. gr. furtum est furtum, conceditur major & negatur minor; id est, *Qui est hoc modo causa particularis actionum, que cum malitia conjuguntur, ut non tantum sit causa particularis entitatis physice ipsius actionis, sed & malitia in particulari, quæ est in actione, is est author peccati*: vera est major; sed falsa est minor, *quod Deus in concurrendo sic dicitur causa particularis*; sed verò si intelligatur causa particularis, illa, à quâ peccatum in concreto, id est, actio mala, habet entitatem specificam actionis tantum, non malitiam, tum negatur major, quod, *Qui est causa particularis actionum, que cum peccato, id est, malitia*

*malitia sunt conjunctae, sit autem ipse peccati, id est, malitia, cum ille tantum concurreat ad entitatem specificam actionis, quia talis: & conceditur minor: Deus enim est causa particularis etiam earum actionum, quae malitia & peccato substernuntur: ex gr. furari non habet tantum rationem entis, sed & actionis, & hujus actionis in specie, quae dicitur ablatio: Deus concurreit, ut causa particularis ad motum istum physicum actionis, quae furto substernitur, non tantum ut est motus, sed & ut est actio, & ut est actio talis physica, sc. ablacio: Si enim Deus non concurret sic in particulari, fur non tantum non posset se movere, sed nec sic in specie movere manum physicę, ut istuc tendat, unde auffert: sed ad vitiositatem actionis & ablationis, quod ablacio ista sit invito Domino aut inscio, quod sit ablacio rei alienae, ad istam malitiam ablationi accedentem non concurreit Deus: ablacio enim aut spectatur in genere naturae, aut in genere moris: ablacio in genere naturae species est actionis, & motus, & bonum quid, & sine peccato fit, &c, tam Deo quam homini, tam hujus quam illius concursu, subiicitur: ut v. c. si meum librum abstulerō; istius ablationis causa particularis est, & manus mea auferens, & Deus concurrens ad istam motus speciem, quae ablacio dicitur: at in genere moris, prout malitia moralis accedit, si nempe librum alterius abstulerō invito aut inscio ipso, ad istam disformitatem & inconvenientiam cum lege Dei, quae id vetuit, solus ego concurserem, ut causa particularis, non Deus; ratio est, quia illa disformitas solum in me est, & actione mea, ut à me tanquam causā secunda, legi subjecta, proficicitur; sed tamen Deus ad istam ablationem in specie, ut est ens tale in genere naturae, non minus particulariter concurreit, quam tunc, cum sit sine furto, sine ista malitia morali. Ergo Deus nullo modo est author peccati ex particulari concursu, quia particularis ejus concursus terminatur in actionis malis v. g. furti entitatem specificam in genere naturae. 2. Malitia dicitur sequi aut comitari actionem duplíciter, in quantum est privatio restitutioinis moralis aut legalis: vel ex ipsa natura & essentia actionis,*

*quemadmodum hunc actum, qui est fornicationis, sequitur necessario violatio integratit corporis, quae est privatio quædam: & hoc sensu verum est vulgatum axiomā: Qui est author forme, est author omnium consequentium formarum: sed hoc modo ac sensu non sequitur actum peccati sua vitiositas, sua malitia: vel malitia, in quantum est privatio, sequitur aut comitatur actum, non ex ipsa natura actus, sed ex relatione ad agens certum, in quantum scilicet egreditur à tali agente, cui praefixa est lex & regula ad actum oppositum: hoc modo & sensu actum peccati comitatur & sequitur sua malitia, quae iccirco non est rejicienda in quemcunque authorem actus, sed in eum cui praefixa est lex & regula ad actum oppositum: talis author actus est sola causa secunda, non prima: ergo malitia sequitur & comitatur actum peccati, in quantum profluit à sola causa secunda, non autem in quantum proficietur à primā.*

§. 3. Si Deus ut causa particularis concurreat ad entitatem specificam omnis actionis, ergo non tantum ad bonitatem sed & ad malitiam concurret ut causa particularis, quia tam malitia quam bonitas specificat actionem, cum sint oppositæ species. Resp. hoc argumentum proficii ex falso hypothesi; quasi, cum actio dividitur in bonam & malam, illa sit divisio generis in species: nihil minus: est enim divisio subjecti per adjuncta: bonitas & malitia distinguunt quidem actiones, ut adjuncta subjectum, sed non specificant eas, ut differentiæ specificæ genus; quod clarissime hinc liquet, quia una eademque actio potest esse huic bona alteri mala, prout huic est non interdicta, alteri est interdicta: at una res non potest v. c. huic esse homo, illi bestia, et si centenos indicat respectus: &, si esset illa divisio generis in species, cum actio dividitur in bonam & malam, bonitas & malitia essent utrumque aliquid positivum, quia illa, quæ specie opponuntur diversa, utrumque sunt vera entia: at bonitas & malitia, cum non contrarie sed privativè opponantur, nec positivæ aut veræ species entis sunt, nec veras aut positivas species constituant: atq; ex hisce manifestum est, quām ineptè philosophantur de concursu

Dei, qui eum indifferentem faciunt, sic ut ad bonum & malum determinetur tanquam ad diversas specie actiones à voluntate creatâ: cum 1. neque concursus Dei sit indifferens, 2. neque bonitas & malitia diversas specie actiones constituant: sed unus idemque concursus Dei requiritur ad actionem aliquam, tanquam subiectum, quoconque demum accidente, sive bonitate, sive malitia morali affectum, producendum: loquimur de concurso & influxu in actiones naturales, qui unus est idemque in actiones tam bona quam mala, sed utrobius determinatus & particularis ad actionem in specie atque individuo, talem ac talem in genere naturæ *præter* hunc *influxum particularem* & *determinatum* ad actiones Physicæ entitatem genericam, specificam, & individualem agnoscimus singularis gratia influxum & concursum *supernaturale* per modum principij & actionis simul in actione bona qua bona, id est, terminatum in ipsam bonitatem. Itaque Deus respectu actionis, in malâ concurrendo nihil plus operatur quam in bona; dico, *respectu actionis*, quia utrobius genericam, specificam, individualem entitatem actionis non minus producit, quam creatura; sed vero in bona hoc amplius agit concurrendo quam in mala, quod in bona non tantum premoveat & concurrat cum causa secunda ad actionem, sed premoveat insuper & concurrat influendo in ipsam bonitatem per auxilium supernaturale, per influxum specialis gratiae: sed in actione mala, neque premoveat neq; inducit in malitiam, verum in actionem tantum.

V. Ut tandem huic & præcedentibus de concurso Dei disputationibus finem imponamus, atque omnem errandi anfam præcidamus, quomodo concursus Dei dici debeat generalis, specialis, universalis, particularis, breviter proponemus. Concursum *generalis* est is, quem Deus largitur omnibus creaturis, ad omnes ipsarum actiones, qua actiones, peragendas: *specialis*, quem Deus largitur quibusdam duntaxat, idque ad actiones bonas, qua bonas, perficiendas. Uterque concursus est *particularis*, neuter *universalis*: unus terminatur ad actionem non tantum, qua actionem in genere, sed qua talem in specie & in individuo; alter terminatur ad bonitatem non tantum in genere, sed hanc in specie & in individuo. Si quis aut concursum generalem ad actiones, aut speciale ad bonitatem earum, velit vocare universalem, quia generalis ad omnes actiones, qua actiones, specialis ad omnem bonitatem extenditur, per me licet, neque quicquam culpo, ita dici ratione objecti concursus Dei *universalis*: sed cum ista universalitas transfertur ad significandum modum concurrendi in Deo, quasi concurrat tantum actione indifferenti, genericâ, communâ, indeterminata, contrahibili, & determinabili ad hanc aut illam actionem per caufam fecundam, pessimè dicitur concursus Dei *universalis*, neque ferenda est ista denominatio, quæ tot errores peperit per universam & Theologiam & Philosophiam: & talis ac tali modo universalis concursus figuramentum est ac commentum cerebri humani.

---

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

D U O D E C I M A.

D E

## A N G E L I S.

### T H E S I S I.

**A**Nimus est, quæ de *Angelis* naturæ lumine citra revelationem sciri possunt, sub examinis incudem disputationibus aliquot revocare; quod jucundum pariter & utile

utile fuerit Philosophantibus. Nomen (*Angelus*) ~~à~~ *τὸν ἄγγελον, nunciare*, deductum est, & idem notat, quod *nuncius*: itaque, si vis nominis spectetur, non naturæ, sed officii est vocabulum, adeoque etiam ad homines, qui divina annunciant, translatum est: consuetudo tamen obtinuit, ut vocabulum illud usurpetur ad significandam naturam quandam seu substantiam creatam nobiliorrem homine: quam dari ex fide quidem & lumine supernaturali est certissimum; sed a ratione id & lumine naturæ constet, non tam est certum.

II. Quaritur ergo, *Vtrum evidenti aliquatione demonstrari possit Angelos esse?* Videatur id quidem fieri posse, si quidem Philosophi gentiles eos agnoverint: *Aristoteles* quidem l. 12. *Metaph.* & l. 8. *Phys.* intelligentias esse probat, ratione defumta à motu cælorum: hoc ferè modo argumentatur *Philosophus*: cum corpora cælestia moveantur, non tamen à seipsi, ergo ab intelligentiis assistentibus, quas nos Angelos vocamus. At vero hoc argumentum nullum est, nedum ut evidenter demonstraret: nam dici potest aut celos esse animatos, & sic ab anima sua; aut si non sint animati, à sua saltem forma intrinseca (quod nos existimamus) moveri, ut moventur quoque elementa; aut quia est primum corpus, immediate moveri à Deo; ut *Aristotelis* quidem à motu cælorum defumtum argumentum nihil stringat. *Plato* in *Timæo, Cratylō, & eo de legibus*, posuit duplex genus Angelorum, alios inferiores, quos dæmones vocabat, alios superiores, quos Deos: sed nec ille necessariam ejus rei adducit demonstrationem, verum rationes tantum fecutus est probabiles.

III. *Thomæ Aquinas* i. part. summ. *Theol.* q. 50. art. 1. hac ratione conatur demonstrare Angelorum existentiam. Postulat ordo & perfectio universi, ut in eo sint aliqua creature, quæ Deo Creatori assimilentur secundum quod causat ipsum universum; causatautem universum per intellectum & voluntatem; Ergo requiritur ut in eo sint creature intellectuales, id est Angelii. Major probatur: quia ad rationem universi requiritur, ut in illo sint creature, quæ assimilentur Deo, modo per-

festissimo, quo aliquid Deo assimilari potest: atqui perfectissimus modus assimilationis est secundum illud, per quod Deus causat universum. Ergo &c. Hæc ratio primo colligit proprie dari, non Angelos, sed substantias intellectuales: at tales darentur, etiam si non darentur Angelii: nam ipse homo secundum animam, aut ipsa potius anima talis est: deinde, non fuit necesse, ut universum condiceretur in omni perfectione possibili, imo ne quidem in ista perfectione, in qua conditum est: & effectus cause æquivocæ non potest habere perfectam assimilationem ad suam causam: sed universum respectu Dei est effectum causa æquivocæ. Ergo &c. itaque nec ratio *Thomæ Aquinas* loc. cit. est demonstrativa.

IV. *Suarez* Disp. 35. s. 1. num. 5. Angelorum esse actuale sic colligit. Angelii sunt possibles, Ergo produxit eos Deus. Antecedens facile probatur: quia nec repugnat Deo eos facere, quippe qui est virtutis infinita, adeoque potest producere omne possibile, nec repugnat iis eos fieri, quia in tali natura spirituali completa & intellectuali nulla est ad existendum in rerum natura repugnantia: consequentiam sic probat, quia Deus fecit sibi mundum perfecte similem: sed ad hanc perfectiōnem requiruntur Angelii: ergo Angelii de facto dantur: minor probatur, quia Angelii habent excellentem gradum intelligentiæ, qui est Deo simillimus, fine quo manca esset mundi similitudo ad Deum: hunc discursum ibi latissime persequitur ad num. 13. usque, & ex eis omnes ejus compilatores, & inter alios *Schöblerus*, l. 2. *Metaph.* c. 4. Art. 2. num. 5. 6. sed *Suarezum* sic discurrentem egregie flagellat *Vir Clarissimus ac Doctissimus D. Iac. Revius* ad locum istum in suo *Suarezio Repurgato*, ridet ac refutat *Suarezii Socius Iesuita Hurtadus de Mendoza* *Disputatione Metaph.* 12. cap. 2. Et certe conjectura est, non argumentum efficax, aut demonstratio. Nam, quid si Deus creare voluisse hoc universum sine Angelis, ut certe potuisse, an non ratione sapienti fuisset motus & honesta, licet nobis incognita? constat Angelos à Deo esse creatos libere, ita ut potuerit eos non creare, ac nihilominus totum hoc universum sine illis administrare &

regere, cœlos movere, hominibus providere potuisset haud dubie: itaq; cum potuerit Deus Angelos producere & non potuerit pro lubitu, quodnam argumentum ex lumine nature evidens sumemus ad partem alterutram probandum? fecit hominem ad similitudinem suam; neque refert quod ea in Angelis sit perfectior: potuit namque Deus nec Angelos, consequenter, nec similitudinem illam velle producere: nam & nunc potest sine dubio producere Angelos perfectius Deum referentes, quos neque produxit unquam, neque unquam forte producturus est. Et cur non eadem ratione Suarisiā probamus esse mille mundos, totidemque soles & lunas &c.? omnia enim hæc quoque possibilia sunt: hinc venustè exclamat Mendoza loco cit. §. 6. O bone Deus, quam multa fecisses, si, que potuisti, fecisses.

V. Nos itaque demonstrari non posse ratione naturali, quod dentur Angelii, existimamus: neque enim demonstrari potest ex Angelorum essentia seu quidditate, neque ex eorum effectibus: non ex quidditate & essentiâ, quia non est de illorum, sicuti nec de ullius creaturæ ratione, ut existant, quia Deus (qui solus existit necessariò) & illos, & creature liberè condidit, ut potuerit non condere, consequenter, ut potuerint & illi & ista non extitisse: non ex Angelorum effectibus: nam intelligi posset concursus ipsius Dei solus aut etiam aliarum causarum sufficere ad quemlibet effectum Angelicum. Producit Scheiblerus loc. cit. num. 7. effectus hominum obsecorum & arreptitorum, qui sepius loquuntur variis & incognitis linguis, etiam de rebus incognitis, eti fint idiote; blasphemant, mentiuntur, &c. Verum nec hæc ratio est evidens aut demonstrativa; nam certum est animas separatas interdum callere varias linguas, quas in hac vitâ didicerunt, habere etiam voluntatem male agendi, imo & vim movendi corpora: unde ista effecta fieri possunt ab animabus separatis, quæ ad tempus inhabitent talia subjecta: Respondet Scheiblerus num. 8. nullum esse indicium, quod ista ab animabus separatis fiant, & gratis hæc dici. At nec majus est indicium ex lumine nature ista fieri ab Angelo, quare & hoc gratis à Schei-

blero dicitur: cum ergo res utrimque sit ambigua, non potest esse argumentum evidens pro alterâ parte, quod tantum urgemos: producit Scheiblerus exemplum serpentis in paradiſo, ubi nondum fuit anima separata: sed effectus ille seductionis non est cognitus lumine naturæ, ideoque per illum exceptio nostra de naturali lumine non evertitur. Atque sic nihil adhuc appetat, quo evidenter existentia Angelorum (Angelorum dico, nam quod hinc evidenter probetur, naturam spiritualem & non corpoream esse, que dictorum effectuum sit causa efficiens, & quidem creata, haud inviti largimur) lumine naturæ demonstrari possit: interim argumenta à perfectione & ordine universi, ab incognitarum linguarum prolatione, esse probabilia concedimus, & inter argumenta probabilia illud postremum esse probabilissimum & maximi ponderis damus; quare in eo acquisientes, ab Angelorum existentia ad essentiam procedimus.

V I. *Essentia Angelorum* qualicunque descriptione adumbratur, quam sequetur *disputationibus alis explicatio attributiva*, quæ proprietates, & effectiva, quæ eorum operationes explanabit: optimè describitur *Angelus, substantia incorporea, completa, finita*. Angelos esse *substantias*, satis est clarum, quia nulli inhærent ut *subjecto*: sunt *substantiae incorporeæ*, quatenus *incorporeum* distinguitur à corpore de prædicamento quantitatis, seu à corpore mathematico, id est, trinâ illâ dimensione, & ut distinguitur à corpore de prædicamento *substantie*, id est, ab illâ entitate substantiali, quæ est *subjectum* illius trinæ dimensionis: atque hoc uno verbo exprimunt alii, cum Angelum dicunt *Spiritum*, ubi tum vox, *spiritus*, non sumitur improprie, in quantum significat interdum corpus subtile & tenue, quo sensu Physici dispecunt spiritum in naturalem, vitalem, & animalem, sed proprie, in quantum significat substantiam à corpore, tum Physico, tum Mathematico, distinctam, atque hoc communne est Angelo cum animâ rationali & Deo: à quo tamen utroque in reliquis vocibus distinguitur, cum dicitur substantia incorporea, sed completa, sed finita: anima quippe rationalis est substantia incorporea, incompleta: nam à corpore

corpore dependet; actu, in statu conjunctio-  
nis; aptitudine, in statu separationis: Deus  
vero est substantia incorporea, completa, sed  
infinita.

VIII. Ex iis, quæ sunt dicta, manifesta sit  
Angelorum *simplicitas*, qua spiritus ille com-  
pletus, finitus, liberatur ab omni composizio-  
ne; essentiali, quam inferunt materia & for-  
ma; integrali, quæ sit per quantitativas partes  
materiam integrantes. Contrà hic disputat  
Scaliger *Exerc. 359. sect. 3.* *Quæc*, inquit,  
*sunt intelligentiae*, *haud quantitate prædicamen-*  
*ti*, *sed quantitate intelligibili*, *ut intellectus in-*  
*telligat in eis unam partem*, *qua non sit alia*. At  
verò, quomodo potest intellectus concipere  
unam partem ab aliâ distinctam, si partes di-  
versas non habent Angelii? & si intellectus in-  
telligat unam partem, quæ revera non sit alia,  
sed extra aliam, in Angelis, tunc Angeli  
quanti sunt quantitate prædicamentali, quod  
Scaliger negat: nam sic sunt revera extensi,  
qua est ratio formalis quantitatis: nam quid  
est aliud, extensem esse, quam habere partem  
extra partem? Quidquid ita est extensem, est  
quantum quantitate prædicamentali. Id, in  
quo intellectus intelligit unam partem, quæ  
verè non sit alia, est ita extensem. Ergo id, in  
quo intellectus intelligit unam partem, quæ  
verè non sit alia, est quantum quantitate præ-  
dicamentali: si verò pars illa revera non est  
alia, sed tantum concipiatur ita, quantitas illa  
solum confusa est, & ens rationis. adeoque  
confusa est illa Scaligeri distinctio. Ac magis  
errorem suum, quem de Angelorum quanti-  
tate fovet, in sequentibus prodit, *sect. 4.* *Si*  
*intelligentia*, *inquit*, *fines habet*, *quos ultra ac-*  
*præter non potest designari*, *necessè est*, *aliqua*  
*figurâ sit præedita*: *est enim figura*, *non extre-*  
*mitas corporis*, *ut veteres dixerunt*, *sed dispositio*  
*extremitatis*: *at omne terminatum figura aliqua*  
*terminatur*. In quibus verbis Scaliger revera  
à janua aberrat: confundit enim terminos  
effientia cum terminis quantitatis, neque ve-  
ram figuræ rationem tenet, sed quod forma-

proprium est, figuræ tribuit, nitens falsissi-  
mo principio; *Quod omne terminatum*, *figura*  
*sit terminatum*: Quid enim dicemus de for-  
ma substantiali determinante materiæ essen-  
tiæ? an quoque per figuram determinat? Quid de actionum determinatione sentie-  
mus? an illa à figura pendet. Et hunc ejus syl-  
logismum, *Omne terminatum*, *figura termi-*  
*natur*; *Angeli sunt terminati*, Ergo *figura ter-*  
*minantur*, redigimus ad absurdum, hoc mo-  
do. *Omne terminatum*, *figura terminatur*. Es-  
sentia finita (*præcisa etiam figura*) est termina-  
ta. Ergo essentia finita (*præcisa etiam figura*)  
terminatur figura. Conclusio contradictionem  
involvit, & minor vera est; essentia enim fi-  
nita, eo quod non est infinita, est terminata  
in se, *præcisa figura*: ergo falsa erit *major Scali-*  
*geri*: si regerat se loqui de terminatione  
quantitativa, *majore* admissa, dicimus esse fal-  
sam minorem.

VIII. Cum hac Angelorum simplicitate  
optimè convenit multiplex eorundem com-  
positio: 1. Datur in iis *compositio ex esse* & *ex-*  
*istentia* & *essentia*: quia existentia non est  
de illorum essentia: sed essentia eorum abs-  
trahit ab actuali & possibili: adeoque conci-  
pi possunt Angeli non ut actuales, sed ut pos-  
sibles, sicut aliquando fuerunt in potentia  
Dei objectiva. 2. Datur in iis *compositio ex*  
*generi* & *differentia*: quia directè collocantur  
in prædicamento substantia, cum sint entia  
finita & completa: at quod tale est, istius com-  
positionis est capax. 3. Datur in iis *compositio*  
*ex subiecto* & *accidente*: quod vel unicè  
patet de habitibus. v. g. bonitate morali, quæ  
in solo Deo est per essentiam, in creatura ac-  
cidens morale: unde & Angelus eam salva  
essentia potest abdicere & deponere. 4. Datur  
in iis *compositio ex potentia* & *actu*, quia  
non sunt puri actus, hoc enim soli Deo est  
proprium. 5. An detur in iis *compositio ex*  
*natura* & *substantia*, à quibusdam est dubi-  
tatum: sed nos non videmus, cur Angelis ne-  
gari debeat.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

DECIM A-TERTIA,

DE

## A N G E L I S.

## T H E S I S I.

**E**xposuit disputatio præcedens Angelorum effientiam & existentiam: hæc eorum Attributa, seu, ut alii loqui amant, Proprietates proponet. Inter Attributa primum tenet locum intellectus, quem Angelis competere, vel ipsum intelligentiarum nomen evincit: sed qua ratione ipsis conveniat, non est aequa claram. Quæri enim hic solet, *Vtrum intellectus Angeli sit re ipsa idem, quod substantia Angeli, an vero sit accidentis reale superadditum effientia Angeli?* Scotista existimant, Efficiens creatum posse agere per propriam effientiam, tanquam virtutem vel rationem causandi proximum, ut non sit necessarium effientia efficiens aliquod accidens de genere qualitatis superadde-re, per quod formaliter agat; adeoque de facto potentiam intellectivam in homine & Angelo esse re ipsa idem cum substantia animæ & Angeli, statuant: ac probant suam sententiam hac ratione. Si nullum efficiens creatum est operativum per propriam substantiam, sed indiget naturalibus potentias ut accidentibus superadditis & virtutibus agendi proximis, id, velex perfectione est, vel ex imperfectione: sed ex neutro est, Ergo. Non provenit ex perfectione, quia major est perfectio per propriam substancialiter operari quam per accidentia superaddita, unde etiam hic modus operandi solet Deo tribui, ut agenti omnium perfectissimo: nec potest provenire ex imperfectione, quia longe imperfectiora sunt accidentia, quæ tamen operantur per se immediate absque aliqua potentia superaddita, quod liquet in calore, qui est proximum agens & immediatum sue operationis.

11. Durandus. in 2. sent. dist. 3. quest. 5. quamvis in homine intellectum ab effientia

animæ distingui putet, in Angelis tamen intellectum & effientiam non distinguit, quod in Angelis rationes effient, ob quas in homine ponuntur potentiae distinctæ ab effientia: rationes istæ duæ sunt: primo non videtur credibile, tot operationes, quot sunt hominis, intelligere, sentire, crescere, &c. provenire ab una animæ effientia tanquam una potentia: hæc autem ratio non valet in Angelo, cum is non habeat alias operationes, quam intelligere & velle quæ ab una & eadem animæ effientia, tanquam ab una potentia, possint provenire: quod non modo de Angelorum, sed & de animæ rationalis effientia intellectu pronunciat Scaliger exerc. 307. sect. 15. secundo, ideo ponuntur in homine potentiae distinctæ ab effientia animæ, quia videmus animæ effientiam esse actum corporis, potentiam vero intellectus non item: hæc ratio similiter non habet locum in Angelo, in quo neque intellectus, neque effientia, est actus alicujus corporis.

III. Thomistæ, neque in homine, neque in angelo, potentiam intellectivam aut ullam aliam esse posse idem re ipsa cum creature effientia, arbitrantur: quæ est sententia fere communis modernorum: imo Cajetanus in 1. part. Sum. Thom. Aquin. quest. 54. art. 3. allerit repugnare creature, ut secundum suam substantiam sit immediatum principium operationis, eo quod sit summæ perfectionis, in ea-dem re contineri perfectionem substantię & perfectionem accidentis, ut est potentia operandi: sed contra Cajetanum facit, 1. quod cum substantia identificantur, ex multorum sententia, quantitas, figura, relatio, motus &c. quæ tamen accidentia vulgo habentur licet proprie non sint: quare ergo absurdum fuerit,

fuerit, cum essentia creature identificari potentiam operandi, quæ accidens vulgo habetur, sed tum non est: Et non implicat contradictionem, quod existimat *Cajetanus*, creaturam aliquam esse tam perfectam, ut illius substantia sit immediatum principium operationis, id est, ut sit potentia: nam potest creaturae tribui sine contradictione omnis illa perfectio, quæ non sit summa & infinita: sed ut una & eadem res sit essentia & potentia operandi, non est summa & infinita perfectio: nam summa & infinita perfectio est continere omnes omnino perfectiones rerum possibles, sicut eas Deus continet eminenter: at dicere, rem unam eandemq; esse essentiam & potentiam, non est dicere, rem habere omnes perfectiones possibles. Ergo &c. Quandoquidem ergo non repugnet creaturæ, ut essentia identificetur cum potentia, nos contra *Thomistas*, id fieri posse afferimus, & cum *Durando*, nec *Thomista*, nec *Scotista*, intellectum Angeli ab ejus essentia non distinguiimus: utrum illa in homine quoque idem sit, ut *Scotistæ* volunt, nos non decidimus, quia huc ad nostrum institutum non pertinet.

I V. Inter attributa Angeli secundum locum tenet *voluntas*, quæ intellectum sequitur necessariò, quippe frustra foret intellectio boni, si non esset facultas, quæ bonum cognitione amaret atque prosequeretur: nam ideo bonum cognoscitur, ut sua convenientia substantiaz intelligentis appetitum moveat. Et, si Angeli carcent voluntate, imperfectories essent ac deteriores hominibus. Voluntatem tamen Angelorum, nec ab essentia eorum, nec à potentia intelligendi, distinguiimus, re ipsa, quia nulla realis distinctionis necessitas aut causa monstrari potest: neque hic sufficit diversitas operationum: exsiccare & humectare sunt operationes diversissimæ, & tamen ab uno eodemque realiter principio proveniunt; quidni & illud hic fiat? itaque non male *Scal. Exerc. 8. s. 7. ante citat.* Voluntatem definit, intellectum extensem ad habendum. Atque hinc manifestum est in Angelis quoque esse liberum arbitrium & libertatem, quæ est spontaneitas rationalis: voluntas enim Angeli semper, sed sponte, sequitur rationem, ut nun-

quam quicquam velit, quod non intellexerit ac judicaverit volendum esse.

V. Tertio loco recensemus inter attributa Angelorum *localitatem*, de qua multa satis intricatè disputari solent. Refert *Aquinas in 1. Sent. dist. 37. quest. 3. art. 1.* quidam olim fuisse, qui substantias immateriales ac separatas nullo modo in loco esse afferuerunt: sed vero contrarium sensit communiter omnis *Schola*, que semper tenuit, Angelos ibi aliquo & suo modo esse in loco, ubi sunt præsentes: sed hic potissima est difficultas, *quomodo sint in loco?* Ac primò, hoc certum est, Angelum ita esse in loco ut tamen non sit ubique locorum, sicuti est Deus: itaque non est in loco *replete*; qui enim replete præsens est, debet replere omnia loca; quod nulli prorsus creatura, ideoque nec Angelo, competit nec competere potest. Sed nec est in loco *circumscriptive*, ut partibus loci respondeant partes Angeli, & haec ab illis circumscribantur: nam hoc convenit rebus ratione quantitatis *Physicæ*, quam Angelis *disp. præced.* negavimus: ideoque hoc modo sola corpora sunt in loco. Sunt ergo in loco Angeli *definitive*, id est, sunt in parte spatii determinata, ut hic sint, non alibi, modo tamen alio, quam corpora, quia alterius sunt naturæ & tota essentia distant à corporibus, quæ cum sint ita in determinato spatio, ut à partibus ejus circunscribantur, Angelii contra ita sunt in determinato loco, ut à partibus loci nullo modo circumscribantur. Unde male argumentantur; qui ex Angelorum præsentia locali eos corporeos esse concludunt: cum illorum præsens in loco longe alterius sit ordinis, quam est præsens corporum in loco.

V I. Sed secundo hic nova est quæstio, *an Angelus ita sit definitus in loco determinato, ut non possit esse in majori?* *Durandus in 1. Sent. dist. 37. quest. 1. n. 26.* Angelorum præsentiam in loco non esse definitam quoad magnitudinem, adeoque Angelum posse esse in loco quantumvis magno, sustinet: imo dicit, substantiam Angelii esse præsentem ubique, eo modo quo ei convenit esse in loco, neque magis in hoc quam illo loco esse: quamvis postea, id non afferendo sed inquirendo fe disputare, excusat. Sed à tota Schola deseritur, quæ tenet,

Angelos habere determinatum locum quoad magnitudinem, nec posse esse in spatio quantumvis magno: quia Angeli habent esse limitatum, ergo & praesentiam in loco limitatam: habent esse finitum & mutabile, ergo & praesentiam in loco finitam & mutabilem: & talis modus essendi in loco foret repletivus, imo ubiquitas: at haec soli Deo convenient: denique Angelus non posset moveri localiter: at potest, quod nos potesta demonstrabimus. Sed potestne Angelus esse in spatio minori ac quantumlibet parvo? Sunt qui hoc negent. At vero cum Angelus peculiari modo sit in spatio definito, sic ut non commensuretur loco (quod vocant alii, totum esse in toto & totum in qualibet parte) neque ullam dicat dependentiam ad partes loci, non video, cur non posset manere in quacunque parte minima: nam ponatur qualibet quantitas: quæero, utrum sit divisibilis, necne? si non, tollitur communis recepta sententia, quæ ponit, omnem quantitatem esse divisibilem, & quidem in infinitum: si divisibilis sit, dividatur, quantum fieri potest; quero, utrum Angelus possit esse totus in qualibet parte, an divisus potius in partes ad divisionem quantitatis, in qua est? secundum dici non potest, quia Angelus est indivisibilis: ergo quantumcunque subdividatur ipsa quantitas, semper Angelus erit totus in qualibet particula, etiam minima: cum enim ipse sit impartibilis, non potest dari minima pars, quin in ea esse possit: aut igitur non datur pars quantumlibet parva, aut ea data, poterit in ea esse Angelus. An possit esse in punto mathematico Angelus, diversum sentiunt Scholastici, aliis affirmantibus, aliis negantibus: sed eam questionem vanam esse, ut & plures sunt apud illos, judicamus: neque multum interest, utrumvis dicatur: illud longe utilius ab iis queratur, quo modo Angelus sit in loco definito, an per operationem, ut Aquinas vult cum Thomistis, an per essentiam seu praesentiam substantiam, ut Scotus existimat cum Scotistis: haec controversia quia est gravissima, quid sentimus, dilucidè explicabimus.

VII. Angelus est in loco, nec per operationem immanentem, nec per transuentem, nec per applicationem suæ virtutis ad locum, sed per suam

substantiam & essentiam, sicut substantia corporea est in loco per quantitatem. Quod Angelus non sit in loco per operationem, qualemcunque tandem, ex eo probatur, quia Angelum esse in loco, presupponitur, ad operari in loco: prius enim Angelus (ut sic loquar) exilit in esse quam in operari: cum itaque prius sit, esse in loco quam operari, non potest Angelus per operationem esse in loco, seu, non potest ratio existendi in loco esse operatio: non video, quomodo hoc negari possit, quod prius sit naturaliter, agens locatum esse, quam agere: certè in agentibus corporeis hoc est manifestissimum, quæ prius locantur, quam agunt. Thomistæ, rationem existendi in loco, non esse operationem immanentem Angelii, sed transuentem dicunt. Sed enim Angelii sœpe nihil ad extra operantur, cum ut plurimum assilant Majestati divinae in cælo empyreio: ergo tum nusquam erunt: & si Angelus in hoc conclavi operetur ad extra, poitmodum cessebat ab operatione transiente, nec ad alium locum moveatur, manebit sane praesens huic conclavi secundum propriam substantiam & essentiam. Cajetanus dicit, Angelum esse in loco per applicationem suæ virtutis ad locum: sed vero illa applicatio est vel actus primus, vel secundus. Non est actus primus, quia tunc erit Angelus in loco per suam substantiam, quod tamen negat Cajetanus. Non est actus secundus, quia ille vel est transiens, vel immanentis: non transiens, quia hoc jam destruximus: non immanentis, quia hoc ne ipsis quidem Adversarii volunt. Ergo ratio formalis existendi in loco est ipsa Angeli substantia, quæ immediatè uniuertur loco.

VIII. Inter Angeli attributa locum postremum sibi vindicat Duratio. Certum est durationem Angelii non esse æternitatem, ut pote quæ nulli creature communicari potest: nec est angelorum duratio tempus, quia hoc est rerum successivarum: Ergo fuerit ævum: quod sic probatur. Quidquid ex se habet initium durationis & ex se non habet finem, id durat ævo. Atqui Angelus ex se habet initium durationis, & ex se non habet finem. Ergo durat ævo. Minor patet, quoad partem priorem,

quia

quia nihil est æternum præter Deum ; probatur , quoad partem posteriorem , quia Angelus natura sua est immortalis & incorruptibilis , hoc est , intra naturam suam nihil continet corruptivum sibi , neque per causas secundas definere potest , sola negatione conservatis divinis : sed enim dicimus natura sua immortale, incorruptibile, indefectibile: non

verò , cuius natura nullam , etiam à quacunque causa extrinseca , potest admittere corruptionem , qua ratione omnis creatura corruptibilis , mortalis , defectibilis est ; solusque Deus immortalis est , incorruptibilis , indefectibilis , & cui ideo respondet æternitas , non ævum , quod Angelis proprium , sicuti tempus proprium est corporibus .

## Disputationum ex Philosophia selectarum

DECIMA-QUARTA,

DE

## ANGELI S.

## THEISIS I.

**D**isputationem de Angelorum attributis excipit disputatio de illorum effectis & operationibus : Actiones Angelorum sunt vel immanentes vel transeuntes : immanentes intellectio , & voluntio . Circa intellectu[m] , præmissa quæstione , *Vtrum intelligere Angelii sit ejus esse , & intellectio ejus essentia sit substantia ,* discutiemus hæc tria , intellectu[m] Angelicæ objectum , medium , modum . Ad quæstionem propositam quod attinet , ea solet communiter negari : Et negativa sententia efficacissime probari potest ratione Theologica , quam nos missam facimus : sed verò an naturæ lumine & ratione naturali probari possit , videamus .

**I.** *Aquinat. 1. part. Summa Theol. quest. 54. art. 1.* tres profert rationes , quibus negantem sententiam firmat . Prima est hæc . *Action est propriè actualitas virtutis , sicut esse est actualitas substantiae vel essentiae : impossibile autem est , quod aliquid , quod non est purus actus , sed aliquid habet de potentia admixtum , sit sua actualitas , quia actualitas potentialitati repugnat : Solus autem Deus est actus purus : unde in solo Deo sua substantia est suum esse & suum agere .* Vis argumenti hæc est . *Quodcunque non est sua actualitas , in eo operatio non potest esse idem cum virtute , nedum*

cum essentia aut substantia : sed nihil , præter Deum , ( nedum Angeli ) est sua actualitas . Ergo &c. Probatur minor , quia omne aliud præter Deum habet aliquid potentialitatis , cui repugnat identificari actualitatem : Solus enim Deus purissimus est actus , nihil habens admixtum potentialitatis : quod tamen intelligi debet negative , ut sit sensus , solum Deum non perfici per aliquam actualitatem distinctam ab essentia . Secunda ratio Aquinatis ducit ad impossibile . *Si intelligere Angelii esset sua substantia , oportet , quod intelligere Angelii esset subsistens : intelligere autem subsistens non potest esse nisi unum ; sicuti neque aliquid abstractum non potest esse nisi unum :* unde unius Angelii substantia non distingueretur , neque à Substantia Dei , quæ est ipsum intelligere subsistens , neque à substantia Angelii alterius . Tertia Aquinat. ratio pariter ad absurdum ducit . *Si Angelus ipse esset suum intelligere , non posset esse gradus in intelligendo , perfectius & minus perfectè : cum hoc contingat propter diversam participationem ipsius intelligere : Hoc vult argumentum tertium ; ex opinione adversa sequuturum , quod unus Angelus non sit perfectius intellecturus alio ; nam illa graduum diversitas non potest esse nisi secundum diversam participationem ipsius*

*intelligere*, in variis intellectuionibus Angelorum: at participatio hec tollitur, si ponatur intelligere Angeli esse subsistens & non per participationem, sicut ponitur, cum dicitur esse idem quod essentia aut substantia ejus.

III. Rationes ex *Thoma Aquin* allatas multis & prolixe persequitur ac contra objectiones defendit *Thomas Cajetanus* ad quest. cit. art. cit. sunt tamen alii, qui evidentiam, vim, & efficaciam in iis desiderant: nec fortassis immerito. Nam *prima* solum probat, non posse substantiam creatam esse omnem actualitatem, ita ut nihil habeat potentialitatis, sed non probat, non posse substantiam creatam esse illam determinatam actualitatem, que est operatio: et si enim substantia creata poneretur sibi identificare operationem aliquam aut omnes, posset tamen nihilominus esse & manere in potentia respectu aliorum accidentium sive actualitatum. *Secunda* & *tertia* ratio, si procedant de subsistenti *intelligere* tali, quale est *intelligere* divinum, id est, quod per se sit infinitum, continens omnem plenitudinem essendi, tunc quidem sequeretur, *intelligere* Angelicum non posse esse nisi unum, nec posse in eo reperiri diversitatem graduum; sed tum non video, qua ratione probetur ab *Aquinate*, quod *intelligere* Angelicum esset ita subsistens, si esset idem quod substantia Angeli, quae utique per se non est nisi finita: si autem procedant de subsistenti *intelligere*, ut non subsistens distinguitur contra accidens, quomodo jam de facto ipsa substantia Angeli est subsistens, recte tum sequitur *intelligere* Angelicum esse isto modo subsistens, si idem sit quod substantia Angeli, sed minime sequitur, illud, esse tantum unum, & non esse per participationem, & non habere plus gradus secundum majorem & minorem perfectionem: nam sicut ipsa substantia Angelica, licet ita subsistens, tamen secundum rationem specificam aut numericam de facto est multiplex, & est per participationem, hoc ipso, quod quilibet Angelus a suo conditore Deo partem aliquam perfectionis substantialis participavit: & sicut eadem ratio substantiae Angelicæ habet plures gradus secundum majorem & minorem perfectionem in alia & alia specie aut individuo

Angelico: ita etiam *intelligere* Angelicum, si esset subsistens, & idem quod Angelica substantia, posset similiter, & esse multiplex, & esse per participationem perfectionis intellectualis, & habere plures gradus secundum eiusmodi perfectionem majorem vel minorrem.

IV. Fortasse solidius *Aquinas* probaverit questionis propositæ partem negantem art. 2. quest. cit. ubi sic procedit. Nulla actio creaturarum est ejus esse: quia neque actio immanens, neque transiens: non transiens, quia esse agentis semper in ipso manet, & nunquam ab eo dilabitur aut abit: actio vero transiens est effluxus & egressus ab agente in patiens: non immanens, quia omnis actio immanens habet infinitatem de fui ratione, si non actu, saltem potentia, si non simpliciter, saltem secundum quid: simpliciter quidem infinitum, aut ut rectius loqui potuisset *Aquinas*, indefinitum est, *intelligere*, cuius objectum est verum, & velle, cuius objectum est bonum; quorum utrumque, quia convertitur cum ente, tam *intelligere*, quam velle sunt indefinita, quia sunt in potentia ad omnia entia, possuntque in infinitum ac simpliciter in tota entis latitudine, in alio atque alio objecto terminari: sentire autem secundum quid est infinitum, quia se habet ad omnia sensibilia, v. c. visus ad omnia visibilia, ut intellectus ad omnia intelligentibilia: at vero esse cuiusvis creaturæ, consequenter & Angelorum, est definitum ac determinatum: unde non potest, esse cuiusvis creaturæ, nedum Angelorum, esse idem, cum ejus aut eorum operatione immanentem: solius Dei esse est simpliciter infinitum: unde solum esse divinum est suum intelligere & velle. Hæc ibi *Aquinas*. Et quid multis opus est? aliud sanè est loqui de esse rei, aliud de ejus operatione, sc. in creaturis: quantumvis enim actio seu operatio sit intrinseca rei, ut est actio immanens, nunquam tamen est ejus essentia, quia semper ab illa distinguitur, cum ab illa profluat & promanet, & nullum posterius sit idem cum suo priori, nec ullum effectum sit idem cum causa, & contra. Concludimus ergo impossibile esse, ut intellectio Angeli aut cuiuscunque creature, sit ejus substantia vel esse.

V. Nunc

V. Nunc ex tribus, circa cognitionem Angelicam inquirendis, primum videamus, *Objec tum scilicet*, medio & modo cognitionis Angelicæ rejectis in disputat. seq. Certissimum est, Angelos, eti multa sciant, multa etiam nescire. Cognoscunt seipso tum quoad essentiam, tum quoad accidentia quecunque: cognoscunt & alios Angelos, & Deum, & res alias, materiales, universales & singulares. Hæc omnia sic ostenduntur. Nisi se & alios Angelos cognosceret Angelus, esset minoris perfectionis quam homo in intelligendo: nam homo cognoscit seipsum & alios homines: dum vero seipsum & alios Angelos cognoscit Angelus, simul quoque cognoscit dependentiā sui à Deo tanquam causa & creatore: cognito enim & apprehenso effectu, cognoscitur quoque aliquo modo causa ejus: &, si nos ex effectibus devenimus in cognitionem Dei ut causæ, evidens est, quamlibet intelligentiam perfectiori modo posse Deum ita cognoscere: Atque hinc quoque clarum est, quod ista intellectio Angelica sese extendat quoque ad reliquias res omnes in naturæ circulo contentas, quandoquidem extendit sese ad eas intellectio humana: cum enim res omnes contineantur sub primario intellectu objecto, quod est ens aut verum, sintque in tali statu, in quo aptæ sunt, ut cognoscantur, si ab hominè intelligi & cognosci possunt, multo magis ab Angelis, quippe in quibus major & perfectior virtus est, ad intelligentium, tam singulare quam universalia, tam materialia quam immaterialia.

VI. Hic quedam quæri solent 1. An sub *objec to cognitionis Angelice quoque comprehendantur futura contingentia?* Respondemus distinetè. Angelus nullam rem futuram, sive necessaria sit, sive contingens, immediate ac in seipso, cognoscit (hoc enim solius Dei est proprium, qui ea quæ non sunt perinde intelligit, atque ea quæ sunt) sed quas res futuras cognoscit, eas cognoscit & in & ex causis suis: ac 1. *Futura, quæ ex causis suis sunt necessario, cognoscuntur ab Angelis per certam scientiam,* ut solem cras oriri, ejusque certo tempore fore eclipsin: Angeli multo exactius judicium habent de rebus naturalibus quam ullus ho-

mo habere potest, propter longissimam experientiam: at hominis naturale intellectus lumen attingit istam futurorum cognitionem, ut constat de Mathematicis in cognitione Eclipseos futurae: ergo cognoscuntur quoque istiusmodi futura ab Angelis certo; sed, ut dixi, in suis causis, nec ut absolute eventura, sed ex vi causarum secundarum, si per causam primam extraordinarie non impedianter. 2. *Futura que ex causis suis proveniunt, non ex necessitate, sed ut plurimum, cognoscuntur ab Angelis, non per certitudinem, sed per conjecturam,* quomodo Medicus praedit sanitatem aut mortem infirmi: atque horum futurorum cognitione tanto magis competit Angelis quam hominibus, quanto illi præ hisce, & universalius, & perfectius, causas rerum cognoscunt. 3. *Futura pure fortuita aut casualia, vel à libero arbitrio in actu dependentia, prorsus ab Angelis praesciri nequeunt.* Virtus creata & finita non potest cognoscere aliquid esse futurum nisi ex suis causis: at, quæ prorsus sunt libera, casualia, & fortuita, illa causas habent prorsus liberas, fortuitas, casuales, & indeterminatas: unde ergo intellectus creatus & finitus, qualis est Angelorum, causam talen effectus talis intuebitur? in libero arbitrio, dum adhuc in actu primo est & indifferens, tanquam in causa indeterminata, determinatum quid cognosci nequit: pariter dicendum est de casualibus & fortuitis, nam sicut se res habent in universo, ita & cognoscuntur ab Angelo: ergo quæ habent esse prorsus incertum in suis causis, ut fortuita & casualia, non possunt sciri ab Angelis aut cognosci. Admittunt quidem nonnulli, futura contingentia, quæ dependent à libero arbitrio cause secunde, ignorari ab Angelis, sed vero, quæ ex aliis causis proveniunt, naturalibus quidem, sed talibus, ut, quantum est ex ipsarum natura, impediri possint, cognosci ab iis posse certo affirmant, & sic confirmant. Angeli cognoscunt perfecte universum naturæ ordinem, & omnium naturalium causarum dispositionem, ergo cum ejusmodi futura procedant ex concurso naturalium causarum, possunt ab Angelo certo cognosci & infallibiliter: nam contingentia causarum

naturalium in hoc consistit, quod ipsæ cause impediri possint per alias causas naturales: sed Angelii cognoscunt & penetrantur, quando futurum sit cause naturalis impedimentum & quando non item, quia hujusmodi impedimenta naturaliter & secluso liberi arbitrii concursu proveniunt ex dispositione naturali superiorum causarum: at norunt Angelii perfecte influentias cælestium corporum & dispositiones elementorum, causarum superiorum. Ergo & norunt quando impedimenta sint futura, ergo & norunt futura contingentia casualia & fortuita ab arbitrio cause libera non dependentia. Verum enim vero, si Angelus habet jam evidentiam determinationis causarum naturalium; & habet evidentiam ejus, quod non sit futurum impedimentum; jam improprie dicitur illud futurum contingens & casuale respectu cognitionis Angelicæ, licet tali respectu nostra cognitionis dici queat. Deinde non est verisimile, totum ordinem universi & dispositionem omnium naturalium causarum ita perfecte cognitam esse Angelis, ut omnem varietatem futurorum motuum atque effectuum naturalium in animalibus, plantis, elementis, & terisque inanimatis, secludendo ab his effectibus operationes causarum liberarum, possint cognoscere, v. g. quot formicæ vel musæ toto mundo nasciture sint intra proximos mille annos, & singulæ quot motus ac mutationes habitus, quibus modis perturbare, quot pulvrisculi, quibus figuris & motibus in aëre sint concitandi &c.

Quæsi solet secundo, utrum Angelii cognoscant cogitationes cordium? Respond. potest Angelus probabiliter per conjecturam, ex signis & effectibus externis, cognoscere cogitationes cordum: nam ex mutatione vultus, vibratione oculorum, aut aliquo opere exteriori, quod sit indicium interioris effectus, potest homo

conjicere, quid aliquis cogitet ac desideret: quidni & Angelus? Non potest Angelus certo cognoscere cogitationes cordium naturaliter: quia Angelii tantum naturaliter cognoscere possunt ea, quæ spectant ad ordinem naturæ: atque liberæ cogitationes & affectiones cordium, nisi sponte manifestentur à cogitante, non continentur sub ordine naturæ, qui non habent connexionem & dependentiam à causis naturalibus, sed à causa libera, ut tali: ergo naturaliter Angelus eas cognoscere nequit. In hac ratione notandum est, non ideo dici, quod cogitationes liberæ non contineantur sub ordine naturæ, quasi istæ operationes sint supernaturales (constat enim plurimas ac plerasque cogitationes non excedere facultatem naturæ) sed tantummodo propter modum præternaturalem, quem habent quoad sui productionem, quia nimisliberæ cogitationes dependet à libera voluntate cogitantis, adeo ut sola voluntas independenter ab aliqua causa naturali (sicuti causa naturalis opponitur liberæ) determinet sibi cognitionem hanc aut illam: & causa naturalis habet naturalem determinationem ad unum, sicut ipsa natura ad unum est determinata: atque hinc est, quod voluntas habeat plenum dominium suarum operationum post Deum, cui soli subjicitur: proindeque in voluntatis potestate est, cogitationes, quibus voluerit, manifesterare, sc. ordinando eas ad intellectum alicujus angelii, eique eas subiectando, ut objecta: per quam quidem ordinationem & subjectionem ipsæ cognitiones liberæ constituantur in esse naturæ seu cognoscibilis naturalis, ut jam ab aliis, v. c. Angelis, cognosci possint eo modo, quo res atque actiones naturales ab iis cognoscuntur: nam ab Angelis cognosci nequeunt ullo modo naturaliter, si non manifestentur cogitationes.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

DECIM A-QUINTA,

DE

## ANGELI S.

## THESES I.

**D**E Intellectione Angelica, tria discutienda proposuit disputatio precedens, *Objetum, Medium, Modum*. *Objetum* istic fuit explicatum: restat intelligenti *Medium ac Modus*. Quæritur, ut de medio primum disputemus, *An Angelus intelligendo utantur, hominum in star, mediis speciebus intelligibili bus, an vero omnia intelligent per suam substantiam sine essentiam?* hæc quæstio decidi generaliter non debet, sed speciatim, facta objectorum, quæ intelligit Angelus, divisione. Ex disp. preced., th. 5. fere ad 4. classes omnia cognitionis Angelicæ objecta revocari possunt: aut enim intelligunt Angli seipso, aut *sein vicem*, aut *Deum* aut *omnia alia creata*: circa quædam horum specierum intelligibilium utuntur administriculo, circa alia non item. Quare distincte singula enuntiabimus.

II. §. 1. *Angelus intelligit seipsum per suam substantiam vel essentiam, & non per speciem intelligibilem*. Cum Angelum se intelligere asserimus per suam essentiam, non hoc volumus, intellectionem esse ipsam ejus essentiam (hoc enim *preced. disput.* fuit rejectum ac refutatum) sed essentiam Angelii esse rationem & principium cognoscendi seipsum sine ulla specie intelligibili superaddita. Sententiam hanc sic probamus. Cum objectum est actu intelligibile, & per seipsum intime presens intellectui, tum non eget intellectus species, quæ vicem objecti suppletat, illudque intellectui unitat: at vero substantia sine essentia Angelii est objectum actu intelligibile & intime presens intellectui Angelico. Ergo &c. Certe species datur & ut objectum faciat actu intelligibile, & ut uniat illud intellectui: ubi ergo objectum est actu intelligibile & unitum intellectui, nulla opus est specie: objectum vero censetur esse actu intelligibile,

quando est immateriale: oportet enim proportionem esse inter rem cognoscendam & potentiam cognoscentem; ideoque quando objectum est materiale, non est per se intelligibile, sed per speciem immateriale, ut sic assimiletur intellectui, ejusque actioni immateriali: porrè, debet objectum, cum est immateriale, aut per se, aut per speciem intelligibilem, intellectui intime esse presens, quia, ut Arist. rectè docet 3. de *Animâ*, requiritur potentia cognoscentis & objecti, que sunt causæ intellectus, unio ac conjunctio, ut ex utroque digni possit cognitio: atque hæc ratio fere est Thom. Aquin. 1. p. Sum. quæst. 56. art. 1. & Becani Theol. Scholast. par. 1. tract. 3. c. 1. quæst. 7.

III. §. 2. *Angelus unus intelligit alium Angelum, non per essentiam, sed per speciem intelligibilem*. Probatur. Nam neque unus Angelus cognoscit alterum per suam ipsius essentiam, neque per substantiam alterius; ergo per speciem superadditam: non per suam essentiam, quia licet illa sit valde perfecta, non tamen sufficit, ut suppleat vicem speciei intelligibilis aliarum rerum à se distinctarum, quia hoc est essentiae tantum perfectissimæ, atque adeo infinite: non per substantiam alterius, quia substantia alterius Angelii non unitur alteri Angelo; ut forma illum actuans, sicut unitur species aliqua intelligibilis intellectui, neque ut origo & quasi radix, ex qua illius intellectus & intellectio promanet, sicut hoc modo substantia cuiusque Angelii est unita ejusdem intellectui & intellectioni, & ideo ei sufficit, ut per eam, tanquam per formam intelligibilem, seipsum unusquisque Angelus intelligat.

IV. §. 3. *Quo medio utatur Angelus in intelli-*

*intelligendo Deo, an specie intelligibili, an sua es-  
tentia, acerrime controvertitur inter Thomam  
Aquinatorem, & Iohannem Duns Scotum, atque  
utriusque sequaces: verum, ut distincte illo-  
rum mens intelligatur, distinctione hic quedam  
est ponenda, & exponenda de medio cognitio-  
nis, quod duplex est, aliud quidem cognitum, per  
cujus cognitionem aliud cognoscitur, quomodo caula cognoscitur per effectus, con-  
clusio per principia, tanquam per medium  
prius cognoscendum: aliud est medium cogni-  
tionis, quod nulla prævia sui cognitione  
ducit nos in cognitionem alterius, quod aptius  
dicitur ratio cognoscendi, cujusmodi est  
species, intelligibilis in intellectu, & visibilis  
in oculo, quæ nulla prævia sui cognitione,  
movet potentiam ad cognitionem iuri utrin-  
que objecti: est vero illud discrimen inter hæc  
duo media cognitionis, quod medium cogni-  
tionis primo modo, cum non causet cogni-  
tionem alterius, nisi media sui cognitione,  
non est ratio cognoscendi illud, nisi per dis-  
cursum, saltem in creatura, sicuti discurrunt  
à cognito ad incognitum: medium vero cogni-  
tionis secundo modo, cum sit tantum ratio  
cognoscendi, representat objectum, non ut  
ratio cognita, sed immediate nulla prævia sui  
cognitione: ideoque est ratio cognoscendi ob-  
jectum absque omni discursu. Aquinas asserit,  
Angelos intelligere Deum, non per ali-  
quam speciem intelligibilem ipsius Dei ab es-  
tentia Angeli intelligentis distinctam, sed per  
suam propriam essentiam, non solum tan-  
quam per medium cognitum, sed & tanquam  
per rationem cognoscendi, & speciem intelli-  
gibilem representantem Deum. Scotus contra  
asserit, Angelos Deum intelligere, per speciem  
intelligibilem essentiæ suæ superadditam, tan-  
quam rationem cognoscendi, non vero sic per  
essentiam, licet non diffiteatur, quin Angelus  
per suam essentiam, tanquam per medium  
cognitum, intelligat Deum esse, quia per ex-  
istentiam effectus cognoscitur existentia caufæ,  
efficientis & conservantis effectum: sed es-  
tentia Angeli est effectus Dei: ergo per ejus ex-  
istentiam cognitam cognoscitur existentia caufæ  
procreantis & conservantis, ipsius Dei: nam  
si humana ratio valeat argumentari hæc modo*

ab effectu ad causam, quidni & Angelus? In-  
terim hoc monemus de sententia *Scoti*, non  
talem ab ipso poni speciem Dei intelligibilem  
in Angelo, quæ representet Deum, quantum  
representabilis est, nam talis in intellectum  
creatum ac finitum non cadit; per talem enim  
speciem Deus comprehendetur: at Deus à  
creatura comprehendendi nequit: sed Deus pati-  
tur se intelligi per speciem sui, secundum ca-  
pacitatem intellectus creati. Verum, *qua ratione*  
*poterit species finita, in subjecto finito, Angelum deducere in cognitionem Dei infiniti?* Re-  
spondemus uno verbo; quatenus ita repræsen-  
tat objectum, ut intellectus per eam terminum  
in objecto non reperiatur. Atque hæc opinio  
*Scoti*, sic explicata, præ sententia *Aquina-*  
*tis*, magis nobis aridet.

V. §. *Ad cognoscenda omnia alia creatu-  
auntur Angeli mediis speciebus intelligibilibus.* Hæc conclusio sic probatur ab *Aquin.* 1. p.  
*Summ. question. 55. art. 1.* Illud, quo intellectus intelligit, comparatur ad intellectu intelligentem, ut forma ejus, quia forma est id quo agens agit: ut vero potentia perfecte compleat per formam, oportet omnia, ad quæ se extendit talis potentia, contineri sub illa forma: & inde est, quod in rebus corruptibili-  
bus forma non perfecte compleat materiæ potentiam, quia potentia materiæ ad plura se-  
se extendit, quam est continentia formæ: at potentia intellectiva Angeli sic extendit ad intel-  
ligendum omnia, quia objectum ejus est ens seu verum in communi: ipsa autem essentia Angeli non comprehendit in se omnia, cum sit essentia determinata ad genus & speciem: comprehendere enim omnia proprium est essentiæ Divinæ, quæ infinita est, & in se omnia perfecte completetur: ideoque solus Deus omnia alia à se cognoscit per essentiam, Angelii vero ad alia à se intelligenda agent speciebus intelligibilibus. Quam *Aquin.* rationem vide fuse explicatam & roboratam à *Ca-  
jetano* in notis ibidem.

V. I. Utrum hæc species intelligibles, per  
quas omnia à se distincta cognoscit Angelus,  
sint inditæ, insitæ, & infusæ, quod voluit *Aquin.* *ibid. art. 2.* cum *Thomistis*, an vero à rebus  
sint acquisitæ & acceptæ, aliquæ saltem, quod  
voluit

volut *Scotus* cum suis , anxia & curiosa est lis, neandum decisa, & quæ fortasse ab homine in hac vita decidi nequit : nam conjectura hic magnus est locus. Nos, salvo aliter sententium judicio , probabiliorem censemus sententiam *Aquinatis* quam *Scoti*; nam explicari vix potest, quomodo in via *Scoti* iste species à rebus singularibus & materialibus accipiuntur ab Angelis, qui sensibus destituantur: Nam quod nos intelligamus alia à nobis per species à rebus acceptas, ideo est quia omnis nostra cognitione incipit à sensu, ideoque fit per abstractionem, qua species quasi defecantur, dum primum sensibiles abstracti hantur à materia rerum singulari & sensibili, atque inde sunt phantasmatata, & ex phantasmatibus species intelligibilis: at verò hæc causa non habet locum in Angelis, qui sensibus carent & externis & internis, ideoque, si per species alia creatæ à se intelligent, intelligent per species non à rebus abstractas, sed fibi infusas. Fatoe in hac via *Aquinatis* etiam difficultates reperiri ac scrupulos, qui incidentibus per eam negotium facessunt, plures tamen video in via *Scoti*: quare istac eundum fuit, qua occurrerent pauciores.

VII. Supereft Angelicæ intellectio*nis Modus*, circa quem tria queri solent. §. 1. *An intellectus Angelii quandoque sit in actu, aliando in potentia, respectu cognitionis?* Resp. quod sic: Quia actu ignorat effectus, pure supernaturales, qui pendent à libera Dei voluntate, vel etiam alios, quos sibi soli reservavit Deus, atque sic ad illorum cognitionem est in potentia, ut ipsi à Deo reverentur: idem dicendum est de cognitione cordis humani occulta; si enim ejus cogitatio Angelo reveletur per signum aliquod, incipiet intelligere quod ante non intellexit. Denique quicquid de cognitione sui & Dei dicatur, cum aliarum rerum etiam in se habeat species intelligibilis, iis uti potest vel non uti, prout voluerit, sicuti homines: & certe in sententia contraria semper cognoscere actu semel cognita, & quidem actu distincto, quod tamen videtur inintelligibile. §. 2. *An possit Angelus simul intelligere multa, ut multa?* Resp. quod sic. Nam nullam videmus hic repu-

gniant: & hoc locum tenet in intellectu humano, multo magis ergo in angelico, quia hic multo est perfectior & perspicacior: noster intellectus simul intelligit lapidem & hominem cum format hanc propositionem (*lapis non est homo*) hic lapis & homo per duplicum speciem in intellectu nostro representantur; ergo non possunt se habere ad intellectum nostrum, ut unum, sed ut plura: quid? quod visus videt simul plura ut plura, cum v. c. in eadem charta intuetur nigredinem characterum simul & albedinem papyri, & auditus simul audit multas voces musicorum. Ergo hoc affirmare multo magis licet in intellectu Angelii. §. 3. *An intellectio Angelii fiat componendo, dividendo & discurrendo?* Resp. probabile esse, quod sic fiat. De compositione & divisione patet, quia distincta cognitione fertur in subjectum enunciationis & distincta in praedicatum, in primis si à parte rei distincta fint: at id non fit sine compositione & divisione: de discursu patet, primum discreto, quia Angelii cognoscunt naturalia, non omnia simul, sed successively; hæc autem cognitione discursus discretus: tum continuo, quia in intellectu Angelii datur dependentia intellectio*nis ignorantis* à notiori, qui discursus est continuus: sc. signum, quo cogitatio occulta cordis humani Angelo revelatur, ut notius, eum deducit in notitiam ipsius cognitionis tanquam ignorantis: interim discursus hic tam est subitus, tam celer, ut non percipiatur motus intellectus Angelici super objectum. Atque hæc de intellectione Angelii probabiliter dicta sufficiant.

VIII. Intellectionem Angelii sequitur ejus *volitio*, circa quam, *objectum*, *medium*, *modus*, considerari possunt ut in intellectione. *Objectum* volitionis Angelicæ est bonum, & bonum tantum, sed vel verum, vel apparente: itaque nullus Angelus malum appetit, quia tale: *medium* est cognitione, & quidem practica: hinc est, ut Angelus, nihil velit, vel nolit, vel non velit, quam quod iudicium intellectus practici in Angelo volendum, vel nolendum, vel non volendum esse prescripsit: pariter, quando hoc potius vult, quam aliud, ideo est, quia hoc potius

quam aliud esse volendum intellectus dicit: velit Angelus nisi sponte, & ex præscripto ac modus est, libertas fundata in eo quod nihil dictamine rationis.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

DECIMAS E X T A,

DE

## A N G E L I S.

## T H E S I S I.

**A**ngelorum actiones immanentes, in telectionem ac volitionem, duabus præced. disputationibus explicatas, excepit explicatio actionum transcendentium: inter quas non insinunt tenet locum *motus localis*, quo uno ubi dimisso ac relictio, aliud querunt Angelii. De hoc motu multa solent disputari à Philosophis & Scholasticis: ac §. 1. *Queritur*, An Angelus vere ac proprie secundum locum moveatur. Durandus 1. Sent. dist. 37. quæst. 1. n. 25. de eo dubitat, existimatque non vere sed secundum apparentiam Angelum moveri: inniturque isti fundamento, quod substantia Angelii sit præsens ubique, unde non potest moveri secundum locum: sed hoc fundamentum Durandi eversum ivimus Disp. select. 13. th. 6. ideoque idoneum non est motui Angelorum tollendo. Aquinas 1. part. Sum. quæst. 53. art. 1. & Cajet. ibid. quamvis admittant Angelum vere moveri localiter, ita ut unum locum deferat, alium acquirat, non tamen proprie id fieri volunt, sed improprie & secundum metaphoram, nimirum illorum opinio huic fundamento, quod Angelus sit in loco per operationem aut applicationem sua virtutis: sed & hoc fundamentum subruimus Disp. 13. th. 7. Nos sicuti Angelum secundum substantiam esse in loco asseruimus, Disp. & thes. cit. ita nunc eum vere & proprie moveri localiter asserimus: quia eo modo convenit rebus moveri, quo convenit esse in loco: at esse in loco convenit Angelo secundum substantiam, quod ante fuit probatum: ergo & ei convenit,

secundum eam moveri, amovendo eam ab uno loco & applicando alteri. Itaque rejicimus Thomistarum sententiam, asserentium, Angelii motum in eo confitere ut attingat diversa loca media operatione, qua in eis aliquid producitur, sive sit formaliter transiens, sive applicatio virtutis. Sed quomodo potest Angelus operari in ullo loco, si non prius, saltem ordine naturæ, existat? quomodo existet nisi prius eum acquisiverit. Ergo non movetur ad aliquem locum per operationem, quam in eo producit, sed jam motu eum acquisivit, antequam operetur: & ostendimus disp. & th. cit. Angelum posse esse in loco, licet nihil operetur, ergo & jam poterit fieri præsens in diversis locis, nihil circa illa operando: itaque Angelus in motu habet se aliter atque aliter in ordine ad spatiū locale, non tantum in ratione agentis, sed & in ratione immediate præsentis.

II. *Quæri* hic potest, An definitio motus tradita ab Aristot. l. 3. Phys. quod sit actus entis in potentia, qua potentia, convenient motui locali Angelorum? Resp. quod si illa definitio accipiatur prout ibi tradi solet & explicari ab Aristotelicis, non convenit, quia sic intelligitur de actu & ente physico, corpore naturali ac sensibili: si tamen accipiatur magis abstracte, prout ratio, *entis actus*, & *potentia*, reperitur etiam in rebus omnino a materia separatis, potest convenire: quia de motu Angelii dici potest, quod sit actus entis in potentia qua potentia ad ubi: neque repugnat Angelo, quod sit id actu quodam imperfecto respectu

respectu loci, sicut non repugnat ei quod media successione motus perveniat ad locum ; at de ratione successoris est, quod sit actus imperfectus & incompletus. Quamvis autem motus Angelorum adhuc sit diversa rationis à motu corporum , non tamen siccìro improprie motus dici debet : Nam forte ( multis saltem ) intellectus Angelicus diversa est rationis ab humano , sed non ideo tamen dicitur improprie intellectus : pariter & hic se res habet .

III. Verum quia th. 2. jam statim diximus , non repugnare Angelo , ut successively moveatur , hoc ulterius est explicandum , quia fortasse alicui minus verum id videatur. Quæritur ergo §. 2. An Angelus possit moveri motu continuo & successivo? Resp. Successio ad motum continuum requisita ex duplice causa provenit : vel ex divisibilitate mobilis , vel ex divisibilitate spatii: quarum utraq; causa , etiam cum una est præcisa ab alia , sufficiens tamen est ratio successoris : nam quodlibet mobile prius pertransit unam partem spatii divisibilis , quam aliam , & sic est successio ex parte spatii comparando mobile etiam indivisibile ad diversas partes spatii , sic angelorum motus est continuus ac successivus : deinde quando mobile est divisibile , tum etiam secundum unam partem sui priusquam secundum aliam partem , pertransit spatium divisibile; & sic corporum motus ab utraq; causa est continuus & successivus. Porro indivisibile est aliud in genere quantitatis , ut punctum , aliud in genere substantiae , ut Angelus : priori indivisibili non competit locus divisibilis , ut in eo sit , an tamen in eo non possit moveri successive , multi dubitant , imo plerique afferunt , exemplo Sphærae undiquaque & exactissime rotunda , quæ in plano existens licet non sit in loco divisibili ( tangit enim planum in puncto ) si tamen moveatur , movebitur successive secundū partes plani divisibiles : posteriori indivisibili competit locus divisibilis , ut in eo sit : nā anima etiā indivisibilis sit , est tamen in corpore divisibili : consequenter & Angelus , qui si existat in spatio divisibili , quidni & in eo moveri potest? Atqui iste motus localis in spatio divisibili concipi non potest nisi suc-

cessivus & continuus secundum varias spatii partes.

IV. Ex iis , quæ diximus , patet quid dici debeat , ad id quod §. 3. quæritur , *An Angelus possit moveri in instanti?* Resp. id plane esse impossibile : nam quod successivum est , non potest esse in instanti , quia habet partem post partem : at si in instanti esse posset , jam partes essent simul & non una post aliam : motus autem est successivus , ex ante dictis . Ergo . Quærent adhuc subtilius Scholastici , *an si non motus , saltem aliqua mutatione localis in Angelo esse possit instantanea , qua de extremo in extremum moveatur in instanti?* Putat Scotus & multi cum ipso fieri posse , si extrema sint immediata , & inter se à se invicem non distent , v. c. si Angelus sit in toto loco pedali , dicunt , quod possit se constituere in alio loco pedali immediato , non dimittendo primo partem primi loci , & acquirendo primo partem secundi loci successione quadam , sed simul & in instanti dimittendo locum totū primum & acquirendo totum secundū . Quod an probabile , disquirendum relinquimus . Quicquid sit de extremis indistantibus immēdiatis & mutatione instantanea ; alia hīc adhuc movetur quæstio de extremis distantibus & medium habentibus , §. 4. *An Angelus possit transire ab extremo in extremum non transiendo per medium , motu locali proprio dicto?* Respond. id fieri non posse , siue illud medium sit aliud utriusque extremi , quale est punctum in linea , siue fit nihil extremonum , quale medium est aqua inter aerem & terram : non potest fieri priori modo , quia illud medium est ratio continuitatis inter extrema : ideoque si Angelus continue moveatur , neceſſe est ut illud medium pertranseat ; alioquin non foret motus continuus : nec posteriori modo , quia quod continue moveatur , prius pervenit in medium quam in terminum : alioquin continuitas ita concipi non potest ; & res , quæ sic moveatur , esset in locis potius discontinuis , si non transeat medium .

V. Præter motum sub actionum Angeli transiuntium titulo aliae etiam quæstiones ventilari hic solent . §. *An Angelus possit producere substantiam?* Respond. quod non ,

quia nec creare potest, quod est solius Dei, nec generare, quia non potest disponere materiam, quod tamen ut praeium in omni generatione requiritur: at aliis modis producendi substantiam nullus supereft. §. 2. *An Angelus possit producere qualitates, tum materiales, tum spirituales?* Resp. Neg. prius, quia nec formaliter nec eminenter continet eas, ut sunt calor, frigus, &c. Aff. posterius, quia si agens corporeum potest in subiecto proportionato producere qualitatem materialem, cur non possit producere spiritualem in subiecto proportionato seu spirituali? §. 3. *An Angelus possit producere motum localem?* Resp. quod sic, quia potest movere corpora: at qui localiter movet ut efficiens motus, is producit motum localem. Quod possit Angelus moveare corpora, ex Theologia ac Sacris est certum, sed insuper ex Philosophia probabiliter suaderi potest, sc. si possit producere proprium motum, qui est perfectissimus, cur non etiam imperfectiores in alio, & corpore?

V. I. Ad Angelorum actiones transeuntes referunt quoque *corporum assumptio*: nam cum propria corpora non habeant, & tamen saepe corporea in specie apparent, nihil restat dicere, quam quod alia corpora assumant. Quæritur. §. 1. *Quælia sint ista corpora?* Resp. probabile est vera aliquando hominum defunctorum corpora assumi, quæ movere possunt, & in iis apparere, aliquando corpora ab iis, ex aere vel coidenfato, vel admista ad colorum varietatem aqua, vel ex vaporibus, fabricari quæ vera membra non habeant, externam tamen membrorum speciem referant: nam licet aer in sua raritate manens nec figuram habeat, nec colorem, quando tamen condensatur, & figurari potest & colorari, quod patet ex nubibus: ista corporum fabricatio non est productio generativa, sed congregatio aeris dispersi, & junctio partium ejus, aliorumque

concurrentium; quæ corpora, ut confessim congregando efformantur, ita confessim, dissipatis junctis, evanescunt. §. 2. *Quomodo Angelus uniat corpori?* Resp. accidentaliter: requirit autem ista unio, 1. Angelorum in corporibus assumptis existentiam substantiam. 2. existentiam talem, quale habet motor in mobili: usum corporum assumitorum instrumentalem, ut iis manifestentur. §. 3. *Quæles in assumptis corporibus operationes exercere possint?* Resp. nullas possunt edere operationes secundum substantiam vitales, vitalibus tamen similes: patet prius, quia corpora assumta ab Angelis non vivunt vita prima, non enim ab Angelis informantur; ideoque nec opera vita ab iis possunt exerceri; nam vita secunda primam presupponit: itaque Angeli in assumptis corporibus non generant, non loquuntur, non edunt, non bibant, &c. & quando aliqua ex ipsis tribuuntur Angelis, non proprie hoc fit sed metaphorice, ob similitudinem talium operum cum veris operibus vita, quæ exerceri non possunt, ubi non est potentiale principium ad tales operationes exercendas: At Angeli quantumvis habeant principium seu virtutem, qua possunt corpora seu partes eorum localiter movere, & hoc motu mediante figurare variisque qualitatibus afficere, imo quædam in iis & per ea efficere, habentia aliquid simile operibus vita, non tamen habent principium potentiale ad veras & proprie dictas hujusmodi actiones, quia non habent facultatem generativam, comedivam &c. Videntur tamen actus facultatis locomotivæ, qua tales, etiam præcisa vitalitate, ab iis exerceri, quia vere progrediuntur, ambulant, manus ad apprehendendum movent &c. Hæc de Angelorum natura, attributis, effectis, aliquot disputationibus, que probabiliter ex Philosophia disputari possunt, attulisse sufficiat.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

DECIMA-SEPTIMA,

DE

## NECESSITATE.

## THEISIS I.

**F**requentissima est apud Philosophos, *Necessitatis & Contingentiae*, mentio, dum hisce terminis, & *Ens* in sua latitudine, & *Causam efficientem*, & *Enunciationem*, dividunt: atque hinc maximus est horum terminorum in omni disputatione ac dissertatione usus: Verum sicut recte intellecti & adhibiti inserviunt rebus obscurioribus enucleandis, ita non parvos errores gignunt in iis, à quibus nec recte intelliguntur, nec rite adhibentur. Quantum turbaverint Scholas & piorum in Ecclesia Dei mentes, cum disputationibus de Libero arbitrio, concursu, providentia, causa peccati &c. sunt inserti hi termini, sed pessime accepti, ex tot dissertationibus, qua de ipsis controversiis voce ac scripto paucos intra annos sunt hic & alibi instituta, cuius est notissimum. Vindicandi ergo sunt hi termini ab abusu, quo in errores varios multi sunt abducti. Atque hac quidem disputatione *Necessitatis* notionem excutiemus, & varias ejus acceptiones, sed legitimas, proponemus.

II. De Necessario sic *Philosophus I. 5. Metaph. c. 5. Philosophatur. Τὸ μὲν σύδεχόρθων ἄπλωται ἐχει, αὐτογναῖος φαμέντες ἔχει οὐτως. Quod aliter se habere non potest, necessario se ita habere dicimus.* Hinc vulgaris est Necessarii definitio, *Necessarium est, quod aliter se habere non potest*; sive *in existendo*, quomodo *Ens* aliquod dicitur necessarium, ut Deus, sive *in causando*, quo sensu *causa efficiens* dicitur quædam esse necessaria, ut ignis, sive *in enunciando*, quo pacto enunciatio vera dividitur in necessariam & contingentem. Deus dicitur *Ens necessarium in existendo*, quia non potest non existere: causa naturalis dicitur necessaria, quia non potest non operari positis omnibus

bus ad operandum requisitis: enunciatio quædam vera, est necessaria, quia ita vera est, ut non possit esse falsa, adeoque non potest non esse vera.

III. Necessarium non-nullis dividitur in dependens & independens. *Necessarium independens*, quod suam necessitatem nulli debet, nulli acceptam refert. Atque hic est summus necessitatis gradus, qui in solum Deum cadit, qui dixit, *Ego sum, qui sum*; Ut sic entitas suæ independentem necessitatem declararet. *Necessarium dependens*, quod per sua quidem principia, sive externa sive interna, necessarium est, omnem tamen suam necessitatem Deo debet: & hoc est necessarium vel *necessitate definitionum & demonstrationum, vel naturæ, vel hypothetica*. *Necessitas definitionum & demonstrationum* in creaturis summa est, & secundus necessitatis gradus, ubi, si fingitur oppositum, implicatur contradictione; ita necessarium est, *hominem esse animal, esse rationalem, esse risibilem &c.* Hanc necessitatem, definitionis & demonstrationis, in propositionibus per se primi & secundi modi, non-nulli ex Philosophis vocarunt quoque independentem, ac fecerunt eam similem necessitati divinæ, quia sicut tam necessarium est Deum esse, ut contrarium contradictionem involvat, ita & hic in exemplis allatis. Verum licet tanta sit cohærentia terminorum in ipsis propositionibus & rerum extra propositiones necessitas, ut si quis, non connecti sed separari posse illos terminos aut res aliq; subiecto ista prædicta tribui posse, afferat, contradicentia dicat, non tamen ideo sequitur, quod independens sit ipsis cohærentiæ necessitas: attributa essentialia vel constitutive vel consecutive necessario cohærent cum essentia quam vel

constituant vel consequuntur, nec est quipiam in re hoc modo necessaria, unde ista necessitas dependet, est tamen aliquid extra rem iustius necessitatis dependens principium, sc. Deus. Quod enim homo sit animal, sit rationalis, sit risibilis &c. ac necessario, ut non possit non esse, licet in se illius necessitatis principium dependens nullum inveniat. Deo tamen acceptum hoc totum quod est referre debet, qui eum talem creavit, & talis essentia, quam talia attributa essentialia & constituerent & consequerentur, creare pro sua sapientia voluit; sicut enim, quod existit, ita quod rationalis existat & quod risibilis, non irrationalis, non irriguisibilis, à Deo est: neque enim ipse homo sibi hoc esse essentia dedit, sicut nec esse existentia dare sibi potest. Si roges, an Deus potuerit creare hominem, qui non esset rationalis, non risibilis, si homo talis est necessario, quia Deus voluit eum talem creare, respondeo, hoc rogandum non esse, nec temere in divinam potentiam, prefertim quam absolutam vocant Scholastici, inquirendum esse, ne scrutator curiosus maiestatis opprimatur ab ea: nos id pro certo tenemus, necessitatem in eternae veritatis propositionibus, ut vocant, sive in primo modo per se sive in secundo, esse à solo Deo, qui iustius necessitatis est origo, causa, principium, quia ipse ut sapientissimus omnium rerum opifex res talis essentia fecit, quæ talem necessitatem propositionum fundaret, atque ita ipse tanquam prudentissimum legislator tales propositiones tanquam leges tulit. Necessestam definitionum & demonstrationum sequitur *necessitas naturæ*, quæ tertium necessitatis gradum constituit, qua causa aliqua permanens in natura sua eodem modo ut à Deo Authore naturæ est instituta, necessario tale effectum producit; atque hæc quidem necessitas tanta est, ut causa talis ex se non possit effectum suum tale non produce-re, ex se, dico: nam à Deo sic mutari atque affici potest, ut non producat; sic gravia descendunt, Sol se mouet, ignis urit; omnia ex se & vi naturæ sua necessario, licet à Deo sibi in agendo & inhiberi possint, etiam absque ulla contradictione. Succedit ultimo *necessitas hypothetica*, qua aliquid non in se, non ex se est

necessarium, sed ob hypothesin aliquam positam extra rem, quæ necessaria dicitur.

**I V.** Necessestam naturæ nonnulli vocant necessitatem absolutam: alii necessitatem absolutam sumunt, pro independente: alii necessarium absolutè vocant cujus negatio aut oppositum involvit contradictionem, & sic necessitatem independentem ac definitiōnum & demonstrationum comprehendit; & illi tum necessitatem naturæ, vocant necessitatem secundum quid, atque hanc necessitatem distingunt à necessitate hypothetica: ita Cl. prædecessor ac preceptor noster D. *Burgersd.* l. 1. Metaph. c. 29. Contra, alii necessitatem naturæ, secundum quid dictam *Burgersd.* confuderunt cum necessitate hypothetica, ad quam retulerunt necessarium ex natura, quia tale necessarium constanter quidem & immutabiliter agit, sed ex hypothesi ordinis à Deo in natura instituti: sed præstat, meo iudicio, necessitatem naturæ distinguere ab hypothetica, quia hypothesis dicit aliquid rei necessaria extrinsecum: nec tamen vocare velim necessitatem naturæ necessitatem absolutam, aut simpliciter: sed eum ordinem teneri ac nomenclaturam in classibus necessarii tum digerendis tum nominandis, quem ordinem ac nomenclaturam servavit cit. loco, Cl. *Burgersd.* Quare nos ejus vestigiis insitemus.

**V. Necessitas est**, aut *interna*; qua res ex natura sua aut ex principio intrinseco est necessaria, & hæc vel *absoluta*, quando oppositum contradictionem implicat, ut est necessitas independens, & dependens definitionis ac demonstrationis, vel *secundum quid sive naturæ*, quando oppositum naturaliter fieri non potest, sed tamen, si fiat, nulla implicatur contradictione; aut *externa*, quando res non ex natura sua aut principio intrinseco est necessaria (sic enim est contingens) sed quando necessaria est ob externam hypothesin seu conditionem: atque hoc necessarium est triplex pro triplici hypothesi: est enim necessitas *hypothetica ex suppositione*, ut loqui amant Scholastici, vel *causæ*, vel *antecedentis*, vel *existentiæ* sive *actus*: necessarium ex hypothesi *causæ*, intellige, vel *efficientis*, vel *finalis*: nam necessari-

necessitas à materia & forma , tanquam à causis internis , est interna , & quidem naturalis , secundum quid : *necessitas externa ex suppositione causa efficientis* est , quando cause efficientes , ex quibus aliquid oritur , non mutantur , cum mutari possent ; ut genus humanum magnis calamitatibus puniri est necessarium , quia cause non mutantur efficientes calamitatem , scilicet peccata hominum . Huc referri potest *necessitas* , quam vocant *coactionis* , ut cum robustior trahit infirmum invitum ; & *determinationis* ; quia quod determinatum est non potest non agere , ideoque necessarium est ; & quidem ex hypothesi causæ efficientis , quia quod determinat agit in id quod determinatur : sic voluntas necessaria appetit summum bonum , & quæcumque media cum summo bono sunt conjuncta , modo ab intellectus practici judicio prescribantur ; quia voluntas determinatur ab intellectus practici judicio : *necessitas externa ex suppositione causa finalis* , aliis dicitur *necessitas expedientis & eventus* , quomodo necessarium est eum edere , qui vitam cupit incolarem , hoc necessarium subdividi solet in *necessarium ad esse & ad bene esse* , quæ subdivisio ex ipsa finis divisione satis nota est : *necessitas externa ex suppositione antecedentis* , est necessitas ex suppositione *vel decreti* , *vel præscientiæ* , *vel predicationis* divinæ ; hoc triplici modo necessarium fuit , ut ossa Christi non confringentur ; necessitas *præscientiæ* vocatur Theologis , necessitas *infallibilitatis* ; necessitas *decreti* , *immutabilitatis* , quamvis nonnulli ex ipsis hæc confundant : *necessitas externa ex hypothesi existentiæ seu aetate* est , quia res , cum est , necessario est , cum fit , necessario fit : quo sensu Arist. dixit l. de Interp. Omne , quod est , quando est , necessario est : hanc necessitatem nonnulli vocant necessitatem temporis , Cl. Burgerj d. *hypothesin* , quæ rei alioquin contingenti necessitatem adfert , dicit *vel antecedere rem* , *vel eam sequi* , *vel cum ea esse conjunctam* : necessitas conjuncta cum re facit necessarium , quod ego vocavi necessarium ex hypothesi existentiæ , aetatis , temporis : hypothesis , quæ rem sequitur , quam facit necessarium , est finis rei , facitque necessarium ex hypothesi cause finalis : hypothesis ,

quæ antecedit rem sub conditione necessariam , adfert istam necessitatem , vel per aliquam causalitatem , vel absque ea : si per aliquam causalitatem , ista , vel coactio est , vel determinatio : quæ sunt hoc utroque modo necessaria , sunt necessaria , quæ vocavi , ex hypothesi causa efficientis : quæ sunt necessaria ex hypothesi præcedente rem sed per nullam causalitatem , sunt necessaria , quæ vocavi , ex suppositione antecedentis , five præcientiarum , five predicationis , five decreti . Ac sic hujus divisionis membra cum membris nostræ divisionis ferè coincidunt .

VI. Ha quidem variæ sunt acceptiones vocis *Necessarii* : hoc restat , ut , quo sensu vox hæc sumatur in divisione causæ efficientis in necessariam ( nam quomodo sumatur in divisione entis & enunciationis , satis est notum ) & contingentem , seu , ut alii , liberam ( quamvis libertas sit species contingentia ; hæc enim dividitur in consultam , quæ libertas est , & fortuitam ) explicemus . In hac causa efficientis divisione , non est intelligenda *necessitas hypothetica* , quæcumque etiam fuerit : quia hæc non contradistinguitur contingentia aut libertati : nam illa necessitas intelligitur facere causam necessariam hoc loco , quæ contingentia seu libertati opponitur eamque tollit , quia causa necessaria & contingens seu libera , membra sunt opposita divisionis contrarie : sed necessitas hypothetica contingentia aut libertati non opponitur , nec eam tollit , sed optime atque amice cum ea conspirat ac convenit : quod patet eundo per singulas classes necessitatis hypotheticæ jam recensitas : ex eo enim , quod jam scribo aut lego , necessario scribo aut lego : est hæc necessitas hypothetica ex suppositione aetatis , existentiæ , temporis , five ex hypothesi quæ cum re conjuncta est : at illa necessitas libertatem meam mihi & actionis contingentiam non aufert : nihilominus libere scribo aut lego , quia scribo aut lego , quicquid , quantum , quando , & quamdiu lubet , & actio scribendi aut legendi contingens est : sed neque necessitas hypothetica ex suppositione antecedentis five præcientiarum , five decreti , five predicationis divinarum , quæ est necessitas rem præcedens

fine

fine causalitate, libertati aut rerum contingentiae repugnat: nam istoc triplici modo necessarium erat ut Judæi Christum crucifigerent, & tamen libere crucifixerunt, & crucifigendi actio Judæorum respectu fuit contingentissima: ulterius, neque necessitas hypothetica, qua ex est suppositione causæ finalis, vel ex hypothesi qua rem sequitur, contingentiam aut libertatem è medio tollit: nam hoc modo necessarium est ut studeam si velim esse eruditus, nihilominus tamen libere studeo, quantum, quicquid, quando, & quamdiu lubet, & studendi actio contingens est: denique neque necessitas hypothetica ex suppositione causa efficiens, sive ex hypothesi, que rem praecedit vera causalitate, contingentiae aut libertati inimica est; sive fuerit ista causalitas coactio, sive determinatio: non determinatio; nam licet à summo bono determiner, tamen libere illud appeto, & appetendi actio contingens est contingentia consultæ pariter, postquam intellectus judicavit mihi navigio esse proficendum, ego hoc medium eligo necessario, & tamen libere, & proficisciendi actio est contingens: non coactio, quia intellectus & voluntas, sedes libertatis & contingentiae radix, cogi non possunt: sive coactus ad patibulum incedere necessitatem patitur, sed tamen libere incedit, adeoque ejus incessus est

contingens: quod autem vulgo dicitur nefitas coactionis pugnare cum libertate & contingenti, intelligitur tantum de actionibus imperatis: at in actionibus elicitis nulla esse potest coactio, nemus ut libertatem aut actionis contingentiam evertat. Concludimus ergo nullam speciem libertatis hypothetica aut externæ repugnare libertati aut contingentiae. Sola itaque *necessitas interna* intelligitur, cum causa efficiens dicitur *necessaria*: sed quenam? an omnis? Respond. 1. Non interna absoluta independens, quali modo necessarium esse diximus, Deum esse. 2. Non interna absoluta dependens definitionis aut demonstrationis, quali modo diximus esse necessarium, hominem esse rationalem aut rifiablem. 3. Sed necessitas interna dependens secundum quid, sive naturæ, aut phisica, naturalis, non prout ista vox animalem necessitatem excludit, sed in quantum eam includit, adeoque in quantum nō naturale opponitur voluntario, competitque rebus inanimatis tum animatis anima vegetativa & sensitiva: hæc sola necessitas naturæ profecta à naturæ principio intrinseco, sive materia, sive forma, constituit causam necessariam oppositam contingentia seu libere, quod oftensum voluimus. Atque hæc de necessario.

---

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

#### DECIMA-OCTAVA,

DE

## CONTINGENTIA.

### THEISIS I.

**C**um opposita juxta se invicem posita clarioris eluescant, disputationi de *Necessitate* subjicienda est disputationi de *Contingentia*. τὸν δὲ ὄπερον, inquit *Philosophus* l. 1. *Prior.* ε. *Final.* c. 3. t. 5. πολλαχός λέγεται, καὶ γάρ, καὶ τὸν διαγνώσκων, οὐκ οὐδέποτε ἐπίδικτον εἰδίχειον λέγεται. *Contingens* multifa-

riam dicitur, namque &, quod est necessarium, & quod non est necessarium, & quod est possibile, contingere dicimus. Sed hæc significatio aliena est, eodem *Philosopho* teste l. 1. *Prior.* *Anal.* c. 13. t. 2. τὸ γάρ διαγνώσκων. οὐδέποτε ἐπίδικτον εἰδίχειον λέγεται: quod enim necessarium est, equivoce contingere dicimus. Nonnulli contingens idem

idem faciunt quod fortuitum aut casuale, quo pacto forte fortuna contingit, pescatorem pescando extrahere aureum tripodem; casu contingit tegulam decidentem vulnerare pretereuntis caput: verum contingentia non casum tantum aut fortunam, sed libertatem quoque complectitur, quod in hujus disputationis progressu statim pluribus dicemus. Itaque in genere hic sumitur à nobis *Contingens* pro mutabili, sicut necessarium sumplimus pro immutabili: atque ut necessarium definimus, quod aliter se habere non potest, ita *Contingens* definitum ab opposito, *quod aliter se habere potest*, sive in essendo aut ex essendo, quomodo ens aliquod dicitur contingens, ut *Creatura*, sive in *causando*, quo sentiu causa efficiens dicitur quedam contingens, ut *homo*, qui ambulat, aut fodiendo terram thesaurum invenit; sive in *enuntiando*, quo modo *enunciatio* aliqua vera est contingens, ut *Petrus* est doctus. Creatura dicitur ens contingens in existendo, quia potest non existere: homo dicitur causa efficiens contingens, cum ambulat, aut fodiendo terram thesaurum invenit, quia potest non ambulare, & fodiendo terram non invenire thesaurum: *enunciatio* aliqua vera dicitur contingens, quia ita vera est ut possit esse falsa; potest enim fieri ut *Petrus* non sit doctus.

II. Necessarium fuit divisum in dependens & independens: sic & contingens aliquo sensu dividi potest, non quidem in essendo: nam nullum est contingens independens in essendo, sed in causando: Deus enim, quatenus libere operatur ad extra, potest dici contingens in operando; libertas enim est species contingentie, ut statim pluribus dicetur; & tamen Deus, qui contingenter hoc sensu operatur, etiam operatur independenter ab alio. Sed propter hanc divisionem, aliq; insuper divisiones contingentie adferendae fuerint. 1. Dividitur contingens in complexum & incomplexum: illud est propositio, hoc ens aut causa contingens. 2. Contingens est vel absolute tale, vel secundum quid; quæ divisione non tam est contingentis in genere, quam contingens in essendo, puta creaturæ: contingens secundum quid, est ens creatum, quod licet ratione dependen-

tiæ à Deo ab extrinseco sit mutabile, & sic possit desinere, in sece tamen & ab intrinseco non definit, nisi actione Dei extraordinaria, uti est Angelus: contingens absolute, est ens creatum, quod est simpliciter mutabile, atq; ex sece potest definere, nulla supposita actione Dei extraordinaria, uti est arbor, brutum, &c. 3. Contingentia est æqualis vel inæqualis, indefinita vel definita, intrinseca vel extrinseca: atque hæc est divisio contingentie non in genere, sed in causando: nempe, reperiuntur causæ quæ ex natura sua non sunt determinatae ad unum effectum producendum, sed æqualiter se habent ad hunc vel illum effectum, adeoque respiciunt ex æquo & indefinite utramque partem vel contrarietas vel contradictionis: ab his causis, qui effectus proficiuntur, dicuntur contingentes, contingentia æquali, indefinita, intrinseca; talis causa contingens est Deus, Angelus, homo: alia vero sunt causæ, quæ definitas & determinatas agendi vires accepérunt, sed nonnunquam ab ordine præscripto recedunt, quia ab extrinseca causa alia impediuntur, unde fit, ut inæqualiter se habent ad effectus, & prout ex impedimento fuerint vel magis, vel minus aptæ, magis hunc, minus illum effectum producant: quod cum sit, existunt effectus contingentes, contingentia inæquali, definita, extrinseca: atque hæc contingentia in agendo in Deum non cadit, sed in solam creaturam. 4. A præcedenti divisione non multum ab *Contingentie* divisione in consultam & fortuitam; quarum illa convenit causis liberis & per se operantibus, dicitur que libertas, hæc causis per accidens operantibus, vel liberis, & dicitur fortuna, vel necessarii, & dicitur causa. 5. *Contingentia*, non quælibet, sed complexa, est formalis & materialis. Formalis, est in enunciatione habente modum, *Contingens*. Materialis, est in enunciatione, cujus partes cohærent nexus dissolubili & contingenti: utraque est in hac enunciatione: *Contingit hominem esse doctum*. Prior tantum in hac: *Contingit hominem esse animal*: quæ enunciatio vera est ratione formæ, quatenus modus enunciandi est bonus, falsa ratione materiæ, quia enunciatio cum re non consentit. Posterior tantum est in hac: *Homo*

est doctus. De contingentia enunciationum formalis agit *Arist. in lib. de Interp. de materia in Topicis.* Atque haec sunt potissimum Contingentia & Contingentiae divisiones.

III. Verum enim vero ex iis, quae sunt dicta, scrupulus fortasse alicui oboriatur, an satius tuto dicatur Deus causa contingens & contingentia agere? Nam videtur de ratione causae contingens esse, ut sit mirabilis & impeditri possit: praeterea, sicut contingentia in essendo est propria passio & conditio entis creati, ita & contingentia in causando esse videtur. Sed respondemus, recte addi utrobique non Videtur: aliud est videri, aliud rem ita esse. Ad 1. dicimus, Contingens in causando est, quod potest caufare & non caufare: quae indifferentia interdum oritur ex intrinseca perfectione causae, ut in Deo, & tum impeditri non potest: interdum provenit ab imperfectione & limitacione causae, secundum quam aliunde impeditri potest: & hanc Deo non tribuimus. Ad 2. dicimus, quod contingentia in essendo solum convenientia enti creato: inde est, quod sit contingentia (ut sic loquar) passiva, quae involvit imperfectionem: at contingentia in causando, quia est contingentia activa, nullam imperfectionem inducit. Atque ex his liquet nimis hic usus scrupulosos Doct. Conimbric. cum l. 8. Phys. c. 2. q. 5. art. 1. resp. ad 1. dicere non fuerunt aucti, *Deum agere contingentem, quod contingentia mutabilitatem & imperfectionem in operante innuat:* & maluerunt medium quoddam fingere inter necessarium & contingens, quod nullum est, cum sint membra immediate opposita.

V. Sed hic nunc discutienda venit quaestio nobilissima, quanam sit radix, ratio, & causa prima contingentia in causis secundis contingentia agentibus, an sit divina voluntas? An vero ipsa causa secunda? Respondemus, radicem, rationem, causam primam contingentia in causis secundis non esse ipsam defectibilitatem causae secundae, sed ipsam Dei voluntatem, quae unicum, primum, & certissimum est omnis contingentiae in rebus creatis fundamentum: nam quare creature quaedam habent potentiam contingentia operandi? Quia Deus voluit eas ita agere posse.

Quare agunt contingentia? Quia Deus voluit illas sic agere. Quare suo tempore agunt alterutrum determinate? Quia Deus voluit eas hoc acturas quod agunt. Alioquin decreti & eventus non esset immutabilis, quae tamen semper est, *et quoniam:* tantum igitur abest ut voluntas Dei decernens tollat rerum contingentiam, ut contra eam fundet ac statuminet. Nempe, quia Deus voluit effectus quosdam contingentia produci, ideo elegit & decrevit facere quosdam causas contingentias, à quibus producerentur isti effectus contingentias: nam alioqui sequeretur, si Deus non elegisset causas contingentias, & tamen effectus contingentias existerent, quod effectus contingentia esset praeter voluntatem & intentionem Dei, quo nihil potest dici absurdius. Deinde, si effectus darentur contingentias, quorum tamen causas non elegisset contingentias Deus, sequeretur causam secundam & modificare & impeditre posse causam primam, quod utrumque non minus est absurdum: itaque nos reducimus omnium rerum contingentiam in Dei voluntatem ut causam, quae attingit à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter, ut ex Patribus nonnemo loquitur, & elegit effectibus contingentibus causas contingentias, necessarias, voluitq; non tantum res esse quantum ad substantiam, sed quantum ad modum ipsarum, & causas secundas non tantum operari, sed operari tali vel tali modo.

V. Verum ut hoc negotium penitus intelligatur, notandum venit, dupliciter id intelligi posse, cum dicimus, Deum aut ejus voluntatem esse primam radicem contingentia, primo, quia omnis virtus causandi contingentia, quae est in causis secundis, participatur à prima causa Deo, & consequenter, omnis contingentia effectuum in Deum ut in primam radicem refunditur; secundo, non quia tantum ab ipso pullulat & descendit omnis virtus & causalitas contingentia causandi, sed quia ab ipso est immediate omnis causatio contingentia: quae duo multum sunt distincta, quia prius dicit actum primum, posterius secundum. Prior sensus nullam habet difficultatem, neque de eo usque adeo disputatur: posterior sensus plus habet difficultatis, magisque de eo di-  
-pu-

disputari solet. Atque hic sensus adhuc dupl. citer sumi potest: nam causatio causa secundæ contingens, considerari potest materialiter & adæquate secundum totam entitatem suam, secundum quam est & à Deo & à causa secunda immediate: nam supponimus nunc, quod est verissimum, esse unam eandemque indivisibilem actionem causæ primæ & secundæ concurrentium: vel potest causatio contingens causæ secundæ considerari formaliter & inadæquate, prout præcise est causa secunda, & ex propria ejus conditione ita operandi, ut possit non operari; priori modo, supposita non tantum simulata sed & identitate aut unitate concursus Dei ac causæ secundæ, certum est Deum esse primam radicem contingentia, sicut certum est eum esse primam causam omnis actionis: non enim quia causa secunda agit, Deus agit, sed quia Deus agit, causa secunda agit: posteriori modo etiam Deum esse primam contingentia radicem sentiunt Thomistæ, ita ut causa secunda indifferens ad operandum opus habeat à Deo efficacissime præmoveri & prædeterminari ad operandum, utque causatio contingens, etiam ut est à causa secunda, resolvatur in efficaciam divinæ voluntatis & potentia prævia motione applicantis unamquamq; causam ad operandum juxta exigentiam seu indigentiam naturæ ejus: alii vero negant hanc præmotionem seu prædeterminationem causæ secundæ à prima, & ajunt causas secundas à seipso vel à circumstantiis determinari ad exercitium actus, atq; ita proximam radicem contingentia effectuum procedentium à causis secundis esse in ipsis causis

secundis. Sed nos cum Thomistis facimus, & sententia nostra fatis explicata est in hoc negotio disputationibus ante de concursu habitis. V I. Solet hic adhuc alia quæstio moveri, Utrum, si Deus ageret necessario, effectus nihilominus darentur in rerum natura contingentes? Resp. 1. hypothesin esse impossibilem: quia Deus non modo non agit ad extra ex necessitate naturæ, sed ne quidem sic agere potest, quia modus ille operandi derogat summa ejus perfectioni: imperfectionis enim est, naturam intellectualem esse determinatam ad unum: nihilominus quia familiare est Philosophiæ, positis etiam quibusdam hypothesibus impossibilibus, inquirere, quid sit futurum vel non; dicimus 2. si prima causa ageret necessario ad extra, sublatum iri contingentiam in rebus creatis: nam ex ratione causæ primæ fit, ut secundæ nihil possint agere nisi motæ à prima: si jam prima agat ex necessitate naturæ, influet in secundum influxu potentissimo, prout alia causæ agentes ex necessitate nature agunt quantum possunt: si prima causa agens necessario, influat potentissime in secundam, determinabit eam ad unum, & sic contingentiam agendi atque indifferentiam tollet. Porro, si prima causa necessario causat, necessario se habebit influendo respectu causæ secundæ: Illa esto B. igitur B. necessario movetur à prima causa A. at B. eodem modo, quo movetur à prima causa A. movet proximam sibi causam C. & C. movebit D. & sic in omnibus causis procedendo nihil contingenter movebitur aut causabit, si Deus prima causa necessario causat aut agit.

---

Disputationum ex Philosophiâ selectarum  
DECIMÆ-NONÆ, PARÆ PRIOR.  
CONTRA

POSSIB. MVNDI ÆTERNITAT.  
THESIS I.

**V**etus est Aristotelis, Averrois, Procli, aliorumque ex Ethniciis de æterna mundi existentia error, quem, quia ex sacris literis melius non fuerunt edocti, iis condonamus

libenter: sed inter Christianos Philosophos, Mundi creationem in tempore ex Dei verbo edocentes, nova exorta est lis, de possibili mundi æternitate: & quæsumus à multis jam est

seculis, an Mundus ab æterno effici à deo potuerit. Atque hic quidem varix sunt sententiae: nonnullis afferentibus, Mundum quoad omnes creaturas ab æterno effici potuisse: aliis æternitatem possibilem ad res tantum incorruptibiles refringentibus: nullam in mundo creaturam, nec corruptibilem nec incorruptibilem, ab æterno effici potuisse, statuentibus. Et solet hæc quæstio sub hisce terminis ventilari in Philosophorum Scholis, *sitne de ratione creationis novitas effendi?* que quæstio eundem cum hac habet sensum, *possitne mundus aut quipiam creari ab æterno.* Ac sententia communior apud Modernos est, quod non sit de ratione creationis novitas effendi; que negativa sic vertitur in affirmativam, quod mundus ab æterno creari potuerit. Citant pro hac sententia *Conimbr. l. 8. Phys. c. 2. quæstion. 7. artic. 2.* & *Mafus in l. 8. Phys. quæstion. 8. Thom. 1. part. quæst. 46. artic. 2.* & ibi *Cajetanum, 2. contra gentes,* & ibi *Ferrariensem.* Durandum, Argentinatum, *Gregorium, Ochamum, Bielum, Capreolum, Egidium, Herveum, aliosque ex Scholasticis antiquioribus:* sequitur eam *Suarez in Met. Disp. 20. cum eius exscriptoribus Scheibl. l. 2. Met. c. 3. punct. 6. Martin. in Metaph. partit. l. 1. seft. 11. quæft. 4. Iacob. Metaph. Instit. l. 3. c. 8.* Vid. etiam Pererium *Phys. l. 15. cap. 12.* & omnes in *8. l. Phys. script. commentatores,* hodie receptos passim in scholis. Sed enim nominum splendore oculos nostros perstringi non patimur: nos contra omnes, asserimus hanc affirmativam: *est de ratione creationis novitas effendi;* & hanc negativam: *Mundus ab æterno creari non potuit.* Ratio primaria pro Adversariis, omniumque rationum quasi farago, est quia ostenditur, non implicari contradictionem, nec ex parte Dei creantis, nec ex parte creationis, nec ex parte creature, si statuatur mundus aut aliquid ab æterno creari potuisse: nam ut *Mafus eit. loc. annot. 1.* monet, idem est dicere, creaturam ab æterno potuisse & non potuisse produci, quod implicare contradictionem & non implicare contradictionem: nam si non implicat, fieri potuit: si implicat, fieri non potuit. Atque hanc rationem *Conimbric.* vocant *talem, qua-*

*mularum vim habet.* Pererius loc. cit. ait in margine, *Pulcherrimam esse argumentationem,* sed vero quam nullam habeat vim & quam sit misella, turpis, tantisque Philosophis indigna ratio, nunc ostensum imus, at Pererius quidem (quia unus ex iis est sequendus) veltigia prememus, qui tamen eadem plane habet cum cæteris.

II. Sic argumentatur cum *Sociis Pererius.* *Si impossibile est creaturam produci ab æterno,* id est, si creatura ab æterno produci non potuit (qui controversie est status) *ista impossibilitas provenit, vel ex parte creatoris, vel ex parte creationis, vel ex parte creature.* Sed nihil horum vere impossibilitatem importat. Ergo non est impossibile &c. Negamus Pererio minorem; & ex triplici fundamento, quod ponit, impossibilitatem creationis æternæ derivamus, & ratione creatoris, & ratione creationis, & ratione creature. Probat Pererius suam minorem, & orditur à primo membro. §. 1. *Ex parte Dei productus tripliciter provenire potest impossibilitas; vel quia putatur nullum productum coæternum esse posse suo producenti; vel quia producens liberum, cum agat ex electione, existimat præcedere aliqua duratione suum effectum, vel quia, si creatura coæterna esse posset creatori, creator in aliquo, nimis duratione, non esset superior, major, atque prestantior, quam creatura.* Sed nullum horum trium tollit possibilem mundi aut creature æternitatem. Ergo non est illa impossibilis ex parte creatoris Dei. Negamus iterum minorem Pererio, & contra dicimus ex triplici isto capite, impossibile esse ratione Dei creatoris, ut mundus aut creature ab æterno produci possit, tum quia Deus non potest producere aliquid sibi coæternum, tum quia agit ex electione, ideoque inter effectum & electionem aliquam durationem oportet intercedere, tum quia creator adæquaretur creature. Pergit Pererius, quod primum caput ex parte Dei non tollat possibilitatem æternæ mundi productionis, probat hac instantia. Quia, inquit, in divina Trinitate Pater vere producit Filium, cum tamen credamus Filium esse coæternum Patri. Sed vero hæc instantia Pererii ac sociorum promittit ac

ac prodit impietatem ac blasphemiam, eosque trans fugas facit in castra Arrii, Photini, Socini. *Quis* illum & illos docuit sic argumentari, à productione æterna Filii ad productionem æternam mundi? profecto si quid hac instantia probari volunt, oportet statuant, Filium Dei à Patre produci tanquam creaturam (quod redolet istorum hæreticorum hæreses) ut sit paritas in argumento: nam mundus creatura est: si ergo potuit ab æterno creari mundus, quia potuit ab æterno produci filius, aut filium Dei oportet produci ut creaturam, sicut est mundus, aut mundum, ut Deum, sicut est Filius Dei: alioqui non procedit argumentum. Sed vero ponamus ob oculos pulcherrimæ hujus argumentationis vim (de qua tam gloriantur) plane nullam. Productio Filii Dei est opus ad intra, manens in essentia & substantia Deitatis & aeternitatis, inde sequitur Filium Dei esse cum Patre unum: creatio verò mundi, productio creaturæ est opus ad extra, non manens in Deo, sed transiens extra Deum ad creaturem, quæ non sunt unum cum Deo cum creatore suo. itaque insignis hic est elenchus parium. De qua unquam creature dixit Deus, quod de Filio dicit, *Ego hodie genui te*. Filius ab æterno producitur Patri confubstantialis. Ergo mundus etiam, ab æterno si produci posset, confubstantialis Deo foret? Filius Patri per omnia est coæqualis; Creatura immenso & infinito intervallo à creatore est remota. Quare ineptum est, imo impium, quod sic argumentetur *Pererius*, cum assumit, non repugnare à parte Dei, ut mundum, aut creaturam, aut aliiquid possit producere sibi coæternum, quia produxerit Filium, qui sit sibi coæternus: & disparitatem jam indicavimus: imo si haec argumentatio valeat, sequitur non tantum mundum potuisse ab æterno produci, sed de facto ac vere esse ab æterno productum, sicut de facto & vere Filium produxit Pater, ut ipse testatur *Pererius*: nunc aliam instantiam profert, ut probet productum posse esse coæcum suo producenti. Pergit, *Philosophi*, inquit, concedunt in rebus naturalibus inveniri aliquas causas efficientes, quæ simul sint cum effectis: & D. *Augustinus* ostendere volens hæc

duo non pugnare inter se, ut nimis Filius Dei sit coæternus ei, in 6. lib. de Trinit. 1. declarat hoc exemplo: Splendor qui gignitur ab igne atque diffunditur, coævus est igni, & effet ei coæternus, si ignis effet æternus. Sed vero haec non inserviunt roboranda infantia *Pereriae*. *Augustini* simile illud est dissimile & productioni æternæ Filii Dei, & productioni mundi. Filii Dei productio est supernaturalis: splendoris ab igne productio naturalis: mundus productione transitus extra Deum producentem, splendor, qui producitur ab igne, non abit extra ignem. *Quis* dicat splendorem esse creaturam ignis aut opus ad extra, quod requiritur, ut argumentum probet? si splendor creatura ignis foret, aut, ut rectius loquamur, si se haberet ad ignem, ut se habet creatura ad Deum, certe extra ignem egrediretur & esset quid diversum ab igne, sicut creatura exiit à creatore, et que aliquid diversum ab eo: & sic simul profecto non essent, sed ignis effet ante splendorem, ut creator est ante creaturam. Porro, quid si splendorem esse effectum ignis negemus? quid si ejus dicamus esse adjunctum concreatum? ut lux est adjunctum solis concreatum: certe, nec splendor ignis, nec lux solis est effectum, tanquam causa procreantis (quæ proprie est efficiens) sed si effectum sunt utriusque, sunt effectum utriusque tanquam cause conservantis, quæ apud multos nomen cauæ efficientis amisit, & refertur ad subiectum ab iis sicuti ejus effectum reducitur ad adjunctum: at mundus à Deo est, ut à procreante; etiam quidem ut à conservante, sed non ut à conservante tantum, sicut hoc modo tantum est ab igne splendor, à sole lux: rem facere lucidam aut splendidam sunt effecta à sole & egredientia & procreata, sed quæ cum sole & igne non essent ab æterno simul, ut cunque sol & ignis ponerentur esse ab æterno, quia effectum esse ab aliquo extra efficientem causam productum & simul in eodem momento esse cum causa, impossibile est: quæ simulque sunt, simul sunt, sicut ignis & splendor, sol & lux, ea non tanquam causa procreans & effectus à se invicem dependent, sed vel tanquam causa conservans & effectus, vel tanquam duo effecta procreata à causa

superiori procreante. Denique, quod supponit Pererius, si ignis aeternus esset, splendorem ejus pariter fore aeternum, age verum esto ex suppositione. Sed enim de illo ipso antecedente questio est, An ignis ab aeterno esse possit, an mundus aut ulla creatura ab aeterno esse aut produci potuerit?

III. Videamus, an secundum membris primi Minoris ex parte Dei caput non tollat impossibilitatem eterne mundi productionis; Secundum caput est. Quod Deus sit agens liberum ex electione, ideoque ante effectum, & sic effectum, mundus non potest Deo esse coeternus. Hoc non tollit possibilem mundi aeternitatem, inquit Pererius, & pergit. Quia Deus, cum sit infinite virtutis, non est minoris potentiae, cum agit libere, quam cum agit necessario: sed si ex necessitate naturae ageret, producisset mundum ab aeterno; quia est ab aeterno. Ergo quod agat libere, id non obstat, quo minus potuerit mundum producere ab aeterno. Sed ad haec respondemus tali modo: Deum non esse impotentiem, cum agit libere, quam cum agit necessario, verum est, non tamen inde sequitur, Deum omnia posse ad extra, cum agit libere, quae potest ad intra, cum agit necessario: quia, cum agit ad intra, potest omnia quae natura divina necessario exigit; cum agit extra, potest quantum vult: intercedit enim in actionibus ad extra voluntas: ergo, quia Deus non vult, ut mundus producatur ab aeterno, nec mundum ab aeterno producere potuit: sed vero amplius: si maxime Deus ageret ex naturae necessitate, & non tamen Mundus in uno primo momento cum Deo simul esse posset, quia effectui propriæ sic dicto, quatenus effectus est, id est, quatenus est à causa procreante, repugnat simul esse cum causa hoc modo, sive causa procreans agat ex necessitate naturæ, sive ex voluntatis libertate: non igitur impotentiae est aut minoris potentiae, non potuisse Mundū ab aeterno producere, quia contradictoriū est & impossib. intellectu, effectum esse & quidem creatū ac procreatū, & creatori seu cause procreanti esse coeternū. Sed & aliam ob causam hæc ratio inepta est. Arguit sic Pererius. Si Deus ageret ex necessitate naturae, mundū utique ab aeterno producisset, Ergo

cum libere agit, non minus potuit eum producere ab aeterno. Rationē consequentiae reddit: quia non minoris est potentiae libere agens quā agens necessario. Verum si in hunc modum fas est Pererio arguere, pariter & nobis licebit sic argumentari. Si Deus ageret ex necessitate naturae, ita mundum creasset, ut creationem ejus semper necessario continuaset. Ergo & libere agens ita potuit mundum creare, ut creationem ejus necessario semper continuaret. Ratio consequentiae eadem est, quam illi adferunt. Atqui absurdum est consequens, esse nimur agens liberum, & necessario actionem continuare: nec tamen quisquam tam est ineptus, ut impotentiæ Deum arguat, ideo quod libere agens actionem necessario non continuat, aut quod saltem potest non necessario continuare, quam tamen necessario continuaret, si ex necessitate ageret: itaque, si maxime concederemus, effectum cum causa necessario agente posse esse simul in eodem primo existentia momento, negaremus tamen minoris potentiae Deum dici debere, si ex necessitate naturae agens ficeret, quod libere agens facere non posset: quia illud non Dei impotentiæ, sed contradictioni imputandum esset, quod libere agens eodem modo & momento extra se agere non potest, quo ageret, si ex necessitate naturae ageret. Sed habet secundam instantiam & exceptionem Pererius; sic loquitur, *Præterea agens ex electione tunc successive agit, & tempore anteit effectum, cum electio non est actus voluntatis simplex & totus simul, sed prærequisit deliberationem, que propter discursum rationis et adjunctum fit successive, scilicet cernimus in homine: at electio Dei, non secus ac ejus intellectio, est actus simplicissimus, voluntatis divina, totus simul, Deo coeternus: non igitur, quod Deus libere & ex electione agat, id obstat, quo minus potuerit ab eo producere mundus ab aeterno.* Respondemus 1. ex illo Pererii discursu non tantum sequi, mundum ab aeterno esse posse, sed etiam esse: si enim creatio sit actus voluntatis & electionis divinæ, & actus voluntatis & electionis divinæ sit Deo coeternus, & creatio erit Deo coeterna; quidni igitur & res creata, per creationem à Deo producta, fuerit Deo coeterna,

Verum

Verum 2. respondemus directè, sive electionis actus sit simplex & momentaneus, ac totus simul, sive sit successivus, nihilominus inter eum & effectum ad extra mora intercedit: nam omne agens per electionem & voluntatis libertatem, qualisunque tandem sit electio, effectu suo est prius: nam si Deus ex electione & libere mundum produxit, ergo mundus potuit non produci: si potuit non produci, vel in eo ipso instanti, in quo productus est, vel ante, vel post: non in eo ipso instanti, quia omne quod est, eo ipso quo est, non potest non esse: non post, quia semel productum necessario est productum. Ergo ante: si ante, ergo prius fuerit Deus, qui elegit isto momento mundum producere, quo produxit, & non ante: nam si ante voluisse, potuisse ante produxisse: at nec velle nec producere ante potuisse, nisi ante extitisset. Ergo inter Deum diligentem producere mundum istoc momentu, & ipsum mundum productum mora fuit, & non fuit simultas existentiae, sed electio

mundi producendi in Deo extitit ab aeterno, productio ejusdem in tempore. Pergit Pererius. Adde, inquit, quod Deus agat per suam voluntatem: in Deo autem non est maior velle quam posse: potuit autem Deus velle producere mundum ab aeterno, ergo potuit etiam producere. Ad id dicimus quod Deus nec potuit producere mundum ab aeterno, nec potuit velle, nec potuit posse velle vel producere, quia nec vult, nec potest, nec velle potest Deus, sibi contraria & quæ contradictionem impllicant: at mundum esse & produci Deo coeternum, Dei naturæ est contrarium, cui proprium est & incommunicabile attributum aeternitas, & contradictionem involvit, quod jam ex parte ostensum est, & ultrius ostendetur parte hujus disputationis posteriori, in qua primi membra minoris probandæ caput tertium & ejusdem duo membra reliqua ex Pererio examinabimus, quod propter chartæ angustiam facere nunc non licet.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

DECIMÆ-NONÆ, PARS POSTERIOR,  
CONTRA

## POSSIB. MVNDI AETERNITAT.

## THEISIS I.

**P**rotulimus parte priore hujus disputationis ex Pererio *Phys. Juæ lib. 15. c. 12.* pro possibili aeternitate Mundi hoc argumentum. Si mundus ab aeterno fieri non posset, vel impossibilitas ista est ex parte creatoris, vel ex parte creationis, vel ex parte creaturae: Sed nihil istorum dici potest. E. Respondentus omnia simul & singula facere hanc impossibilitatem. Ex parte creatoris non est impossibile probavit, quia hoc ideo foret, vel quod Deus non posset sibi coeternum producere, vel quod egerit libere in producendo, vel quod creatura tum creatori par est posse in duratione. At nihil istorum impedit. E. Resp. singula impedire: atque id impossibile est, quia Deus

non possit sibi coeternum producere, & quia in creando egerit libere, disputatione praecedenti est ostensum; nunc pariter id impossibile est ostendemus, quia creatura tum creatori par foret duratione. Ad id excipit Pererius hisce verbis. Nec illud dici potest vere, si creatura sit aeterna, eam aliqua re fore parem Deo: nam quamvis ponatur creatura coeterna Deo, non tamen continuo ponitur ei æqualis in duratione, sed multo inferior. Resp. Quid hoc est dicere? cum mundus ponitur coeternus Deo, non tamen ponitur ei æqualis in duratione, sed longe inferior: idem est, ac si diceret Pererius, cum Mundus ponitur coeternus Deo, non tamen ponitur coeternus. Quid est insanire cum

cum ratione, si hoc non est? Certe, quicquid duratione est inferior aeterno, eique par aut æquale non est, aeternum non est: & sive brevi, sive longo duret tempore, novum est & in tempore factum, non aeternum aut ab aeterno. Sed videamus quomodo probet Pererius, id quod dicit. sic pergit, Aeternitas enim Dei est omnino necessaria, quia Deus non potest non esse aeternus, creatura vero potest esse & non esse aeterna: deinde aeternitas creature est ab alio per participationem, aeternitas Dei est a se per essentiam. Resp. contradictient hic dici a Pererio: aeternum esse & necessarium non esse contradicunt: omne enim aeternum est necessarium: nam aeternum est, quod semper est, semper fuit: quod necessarium non est, non semper est, nec semper fuit: nam necessarium est, quod non potest non esse, consequenter, quod semper est: ergo non necessarium, quod potest non esse, consequenter, aliquando non est: concludo itaque, quod necessarium non est, non est aeternum, & per conversionem à contrapositione, quod aeternum est, est necessarium: deinde aeternum esse, & per participationem ab alio esse, tanquam a causa sc. quomodo Mundus est à Deo, contradictunt: nam nullum factum est aeternum: at quod est ab alio per participationem, tanquam a causa sc. est factum. Ergo nullum, quod ab alio est per participationem, est aeternum. Major sic probatur Quod factum est, fieri desit; quod fieri desit, aliquando fuit in fieri; quod in fieri est, nondum est: ergo, quod factum est, aliquando non fuit; quod aliquando non fuit, non est aeternum: hinc infero; Quod aliquando non fuit, non est aeternum: Quod factum est, aliquando non fuit: Ergo, quod factum est, non est aeternum.

II. Nunc postquam infeliciter Pererium probasse ostendimus, possibilem Mundi aeternitatem, ex parte creatoris, quod erat primum membrum probanda Minoris, nunc videamus, an felicius probet eam, ex parte creationis & creature, quod secundum erat tertiumque Assumptionis membrum. sic pergit Pererius, probatur non repugnare ex parte creationis, quo minus ab aeterno fieri posse dicatur Mundus. Ex parte, inquit, creationis existi-

mari posset aeternitatem repugnare creature, duas ob causas: tum quia creatio significare videtur actionem aliquam, que, cum non fiat in aeternitate, fieri debet in aliquo instanti: at in duratione aeterna non potest assignari unum aliquod instantis primum: tum etiam, quoniam creatio dicitur ex nihilo productio; quare oportet creaturam prius fuisse nihil, deinde accepisse per creationem ipsum esse: sed neutra harum causarum tollit possibilitatem aeternitatis in creatura: non quidem prior, cum enim Mundus creari ab aeterno ponitur, hic nomen creationis non significat actionem aliquam à Deo proficiscentem ad creaturas, sed tantum significat habitudinem Mundi ad Deum tanquam ad suum principium, à quo ipius esse dependet: quemadmodum in Deo cum dicitur Filius produci à Patre, nomine productionis non significatur actio aliqua media inter Patrem & filium, sed illud tantum significatur, Filium non habere esse à se, sed à Patre: sicut etiam cum dicitur nō esse risibile, procedere & manare ab homine, non significatur media quædam actio, per quam risibile producatur ab homine, sed tantum dependentia risibilis ab homine tanquam intrinseco ejus principio: neque vero posterior causa probabilior est; etenim cum dicitur creatio fieri ex nihilo, non significatur ordi aliquis ipsius esse post non esse, vel transitus à non esse ad esse, sed tantum significatur negatio materia vel subjecti; ut fieri ex nihilo non sit aliud, quam non fieri ex aliquo subiecto vel materia; & hec quadrat in quamlibet creaturam etiam aeternam. Hactenus Pererius, cuius discursus exactiori trutina venit expenden-  
dus. Creatio, inquit, est mera habitudo Mundi ad Deum, tanquam ad suum principium à quo manat, sicut & productio Filii, non vero ab aliis à Deo ad creaturas proficisens. Sed vero, nos homines non possumus alio modo, id, quo Deus res omnes produxit ex nihilo, apprehendere, quam actionis notione. Quid fabricatio est nisi actio à fabro profecta ad producendam domum? similiter & creationem concipiimus in ordine ad Mundum: dicimus, similiter, quia novimus, creationem non esse actionem sive proprie dictam, ut est fabricatio, calefactio, &c. que directe in prædicamento actionis collocantur: sed àuctoribus tamen huc eam

eam referimus : & à nullo, quod sciam, aliter explicatur productio operum Dei ad extra : quam per actionem: quod de respectu aut habitidine adjicit Pererius, illud libenter accipimus : nam creatio optime dicitur habitudo creature ad creatorem, respectus effectus ad causam , sed non est eo minus actio dicenda : imo illa relatio creature ad creatorem in actione creativa fundatur : quod vero istam habitudinem explicit per habitudinem Filii à Patre geniti , & ei similem faciat , in eo impius est Pererius & profanus, ut disp. præced. est ostensum: sed vero , ut hic obiter , quid sit creatio, dicam : sciendum est eam vocem tria significare , 1; actum creantis, que vulgo creatio activa dicitur: 2, actum creati, que vulgo creatio passiva vocatur: 3, relationem ex creatione activa & passiva resultantem inter id quod creator & quod creat : sicut & nomina omnia actionem significantia , significant & passionem, & relationem important: unde & prædicamentum actionis & passionis , & quatuor reliqua, tantum respectus rerum continere dicuntur: Significatio tamen creationis, ut notat relationem , multum est diversa ab utraque priori significatione; nempe, qua ratione vulgo relatio dicitur differre à fundamento , eadem ratione differt creatio relative accepta ab illius relationis fundamento, ab actione , qua quis creat, & passione, qua quid creator: & tamen hæc tria eodem nomine creationis veniunt : itaque potest hoc dari Pererius , ut creationem explicit per habitudinem, respectum, relationem , sed si in eo non formale creationis collocet, errat : nam hæc habitudo apprehenditur ut aliquid resultans ex positione creatoris & creature, aut melius , ex positione creationis activæ & passivæ, adeoque est quoddam consequens & ratione saltem posterioris illis: at formalis ratio creationis, est illa, qua intelligitur in ea esse omnium prima: at hæc est, qua dicit actum creantis. Pergit Pererius, & dicit, ex nihilo fieri , non significare ordinem ipsius esse post non esse, sed tantum negationem materie. At vero , contrarium est verum: quando aliquid producitur per creationem , non tantum ex nihilo materiæ seu subjecti producitur , sed etiam productum aliquid, quod ante fuit nihil,

quod ante non fuit: nam cum non possit idem simul esse nihil & aliquid , oportet ut aliquid esse & nihil esse mutuo consequantur: itaque, quæ ex nihilo fiunt aliquid , dicunt consecutionem & esse post non esse ; at quæ creantur, ex nihilo fiunt aliquid : Ergo creatio non tantum infert independentiam à subiecto , non tantum negat materiam, non tantum dicit nihilum subiecti , sed & dicit non nihilum termini, ut res creata aliquando nihil fuerit, & post illud nihil factum sit aliquid ; & sic infertur successio entis post ens : & hoc est quod non nulli sic efferrunt, de ratione creationis est notitas effendi. Operæ pretium erit hic apponere contra Pererium alterius Jesuitæ socii sui Vasquesii discursum ex quæst. Metaph. disp. 24. c. 3. ubi sic discurrit. Est creatio productio aliquius ex nihilo , non quia nihilum sit veluti materia aut aliquid pertinens ad constitutionem rei productæ , sed quia sit terminus à quo productionis : perinde autem est , rem ex nihilo tanquam ex termino à quo produci , atque nihil præexistere ante productionem , quod ad constitutionem illius rei quodammodo pertineat , vel quod idem est , atque rem fieri secundum se totam : nam quando aliquid rei præcessit , & ea productione non fit , non est creatio , eo quod illa res non ex nihilo sed ex aliquo fiat , sive illud sit forma, sive materia : res enim dicitur fieri ex omni eo , ex quo constituitur : quare si præcedat forma rei , dicitur ex ea fieri , non ex nihilo : propterea creatio dici consuevit productio entis in quantum ens , hoc est , secundum totam rationem ejus , quod productur &c.

III. Nunc tertium probandæ Minoris syllogismi principalis membrum excutiamus , in quo ex parte creature non impossibilem esse Mundi æternitatem Pererius probare conatur: sic ratiocinatur. Ex parte creature videtur posse ei repugnare æternitas , vel quia communiter dicitur creature ex se convenire , non esse ; aut igitur creature convenit non esse post esse ipsius ; at multæ creature sunt incorruptibles, quæ nunquam amittent esse; aut non esse convenit simul cum esse ; at hoc implicat contradictionem : aut denique conveniet ipsi non esse, priusquam adveniet ei ipsum esse : Resp. hoc postremo sensu phrasin istam admittimus , &

tali quoque sensu à Philosophis sumi solet : omni enim creaturæ competit non esse ante esse , quia omnis creatura ex non ente fit ens , ut statim est ostensum ex definitione creationis : jam vero hæc propositio firma est : Quod ex non ente fit ens , ei competit non esse ante esse : at creatura ex non ente fit ens . Ergo . Pergit Pererius . Ergo non potest creatura semper & ab æterno fuisse , sed oportet aliquando non habuisse esse . Resp . hoc ipsum est , quod volumus , quod asserimus . Persequitur suum discursum Pererius . Vel repugnat aeternitas creaturæ , quia creatura dicitur habere esse partipiatum & acquisitum à Deo ; at si creatura fuisset ab æterno , semper habuisse esse , neque assignari posset in illa aeternitate quando illud esse acquisiverit & acceperit à Deo . Resp . & hec ratio pro nobis facit ac solida est : repugnat enim aeternitati , ut aliquid aut habeat aut habere possit esse ab alio , quod in fine th . 1 . hujus disp . satis est ostensum . Pergit Pererius : Sed neutrum multum valet ad evercendam aeternitatem creaturæ , nam cum dicitur , quod creaturæ ex se convenient non esse , non significatur , quod ea debuerit prius non esse , sed quod ex se non habet esse , & sibi soli à Deo derelicta , confessim in nihilum recideret . Relp . hæc gratis dici à Pererio & non probari : nos hic provocamus ad omnium Philosophorum judicia , ut judicent , an hæc phrasis , creaturæ convenient ex se non esse , tantum significet , quod creatura ex se non habeat esse , quod vult Pererius ; ac non potius , quod creatura habeat non esse ante esse , quod nos volumus , & ex vi vocis , & creaturæ & creationis , jam probatum dedimus : nihil igitur hoc faciunt Pereriana , quæ sequuntur : Quare illud non esse convenient ei , sc . creaturæ , tunc etiam cum habet esse , quia tunc verum est dicere , creaturam non esse à se , sed à Deo , in quo vivimus , movemur , & sumus . Hoc etiam significatur , cum dicitur creaturam habere esse acquisitum , & acceptum à Deo , hoc est , dependens à Deo . Hec omnia sunt plane & ægrediōrōrōz , neque is est sensus istius phrasēos , creaturæ ex se convenient non esse , quem Pererius fingit ac supponit : deinde , si esset , probet hæc

duo simul stare , quod creatura habeat esse acquisitum & sic ex se non sit , & quod simul possit esse æterna : quod nisi fecerit , nihil præstiterit : nos contrarium jam demonstratum dedimus : si quis pro Pererio dicat , rem , quæ habet esse acquisitum , posse esse æternam aeternitate arbitraria , non autem ea , quæ est absolute necessaria & immutabilis , is ostendat , posse aliquid esse æternum , & simul non necessarium , non immutabile : nos contra , quicquid æternum est , esse necessarium & immutabile , pronunciamus : quia quicquid caret principio & fine , id non potest non esse , & non potest mutari quod existentiam : hoc est , necessarium & immutabile : at quod est æternum , caret principio & fine . Ergo . Cadit itaque aeternitas arbitraria . Quod non tantum contra Pererium & socios in hac questione , sed & contra solidissimum alias Theol . D . Franc . Gomarum , observatum volumus , qui in gravissima questione , an decretum Dei sit Deus , hac ficta aeternitatis distinctione fese expedire . Postquam enim pro sua sententia ( quæ nobis tamen falsa censetur ) proposuisset tritum hoc argumentum , Disp . 9 . de æterno Dei decreto , in tercia parte operum Theol . Deus est ens absolute necessarium . Decretum Dei non est ens absolute necessarium . Ergo . subiungit . Ex quibus clarissimum aeternitatis Dei & decreti discrimen eluet : nam ut Dei existentia , sic aeternitas ejusdem absolute necessaria est : contra vero , ut decreti existentia à causa liberimē agente dependet , sic ejusdem aeternitas mere arbitraria est ut quæ sic est , ut non esse potuerit . quæ verba excidisse tanto & tam profunda ac subactae eruditiois Theologo , equidem miror . Quid an Deus ergo potuit esse fine decreto seu actu decernendi , qui purissimus est actus ? sed hæc alias refutanda erunt . Nobis sufficit , ostendisse , Achilleum hoc Pererii aliorumque argumentum , tribus pro possibili aeternitate Mundi cornibus instructum , elumbe plane esse ac nullum ; quod tanto prolixius egimus , quia nonnulli etiam ex Orthodoxis Philosophis aliquam huic argumento vim infesse existimarent atque existimant .

V I G E S M A,

D E

## SCIENT. DIVINÆ IMMVTAB.

## T H E S I S . I.

**V**isa multis est inexplicabilis difficultas, quomodo variatis ac mutatis rebus, que sciuntur à Deo, non varietur, non mutetur, ipsa Dei scientia: imo usque adeo hæc res torfit nonnullorum ingenia, ut multarum rerum scientiam Deo denegaverint nonnulli, alii conjecturalem tantum illarum notitiam ei adscriperint: nempe, solent isti homines Dei scientiam metiri intellectus sui decempeda, & ad instar scientiæ nostræ concipere. Quare opera judicavi pretium, ut hoc argumentum diligenter ventilaretur ac discuteretur. Hoc igitur est, quod queritur. *Vtrum scientia Dei sit omnino invariabilis & immutabilis, ita ut nec augeri nec immitti possit?* Non referam multorum hic aut Philosophorum aut Scholasticorum sententias: neque enim hoc nostri est moris; sed quod res est, dicam, confirmabo, & adversariorum exceptiones atque objectiones refutabo.

II. Non immorabor in scientia divina describenda, nec in ea, licet in se simplicissima, ratione tamen objectorum dividenda, sed ejus descriptionem & partitionem præsupponam. Ut questio proposita tanto felicius decidatur, certa ab incertis sunt distingueda: Scientia Dei considerari potest, vel *ut est res eadem cum essentia Dei*, & sic est invariabilis atque immutabilis, atque atque essentia divina, quam omnis variationis & mutationis expertem esse nunc supponimus, & demonstratum est satis ab Aquin. part. 1. Summ. Theol. quæst. 9. vel potest spectari scientia Dei, sub propria ratione scientiæ, sub qua respicit eas res que sciuntur quounque modo, in ordine (ut loquuntur Scholastici) ad scibilia: & sic scientia Dei distinguitur in scientiam simplicis intelligentiæ & in scientiam visio-

nis: huic subjiciunt res in certa temporis differentia, quæ vel sunt, vel fuerunt, vel erunt; illi subjiciunt omnia, quæ in cogitationem aut cognitionem mentis divine cadere possunt, id est, quibus non repugnat, sciri aut cognosci, siue fit ipse Deus, qui semet cognoscit, siue sint possibilia, id est, quæ neque actu existunt, neque extiterunt, neque ut sint extitura certo sunt definita, sed qua existere tamen possunt, siue sint impossibilia, id est, quæ existere nequeunt, ut contradictoria. Quod si loquamur de scientia simplici intelligentiæ, certissimum est, quod illa sit invariabilis omnino atque immutabilis, neque augeri possit, neque minui: nam si per eam Deus novit omnia, quæ ab ipso cognosci possunt, scilicet, alia extra se, possibilia, impossibilia, certe nihil potest esse quod non cognoverit: itaque non potest per hanc scientiam Deus scire plura vel pauciora quam scivit, neque aliquid de novo scire, quod prius non cognoverit, quia per eam novit, quicquid cognosci potest. Tota ergo difficultas est de scientia visionis, an illa possit augeri vel minui? Hanc difficultatem ut dirimamus, notandum venit, quod possimus loqui de scientia visionis dupliciter, vel in sensu composito, vel in sensu diviso. Si loquamur de scientia visionis in sensu composito, omnino illa quoque est invariabilis & immutabilis, expers omnis incrementi & decrementi: supposito enim, quod Deus ab æterno tot & talia producere statuerit ac decreverit, & non plura, non pauciora, non potest augeri illa scientia, qua cognoscit à se decreta & statuta, quæ visionis est: quia, supposita determinatione divina non possunt plura nec pauciora fieri, & per consequens, nec Deus potest pauciora nec plura scire, quia divina decreti de-

terminatio nec variari nec mutari potest.

III. Verum, ut hoc totum negotium clarrisime percipiatur simul ac probetur, observandum est, quod duplicitate possit aliqua scientia variari: uno modo ex parte rei cognitæ, altero ex parte cognoscentis. Ex parte rei cognitæ variatur scientia secundum veritatem & falsitatem, quando eodem judicio & eadem opinione manente res ipsa mutatur, tum iudicium illud erit falsum; quod prius erat verum: ut Petro currente, hoc iudicium est verum, Petrus currit, &c, illo non currente, est falsum. Ex parte cognoscentis, tripliciter potest variari scientia: primo modo, quoad scientiam ipsam: secundo, quoad modum sciendi: tertio, quoad actum sciendi. 1. Quoad scientiam ipsam variatio incidit in cognoscēte, quando vel de novo acquiritur, vel deperditur scientia alicuius objecti: ubi tum est vel incrementum vel decrementum scientiæ, quantum ad extensionem scibilium: nam scientia, quæ ad plura objecta se extendit, augetur: quæ ad pauciora, diminuitur. 2. Quoad modum cognoscendi variatur scientia, quando aliquid clarius & evidenter cognoscitur, quam antea cognoscēbat: quod quidem accidit, vel ex diversitate medii, quando illud, quod prius cognoscēbatur per medium probabile, postea cognoscitur per medium demonstrativum; vel ex vi & præstantia intellectus: nam qui acutiori pollet ingenio, is perfectius penetrat eandem conclusionem, quam aliud qui minus acuto est in genio. 3. Variatur scientia, quoad actum sciendi: quod contingit, vel quando quis actu considerat, quod prius non considerabat, vel quando procedit ab habitu ad actum, vel quando modo intelligit unum, postea aliud, vel quando ab uno discurrit ad aliud: hisce omnibus modis potest aliqua scientia variari, & quæ nullo istorum modorum mutatur, aut variatur, illa immutabilis est & invariabilis: jam assumo: atqui scientia visionis in sensu composito nullo ex ipsis modis potest variari aut mutari: quod speciatim per singulos modos eundo ostendo: non variatur ex parte rei cognitæ ex vera in falsam: nam cum divina cognitione feratur in res, quatenus sunt sibi pre-

fentes in æternitate, non potest variari ex parte rerum cognitarum, quia quamvis unque dispositionem habeat res cognita, necessarium semper est, ut ea sit præsens intellectui divino: scit enim Deus, quicquid est, pro quo cuncte tempore: sed nec potest variari scientia Dei, ex parte cognoscentis: non 1, quoad scientiam ipsam: nam non potest corrumpi scientia Dei, nec de novo acquiri, ut scientia nostra: quia nihil cognoscit per hanc scientiam nisi quod esse voluit in aliqua temporis differentia, & quæcunque determinavit pro certo tempore forent, ea scit: non 2, quoad modum sciendi: quia hæc variatio procedit, vel ex diversitate medii, vel ex vi intellectiva: sed Deus per unicum medium, quod est sua essentia, cognoscit omnia: vis etiam intellectiva in Deo est penetrantissima, ipsaq; Dei essentia, quæ invariabilis est: non 3, quoad actum sciendi, quia Deus nunquam est in potentia ad considerandum, quasi nunc actu consideret, quod prius non considerabat, neque est sciens in habitu sed in actu: scientia enim in habitu non est perfectissima, at talis est scientia Dei; nec intellectus divinus modo intelligit unum, postea aliud, nec ab uno discurrit ad aliud, sed omnia actu simul intelligit per unam & unicam speciem, quæ est sua essentia. Ergo concludimus, scientiam visionis in quantum est conjuncta cum voluntate divina, in sensu, ut ajunt, composito, nec augeri, nec minui: quia scit Deus, quicquid vult, immutabiliter vult, ita quicquid scit ex iis, quæ voluit, invariabiliter scit.

IV. Restat ergo tota difficultas, de scientia visionis in sensu diviso, id est, absolute & per se considerata, non in quantum subest divinæ ordinationi: in hoc sensu concedi potest, quod scientia visionis Dei possit augeri vel minui, quia Deus ab æterno potuisse plura vel pauciora velle atque ordinare, ut essent, & sic potuisse plura vel pauciora scire ab æterno: certe, si fatemur Deum plura vel pauciora facere aut decernere posse, quam fecit aut decrevit, quidni similiter dicamus, Deum plura scire posse, quam scit? & sic non male dicunt Scholastici, Deum aliquid scire posse, quod nec scit, nec

nec scivit, nec sciet unquam: quæ sane sunt verissima, in sensu divilio accepta: Profecto, non potest fieri, ut quod modo Deus cognoscit scientia visionis, postea incipiat non cognoscere, aut contra: sed vero potuit ab æterno non scire, quod nunc scit ab æterno, in sensu diviso, quia potuit ab æterno non velle aliquid, quod nunc voluit ab æterno, & potuit ab æterno velle facere aliquid, quod nunc ab æterno facere noluit, referendo illud (ab æterno) ad voluit & noluit. Nec est, quod hinc quispiam inferat, scientiam visionis in Deo augeri posse, vel minui, vel omnino mutari: hujusmodi enim sermo, in quo ponitur, augeri, minui, mutari, semper involvit sensum compositum, qui in praesenti negotio falsus est: nam cum dicis, scientiam Dei augeri, minui, vel mutari posse, sensum hunc effici, Deum quædam scire ab æterno, quibus postea quædam addi possint, in sciendo, aut detrahi, aut in quorum locum quædam possint succedere, sic nimis irum, ut plura vel pauciora sciat postea quam prius, aut omnino quædam sciat postea, quæ non prius, aut contra: unde sequeretur, quod inciperet Deus aliquando sci-re quæ non sciebat, vel non scire quæ sciebat: Atqui hoc absurdum est, & pugnans cum æterno Dei decreto de rebus in tempore producendis: teneamus ergo certissime, scientiam visionis hoc modo in sensu composito acceptam esse invariabilem & immutabilem, licet in sensu diviso, ut eum explicuimus, contra dici posset.

V. Sententia vera explicata & probata hoc supereft, ut Adversariorum objectiones præcipuas excutiamus, quod licet raro in thesibus conscribendis faciamus, nunc tamen unam atque alteram solvere placuit. Obj. 1. Objecta divinæ scientiæ sunt variabilitæ & de facto variantur: Ergo & ipsa Dei scientia est variabilis & de facto variatur ad variationem objectorum: Antecedens est manifestum, quia inter ea, quæ Deus scit, sunt libera & contingens: atqui hæc variatur. Ergo objecta &c. Consequentia probatur, quia si variatio objecto non variatur scientia, ergo scientia illa, quæ non mutatur, mutato objecto, erit falsa: v. c. Deus scit me nunc scribere:

itaque finita scriptura & me non scribente aut manet illa scientia Dei qua sciebat, & illud judicium quo judicabat, me scribere: aut non: si manent, ergo scientia & judicium Dei sunt falsa, quia nunc non scribo: si non manent, ergo scientia Dei est mutata & variata. Resp. 1. Objectum scientiæ divinæ primarium est essentia divina, in qua & per quam cognoscit omnia, quæ cum non possit variari, nec scientia Dei potest variari, et si objecta secundaria variantur. 2. Cum Deo sint omnia praesentia in sua æternitate, etiam si objecta secundaria variantur, scientia tamen Dei non variatur: Deus enim videt in sua æternitate, absque aliqua fui mutatione, me nunc scribere pro hoc tempore, & me non scribere pro tempore tali secuturo: & licet varietur scibile à parte rei, scientia tamen non variatur à parte Dei, quia eadem scientia cognoscit Deus hanc rem esse protali tempore & non esse pro alio tempore: & hoc bene est notandum, quod varietas & contingens rerum non variet, non mutet scientiam Dei, quia Deus sic novit omnia, ut quæ dicuntur præterita, apud Deum tamen scientem non sint præterita, &c, quæ dicuntur futura, à Deo tamen sciente non expectentur ut futura; sed vero & præterita & futura & praesentia, sunt cuncta praesentia Deo in æternitate sua: quæ æternitas adest cuilibet differentiæ temporis & coexistit semper omnibus, quæ sunt in quacunq; temporis differentia: & sic non aliter cognoscit Deus præterita aut futura quam praesentia, sed omnia simul æqualiter & sibi præsenter, et si illa quoad nos variantur & mutentur: ut rem similitudine illustrem, Sicut faber, antequam fabricet dominum, & postquam est fabricata, & postquam est destruta, habet semper eandem ideam dominus; Ita Deus non aliter cognoscit res antequam sunt creatæ, & postquam sunt creatæ, & postquam esse desierunt. Inst. Si Deus omnia sciat simul, quia omnia videt in sua essentia & in sua æternitate, ergo etiam cognoscit simul contradictoria: at hoc est absurdum. Ergo & illud. Prob. min. Contradictoria sunt opposita: at eorum uno posito, non ponitur alterum: ergo, qui scit unum oppositorum, nescit alterum, quia ambo simul stare nequeunt. Resp. K. 3. Scientia

scientia Dei potest esse oppositorum, sine oppositione & falsitate: quia quando dicimus, Deum scire opposita simul, non dicimus, quod Deus sciat duo opposita simul esse vera, quia hoc est impossibile, sed tantum dicimus, Deum apprehendere utrumque oppositorum, & judicare unum esse verum, alterum falso, vel unum esse possibile, alterum impossibile: hoc est, quod vocamus, Deum duo contradictiones scrire simul: deinde, aliud est, duo opposita aut contradictiones esse simul in rerum natura, quod est impossibile, sicut duo contrarii coloris non possunt esse in eadem parte parietis, & aliud, esse simul in scientia Dei, quod est possibile, non quia simul judicentur vera, sed quia simul apprehenduntur, & unum judicetur verum, alterum falso. Obj. 2. Deus ante Incarnationem scivit Christum nasciturum, & post Incarnationem scit illum non esse nascitum; nam scientia est verorum, & post Incarnationem non est verum, Christum esse nascitum, quia jam est natus, ergo potest Deus nescire quod scit, & contra potest scire, quod nescit: nam nunc scit Christum esse natum, quem ante Incarnationem natum nesciebat, & nunc scit, Antichristum nasciturum, & ipso nato, jam scit, non nasciturum, sed natum, quod ante nesciebat. Resp. negando consequentiam; quia Deus scit Christum nascitum pro tali tempore, quo erat nasciturus, ante Incarnationem; & nunc scit Christum esse natum pro tempore, quo est natus, & sic non dicitur aliquid nescire, quod sciebat, aut scire, quod nesciebat; quia licet post Christum natum Deus non sciat Christum nascitum pro hoc tempore, scit tamen Christum esse nascitum pro tempore, quo erat nasciturus: quia, cum aeternitas comprehendat omnes differentias temporis, Deus novit Christum nascitum pro tempore, quo erat nasciturus, & Christum natum pro tempore, quo est natus: & ista propositio, *Christus est nascitus*, vera est, pro tempore, quo erat nasciturus, & haec, *Christus est natus*, est etiam vera pro hoc tempore, quo est natus, quia omnia tempora sunt simul & praesentia Deo in aeternitate & aeterna Dei cognitione. Alias objections in ipso actu disputandi solvemus.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

## V I G E S I M A - P R I M A ,

D E

## S I M P L I C I T A T E D E I .

## T H E S I S I .

**D**E Simplicitate Dei disputaturi, non prolixo utemur apparatu, sed *ad hoc* arguimus quid per *simplitatem* intelligi debet obiter premittemus, ac tum statum controversiae figemus, & rem ipsam rationibus decidemus. *Simplicitatem* explicare solent Philosophi per negationem compositionis seu confituationis ex pluribus; hinc simplicitatem describunt per exclusionem distinctionis seu multitudinis, dicendo, quod sit *unitas carens multitudine plurium*: quae descriptio generatim sumta non satis est vera, nisi illa plura intelligi

gantur esse talia, que se habent per modum actus & potentiae: nam simplicitas non dicit in genere parentiam omnis multitudinis, neque excludit omnem aut distinctionem aut pluralitatem: exemplum est in ipso Deo, ubi sunt multæ, plures, ac distinctæ personæ, quæ personarum multitudo, pluralitas, ac distinctio, non officit divinæ simplicitati, quia non referuntur ad se invicem, nec ad essentiam divinam, ut actus & potentia, quod imprimis hic & alibi notandum est. *Simplicitas* ergo optime definitur *unitas* (est enim ejus quasi species) *carentis*

*carens omni multitudine plurium, quæ vel ad se invicem sese habent ut potentia ad actum, vel simul sunt in potentia ad totum quod actuant.* Ex eo autem, quod simplicitas explicetur per negationem compositionis, existimarunt plerique Philosophi simplicitatem de formali in sola negatione confidere. Vide præter alios *Suarezum Metaph. disp. 30. sect. 3. num. 3.* At vero, si nuda foret negatio simplicitas, nullam diceret perfectionem, nemudum ut diceret perfectionem simpliciter: at dicit perfectionem: nam compositio, quæ ei opponitur, dicit imperfectionem, ideoque à Deo removetur: Ergo simplicitas dicit perfectionem, ideoque Deo tribuitur: & certe, si tantum negatio sit simplicitas, quomodo inter Dei proprietates recenseri potest? mera negatio non est proprietas: his adde, quod unitas superaddat enti, non negationem, licet vox in divisionis, qua definitur, negationem sonet, sed modum positivum; ergo & simplicitas quæ unitatis quasi est species. *Quod Suarez loc. cit. excipiat*, Primo, non posse intelligi, quis sit ille modus, quem simplicitas addit enti, futile est: nam ab intellectu suo ad intellectum alterius nulla est consequentia: certe si possit intelligi modus positivus, quem unitas addit enti, quem infinitas addit Deo, quidni & hic, quem Simplicitas, vid. inter alia *c. 7. 11. 14. Metaph. I. 1. Burgersd.* *Quod objiciat secundo Suarez*, non posse simplicitatem dicere modum positivum, qua faceret compositionem cum entitate, cui adderetur, haud difficulter solvi potest; nam non facit compositionem cum quidditate cuius est modus, quia non est ei adæquate conditius, nec ad eam se habet, ut actus ad potentiam. *Quod tertio dicat Suarez*, compositio non addit modum compposito, ergo nec simplicitas rei simplici: ad id duobus modis responderi potest, vel negando antecedens, ac dicendo, quod compositione dicat modum intrinsecum ac positivum quidditatis quæ compofito dicitur, ut importet talem entis rationem, secundum quam ens conſtituitur ex actu & potentia; vel concedendo antecedens, & negando consequentiam, ac dicendo, quod compositione & simplicitas opponantur ut privatio & habitus, sicuti,

multitudo & unitas; at privatio negatio est; habitus dicit entitatem aut modum positivum: unde sequitur, posse simplicitatem formaliter constitui in modo positivo, licet in eo non item collocetur compositio.

I. Simplicitatis sic explicatae variae sunt differentiæ five modi, pro compositionum oppositarum varietate: hinc, quia alia est compositio ex materia & forma, alia ex partibus integrantibus, alia ex subiecto & accidente, alia ex genere & differentia, alia ex essentia & existentia, alia ex natura & subsistentia, totidem sunt modi simplicitatis, quorum singuli oppositas compositiones excludunt. Quælio nunc est, *an Deus hisce omnibus modis sit simplex?* Alii sic proponunt statum controversiæ, *An Deus nec in se sit compositus, nec possit intrare in compositionem alterius, nec possit aliud componi cum Deo?*

III. Nos *Deum simplicem afferimus*, compositum negamus: Argumenta quædam generalia sunt, quæ hoc probant; alia specialia, quæ hanc aut illam à Deo compositionem removent: *an omnem à nobis recensitam?* statim videbimus. Generalia argumenta satis sunt multa, quæ videre est apud *Scholasticos Commentatores*, in *Lombar. I. 1. Sent. dist. 8. & in Aquin. sum. Theol. p. 1. quest. 3.* Nos Dei Simplicitatem, ut à nobis est explicata, in genere deducimus ex ejusdem infinitate. Nullum infinitum est compositum ex aliis, nec componibile cum aliis: ergo simplex: at Deus est ens infinitum, quod nunc supponimus: major prob. *Quod est componibile cum alio*, caret ejus perfectione cum quo componitur, & consequenter perfectione totius, quæ conflatur ex perfectione extreimi componentis utriusque; at infinito nihil perfectionis deesse potest: compositum vero ex aliis, vel est compositum ex partibus infinite perfectis, quod est contra rationem & partis & infiniti, vel ex partibus finite perfectis; at ex pluribus finite perfectis non potest fieri ens infinite perfectum, sed tantum finitum quoddam determinatæ perfectionis pro determinata partium perfectione: at Deus est ens infinite perfectum: Ergo &c.

IV. Sed descendamus ad particulares compositiones

positionis modos. *Deum non componi ex materia & forma*, aliquot argumentis probat Aquin. loco. cit. quæ à Comment. fusius explicantur. Nos ex iis duo feligemus : 1. Quod est purus actus, non est compositum ex materia & forma. Deus est purus actus. Major est evidens, quia cum materia sit pura potentia ; illud sane quod componitur ex materia & forma non poterit esse purus actus, quia hic excludit quamcunque potentiam à sua ratione : Minor probatur. Quocunque nullam includit potentiam est purus actus. Deus nullam includit potentiam ; quia si aliquam includeret, deberet aliquid ab alio recipere : nam omnis potentia passiva est correlativa respectu potentiae activæ, à qua formam recipit, ad quam est in potentia : Deus autem nihil recipit, quia sic non esset primus motor, prima causa, adeoque ens primum, nec foret ens esse. 2. Quod habet materiam & formam, est bonum per participationem. At Deus non est bonus per participationem. Ergo. Major prob. quia quod habet materiam & formam, est bonum per id, quod materia ejus participet & recipiat formam, beneficio & efficacia alicujus causæ efficientis: consequenter est bonum per formam participatam. Minor prob. Deo nihil est prius: sed bono per participationem prius est bonum per essentiam. Ergo Deus non est bonus per participationem. Hicce duobus Thomæ argumentis addimus tertium. 3. Si Deus foret compositus ex materia & forma, corpus esset. At corpus non est : nam omne corpus est mobile, est circumscriptum loco. Deus nec est mobilis, nec circumscriptus loco. Ergo. Deinde, nullum corpus est infinitum. Deus est infinitus. Ergo : Hicce iisdem argumentis probatur, *Deum non esse compositum ex partibus integrantibus*: nam partes integrantes materiam sequuntur, qua negata & haec negantur.

V. Sed neque Deus est compositus ex subjecto & accidente, quod probari potest multis rationibus: nos paucas feligemus. 1. Subjectum se habet ad accidentem, ut potentia ad actum. Sed Deus non est ullo modo in potentia. Ergo neque subjectum est ullius accidentis. 2. Ens per accidens, hoc est, compositum ex subje-

cto & accidente, posterius est illo, quod est per se. Deo nihil est posterius, quia est ens primum. Ergo non est ens per accidens, hoc est compositum ex subjecto & accidente. 3. Omne accidens est vel materiale, vel spirituale : si materiale, recipitur in subjecto materiali & quantitativo; sed Deus non habet materiam, nec quantitatem, ex *ib. preced.* ergo non potest recipere accidens materiale : nec etiam spirituale, quia intellectio, & voluntio Dei seu decretum, est ejus substantia & ipse Deus. Ergo non potest in illo esse accidens.

V I. Sequitur *compositio ex genere & differentia* : quæ an in Deum cadat, paulo difficultius est explicatu, propter quæstionem aliam affinem, cui hæc innititur, hodie quam maxime agitatam, *an Deus sub aliquo genere sit, & in aliquo genere sit, & in aliquo praedicamento continetur?* Sed ut hoc negotium intelligatur, notandum est, rem aliquam eatenus dici compositam ex genere & differentia, quatenus genus & differentia ita inter se distinguuntur, ut gradus genericus secundum rationem suam possit inveniri separatus à differentiali illo, & inveniri conjunctus cum aliquo alio gradu differentiali in re aliqua alia : clarius loquar in exemplo. Animalitas ita distinguitur à rationalitate, ut animalitas possit separari à rationalitate in aliqua re alia quam est homo, quem cum rationalitate constituit, & conjungi cum alio gradu differentiali, sc. irrationalitate, in equo, aut bruto quovis : ac propter hanc generis & differentiæ distinctionem, dici potest homo compositus ex genere & differentia, etiamsi ponamus, in homine illos gradus non distinguiri realiter, quæ communis & recepta hodie est opinio. Atque hinc manifestum est eas solas res dici posse compositas ex genere & differentia, quæ sub aliquo genere continentur : nam si quid est, quod sub nullo genere continetur, id sane ex genere & differentia non fuerit compositum ; ut ipsum ens, v. c. quia sub nullo genere continetur secundum communissimam rationem, à nemine censetur esse compositum ex genere & differentia : hinc sic politis, ut decidi possit, *An Deus ex genere & differentia sit compositus?* Primum ea quæstio determinanda

nanda foret, *An Deus sub aliquo genere prædicamentorum, v. c. substantia, continetur?* Thomistæ, & hoc & illud negant; & nos cum iis: & sufficit ad id hæc una ratio, relictis aliis. Id, per quod constituitur species, habet se ad rationem generis, ut actus ad potentiam. Sed in Deo nulla est potentia. Ergo. Prob. maj. quia omne genus dicit potentiam perfectibilem per differentiam.

VII. Verum ulterius queritur, *an Deus sit compositus ex essentia & existentia?* Alii dicunt; *ex esse & essentia?* Resp. quod non. Ratio est. 1. Si Deus compонeretur ex essentia & existentia, essentia Dei foret in potentia ad existentiam, sicut omne perfectibile est in potentia ad perfectionem: sic enim se res habet in creaturis, quæ ex essentia componuntur, quia earum essentia est indifferens ad nō existere & non existere: at Dei essentia non est indifferens, nec in potentia ad nō existere & non existere. Ergo. 2. Si Deus non esset suum esse, i. e. si compонeretur ex essentia & existentia, Deus haberet existentiam seu esse causatum: si causatum, vel ab extrinseco, vel à principiis intrinsecis; nam illud esse est receptum, ergo ab aliquo: sed non potest illud existere causari à principio extrinseco, quia sic prima causa non amplius esset prima, neque ens à se & non factum, neque ens necessarium, &c. quæ sunt absurdæ: sed neque ab intrinsecis principiis causari potest nō esse seu existere Dei, quia nihil fibi potest esse causa existendi: illud enim, quod causat, debet esse & existere, antequam effectus fit, si causet in genere cause efficientis: ergo si esse aut existere, quod est in Deo, esset in eo causatum à principiis intrinsecis, præsupponerentur jam esse illa principia per aliud esse, & sic essent plures in Deo existentiae, quo nihil fungi potest ineptius, aut magis impium.

VIII. Quæritur postremo, *an Deus sit compositus ex natura & substantia?* Substantiam hic dicimus, quod alii vocant personalitatem, modum subsistendi, τρινομίων ἀρχῶν Græce, qui quidē triplex est in Deo, unde tres constituit personas. Has substantias revera ante omnem mentis operationem à natura & essentia divina, ut modos à re modificata, exi-

stimamus distingui, adeoque Deum vere ex natura & subsistentiis tribus componi: aliud enim est essentia, aliud modus essentiae: hæc tamen compositio simplicitatem Dei non evertit, quia extrema componentia, essentia & modus, natura & hypostasis, non se habent per modum potentiae & actus, sicut se quidem habent in rebus creatis, verum debent concipi essentia & modus subsistendi in Deo, natura divina & subsistentia ut duo actus perfecti, quorum neuter ab altero aut actuatur aut perficiatur: uti quidem fit in creaturis: ubi compositio ex essentia & modo non tantum simplicitatem evertit sed & imperfectionem importat, non tamen per se, quasi omnis compositio talis eam inferret, sed per accidens, quia modi superadditi creaturarum essentiis, vel mutabiles sunt, vel finiti, vel utrumque: at modi hi subsistendi in Deo, nec mutabiles nec finiti sunt: unde nullam imperfectionem inferunt. Si dicas præstare, ut dicamus essentiam divinam & modum subsistendi in Patre includi in persona Patris, non per modum compositionis, sed per modum ineffabilis unionis. Resp. 1. Nos in verbis & modo loquendi non esse difficiles, modo de re constet, & plus differre inter se naturam divinam & modum subsistendi, quam essentiam & existentiam, hoc est, ut Scholasticorum terminis efferam, essentiam & personalitatem, non sola ratione, sed ante omnem mentis operationem distingui. 2. Nihil hic esse periculi, licet vocabulo compositionis utamur, modo eam recte conciliemus (quod facimus) cum Dei simplicitate: certe, ubi licet uti voce distinctionis, quidni ibidem & compositionis? atqui hic omnes dicimus, naturam divinam & personalitatem Patris distingui, quidni ergo etiam dicamus Patrem ex natura divina & personalitate sua componi? Vide de hoc negotio egregie differentem Keckerm. Synt. Theol. l. 1. c. 4.

X. Exposuimus ita Dei simplicitatem, & quomodo, & quæ ei sit tribuenda: hoc superest, ut videamus, *an cum hac Dei simplicitate à nobis explicata stare possit pluralitas & distinctio attributorum in Deo?* Resp. quod sic. Nam in Deo multa quidem sunt attributa, sed quæ in se citra operationem mentis non sunt

funt distincta, verum distinguuntur solum modo ab essentia divina & inter se distinctione rationis ratiocinatae, ut fundamentum quidem distinctionis sit in Deo, distinctione tamen ipsa extra Deum in mente distinguente: quæ

rationis distinctione simplicitatem Dei, à nobis assertam non tollit. Hanc attributorum ab essentia divina & inter se distinctionem probaremus; sed charta non capit, & alias hoc fieri poterit.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

V I G E S I M A - S E C U N D A ,

D E

## P O T E N T I A D E I .

### T H E S I S I .

**R**eceptum est apud Scholasticos axiomà, ea, quæ in nobis diversa sunt, in Deo reperiiri unita: cum itaque tria concurrant ad operationes nostras, scientia, voluntas, potentia, quod cujuslibet artificis exemplo est manifestum, & illa tria in Deo sunt quærenda ac reperienda; non quod in Deo ista sint diversa, ut in nobis: sed quod illa in ipso secundum nostrum ordinem & modum intelligenti discernantur: Nimurum, scientia Dei intelligitur à nobis ut apprehendens, voluntas ut imperans, potentia ut exequens. Nos, missis scientia & voluntate Dei, de Potentia Dei quædam hac disputatione excutimus, exorsi à quaestione an sit.

11. Quando queritur, *an sit in Deo potentia?* primo videndum est, quid per potentiam hic intelligatur. Non intelligitur potestas, dominium, autoritas, *ἐξουσία*, sed vis & virtus producendi effectum, *δύναμις*. Solet autem ex *Arist. 5. Metaph.* potentia dividii in *activam* & *passivam*: illa ad agendum, hæc ad patiendum: seu recipiendum: nam quemadmodum actus est duplex, alius secundus, qui est operatio, & alius primus, qui est forma, operationis terminus ad quem, faltem inadæquatus & partialis; ita potentia alia est in ordine ad actum secundum, & dicitur *activa*, & alia in ordine ad actum primum, & dicitur *passiva*: *Activâ potentia* definitur *Arist. Prin-*

*cipium transmutationis* in alio quatenus aliud est: *Passiva*, *principium transmutationis* ab alio quatenus aliud: fed universalius potest utraque definiri. Nam vox *transmutationis* specialior videtur. Potentia activa, est principium *producendi* aliud, quatenus aliud est, ideoque hæc ordinatur ad influendum aliquid alteri, & non recipiendum aliquid in se. Potentia passiva, est principium *producendi* (*passive*) ab alio quatenus aliud est, adeoque hæc ordinatur ad aliquid recipiendum in se, & non ad influendum aliquid alteri. Iam vero queritur, *an in Deo reperiatur potentia, non passiva, sed activa?* Nam passiva potentia nullo modo in ipso reperiatur, quia dicit imperfectionem: quod enim est in potentia ad recipiendum aliquid ab alio, habet defectum illius, ad quod est in potentia: at Deus nullius habet defectum. Ergo. Sed activa est in Deo, quia illa de se imperfectionem non importat: unde, sicuti materia prima est pura potentia passiva, ut nullam habeat activam, quia est ens imperfectissimum, ita in Deo nulla est potentia passiva, omnis est activa, quia est ens perfectissimum.

111. Ceterum cum in Deo potentiam ponimus *activam*, & hoc bene est intelligendum, respectu cuius operationis ea in Deo ponatur: operatio enim alia est immanens, quæ recipiatur in eodem subiecto, à quo procedit, sicut intellectio, volitio; alia transiens, quæ recipiatur in subiecto alio, in quo est terminus ad quem

quem aut effectus, ut creatio, salvatio: non ponimus potentiam activam, quæ dicat ordinem ad actum immanentem, sed eam quæ dicit ordinem ad actum transuentem in exteriorem materiam vel objectum extra Deum: hic tamen notandum est, in Deo impropre poni actum transuentem. Nam omnis actio Dei est immanens, metaphorice tamen aliqua dicitur transiens, ratione effectus ad extra producti: sic creare, salvare, secundum rei veritatem sunt actiones immanentes: Deus intelligendo & volendo produxit mundum, & fecit omnia quæcumque voluit, sed tamen quia iste actiones extra se, id est, extra Deum, producunt suos effectus, dicuntur actiones transientes.

IV. Deo potentiam esse adscribendam activam, principium operationis transuentis, probat Aquinas 1. part. sum. Theol. quest. 25. quia Deus est ens in actu, imo purus actus, ac perfectissimus. At habere talen potentiam competit enti, quatenus est actu, & quatenus est perfectum: Ergo. Probatur minor. nisi ens sit actu, quomodo poterit in se habere principium operandi? & de perfectione entis nihil derogat hæc potentia activa, quia ex se nullam imperfectionem involvit, sed quod imperfectionem involvat, aliunde est: nempe, potentia activa imperfecta est. 1. quando completer per suum actum, sic imperfectæ sunt potentia activæ Angelorum, quia per operationes suam consequuntur perfectionem. 2. quando indiget subiecta materia, sic imperfectæ sunt potentia activæ corporalium agentium, ut artificum inter homines. 3. quando eam concomitant mutabilitas, ideoque omnis potentia creata agendi est imperfecta. 4. quando potentia, ut agat, debet egredi à substantia ejus in quo est, & approximari passo, sic potentia calefaciendi egreditur quasi extra se, & approximat passo, manui, dum eam calefacit. At Dei potentia activa non dependet à suo actu, sic ut per eum acquirat perfectionem, nec indiget materia ad agendum, nec mutabilis est, nec debet egredi ab eo & approximari passo, quia non distat à passo. Concludimus ergo, nihil detrahi perfectioni divinæ, quod in Deo ponatur potentia activa. Sed, dicet quis, omnis

potentia dicit imperfectionem, sicuti actus perfectionem. Resp. omnis potentia, quæ ab actu est distincta, dicit imperfectionem, & actus, qui est distinctus à potentia, perfectionem; sed in Deo potentia activa non est distincta ab actu, sed est semper in actu, & ipse actus, quia Deus est purus putas actus. Cum vero dicimus, potentiam Dei activam semper esse in actu, & esse suum actu, non hoc sic intelligendum est, quod potentia divina semper sit conjuncta suo actu, qui transit in materiam exteriorem, in objectum extra Deum, sed quod potentia divina semper sit conjuncta actu immanentis, divina intellecti, & volunti; non tamen semper est secutus à potentia divina effectus exterior: quia effectus ad extra procedunt à Deo secundum ordinem suæ sapientiæ & beneplacitum suæ voluntatis: unde, prout ab æternō per intellectum & voluntatem dispositus, ita in tempore producit res: sic ab æternō iudicavit & voluit creare mundum tali tempore. Nec hoc in imperfectionem infert in Deo; à potentia ejus activa, ab æternō conjuncta actu immanentis & interiori, in tempore exire actum transuentem & exteriorem, quia ille actus transiens & exterior tantum dicit relationem inter Deum ejusque potentiam & effectum extra se, quæ relatio, ut nihil perfectionis adfert, ita nihil auferit: ideoque, potentia divina, eadem cum suo actu interiori & immanentis, nihil plus perfectionis habet, quando agit extra se, quam quando non agit, quia agendo extra se nihil perfectionis aequiritur à Deo, sed ponitur tantum nova relatio, inter divinam potentiam aeternam, eandem cum Deo ejusque intellectu ac voluntate, ceterisque attributis, & id quod fit & existit post extra Deum: relatio vero non perficit subiectum cui advenit: si contingat relationem interdum perficere suum subiectum, id est per accidentis & ratione fundamenti.

V. De hac potentia activa Dei queritur, an sit infinita? seu sub alio termino, an sit omnipotencia? Eam esse infinitam & omnipotentiam probat Aquin. quest. cit. art. 2. & 3. quia esse Dei est infinitum: vis argumenti nititur eo, quod Deus agat per efficientiam: quanto autem perfectiori modo est in aliquo

aliquo agente forma per quam agit , tanto est major ejus potentia agendo : at essentia Dei est infinita : Ergo & potentia : Unde & *omnipotentia* dicitur. Cæterum universalitas illa potentie , nomine omnipotentie significata , non eodem modo ab omnibus explicatur. Nos acquiescimus in explicatione facta ab Aquin. loc. cit. Deum hac ratione omnipotentem dici , quatenus omnia possibilia seu factibilia potest. Potentia enim activa ad agibile , factibile , possibile ( quæ tria nobis idem significant ) tanquam ad proprium suum objectum refertur. Potentia vero extra objectum suum non abit. Sicut autem potentia Dei activa , absoluta , infinita , & illimitata est , ita possibile , quod illi potentiae subjicitur , intelligendum est possibile absolute , sine ulla restrictione aut limitatione : cuiusmodi est omne illud , quod non implicat contradictionem , si fiat : Quæ enim hujusmodi sunt , ut contradictionem implicit , si dicantur fieri , rectius dicuntur non posse fieri , quam quod Deus ea non posset facere ; qui modus loquendi de Deo multo est modestior , & ab ipso Aquin. loc. cit. observatur : Nam quod est simpliciter & absolute impossibile , nullo modo fieri potest , non tam propter defectum potentie in Deo , quam propter defectum ipsius rei , quæ contradictionem involvit : & potentia Dei est infinita , atque omnipotens , ideoque continet in se perfectionem omnium potentiarum cuiuslibet creature : ideoque nihil concipi potest , ad quod sese non extendat divina potentia , quantum ex se : sed si aliquid non facit , non est , quia non possit , sed vel quia non vult , vel quia non decet , vel quia non est factibile , repugnatque fieri ex parte ipsius rei , adeoque est impossibile.

VII. Cæterum *impossibile* , ut colligere licet ex Arist. 5. Met. 17. dicitur duobus modis : uno modo , *simpliciter* : altero , *secundum quid*. Impossibile simpliciter est illud , quod nec à Deo nec ab ullo agente potest produci aut fieri. Impossibile secundum quid est , quod ab agente naturali non potest produci aut fieri : utrumque distingui solet in *impossibile incomplexum* , ut chimara , & *complexum* , ut , homo est equus , virgo parit. Alii distinguunt n̄

impossibile quadrupliciter. Est *impossibile secundum naturam* , cujusmodi est illud , quod non potest fieri nec esse per naturam , licet possit esse per agens supernaturale , ut , virginem parere , cæcum videre &c. 2. Est *impossibile per intellectum nostrum* , quod non potest capi vel intelligi ab intellectu nostro , sic impossibilita sunt illa , quæ non capit intellectus nisi illustratus fide. 3. Est *impossibile secundum tempus* , ut , quod præteritum non fuerit ; quod & *impossibile* vocant *per accidentem* , quia accidit , Petrum non cucurisse , esse impossibile , ex eo quod præterit jam cursus : Nam licet cursus in se sit actus contingens ; cum præterit , quia præterit , fit necessarius , & impossibilis ut non præterierit : & sic dicitur *impossibile secundum accidentem* , quia accidit illi cursus , esse præteritum. 4. Est *impossibile secundum disciplinam* , quia est contra aliquod primum principium alicujus disciplinæ : sic impossibile est , ut duo contradictoria sint simul vera , ut duo contraria sint simul in eodem subiecto , quia sunt contra illud principium ; *Quodlibet est vel non est* , aut , *Idem non potest esse & non esse*. De hisce quatuor speciebus impossibilium nunc videndum est distincte.

VII. §. 1. *Quodcunque est impossibile secundum naturam* , illud est possibile Deo. Probatur. Quia potentia Dei est infinita : potentia vero naturalis finita : ergo potest Deus facere id , quod est impossibile agenti naturali. Ut vero accurate cognoscatur , quantum differat potentia Dei infinita , & potentia creaturæ finita , observetur , quantum differat divinum esse ab esse creato : cum enim posse presupponat esse , & omne agens agat in quantum est in actu , hinc optime judicatur de potentia ex essentia : esse vero Dei differt ab esse creaturæ , 1. Quia esse Dei non est contractum ad genus , neque ad speciem aliquam : at esse creaturæ quam maxime : 2. Esse divinum est illimitatum & infinitum : esse creaturæ est finitum & limitatum : 3. Esse divinum est quoddam esse universale in quo continetur omne esse , & in quo reservatur quasi omnis ratio essendi : in omni autem alio esse creaturæ est tantum unus modus particularis essendi , ut in homine est esse hominis , non Angeli : at in Deo est omne esse .

esse: 4. *Esse divinum est esse purum: esse creatura non est esse purum sed mixtum cum non esse, quia creatura quelibet facta est ex nihilo, & de se, nisi a Deo conservetur, tendit in nihilum.* Ex hisce de differentia potentiae, tum divinae, tum creature, judicium fieri potest. 1. *Dei potentia non est determinata ad hunc vel illum effectum, sed extendit se ad omnem effectum, qui sub potentiam activam cadit;* at potentia creature determinata est. 2. *Potentia divina quia est infinita, potest operari in instanti; potentia creature non item.* 3. *Potentia divina talis est, ut ab ea dependeat omnis potentia creature in operando; at illa non dependet ab hac.* 4. *Potentia divina potest agere nullo presupposito subiecto: at non potest hoc potentia creature.* Atque hinc concludimus, multa esse possibilia Deo, quae sunt impossibilia naturae. *Potest Deus producere omnia quae vult, potest operari sine ordine causarum secundarum; potest operari nullo presupposito subiecto;* at haec impossibilia sunt omnia naturae.

VIII. §. 2. *Impossibile secundum intellectum nostrum Deo est possibile.* Probatur. Quia cum intellectus divinus sit infinitus, noster intellectus sit finitus, potest facere omnia quae ipse

intelligit esse possibilia, & non tantum, quae nos intelligimus esse possibilia: at Deus longe plura intelligit possibilia, quam nos. Ergo longe plura potest facere, quam nos intelligimus: & manifestum est in rebus fidei, quas Deus potest facere, nos tamen non possumus intelligere.

I X. §. 3. *Impossible secundum tempus seu per accidens ratione præteritionis est Deo prorsus impossibile:* quia per nullam potentiam potest fieri, ut præteritum non sit præteritum. Probatur. Omne implicans contradictionem non potest a Deo fieri: sed præteritum non fuisset præteritum implicat contradictionem: quia idem pro eodem tempore fuisset & non fuisset. Ergo, præteritum non fuisset præteritum, impossibile est Deo.

X. §. 4. *Impossible secundum disciplinam est etiam Deo impossibile.* Probatur. Quia si Deus faceret duo contradictionia simul esse vera, vel duo contraria convenire eidem subiecto, contradiceret sua veritati & sapientiae, qua ordinavit, ut idem non posset esse & non esse simul, ut idem non possit simul esse album & nigrum. At Deus sibi esse contrarius aut contradicere non potest. Ergo &c.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

#### VIGESIMA TERTIA,

DE

## VOLVNTATE DEI

#### THEISIS I.

**D**E voluntate Dei theses ad disputandum proposituri, ante omnia vocis ambiguitatem removebimus. *Voluntas Dei* interdum significat *beneplacitum* ejus æternum, interdum *signum* *beneplaciti* divini & eterni; sicuti in vulgari usu loquendi testamentum solemus vocare ultimam alicujus voluntatem, quia signum est voluntatis ejus: hic posterior sensus a nobis relegatur. Priori sensu in Deo esse voluntatem, sic probamus. Quod est ens infinite perfectum, in eo sunt formaliter

perfectiones omnes, quæ in latitudine entis sunt perfectiones simpliciter simplices, nullam in sui ratione includentes imperfectionem. Sed Deus est ens infinite perfectum, voluntas est perfectio simpliciter. Ergo voluntas est in Deo. Minor probatur. Nam voluntatis nomine intelligimus inclinationem ac propensionem quandam in omne bonum, quod intellectu concipi potest, quæ ratio voluntatis nullam ex se imperfectionem includit.

II. Verum enim vero cum voluntas interdum significet actum volendi, interdum substantiam volentem, hoc tertio sensu voluntatem Deo adscribimus; non enim potentia est, non operatio, distincta à Dei substantia, sed est ipsa ejus essentia, & velle est ipsius esse, propter summam Dei simplicitatem, qua fit, ut, quicquid in Deo est, sit ipse Deus. Si enim voluntas in Deo se haberet per modum potentiae, & velle per modum actionis, daretur in Deo compositio ex subiecto & accidente, quod est absurdum: præterea, cum velle sit perfectio volentis, & voluntas sit perfectio Dei, si voluntas foret potentia, & velle actio, Deus acciperet suam perfectionem ab aliquo extrinseco, quod æque est absurdum. Interim, licet in Deo idem sit essentia & voluntas, esset & velle divinum, voluntas tamen habitudinem aliquam connotat & respectum ad objectum, essentia non item: Unde est, quod formaliter seu ratione ratiocinata, ut barbare loqui solent Scholastici, saltem distinguantur. Sed ut voluntatis divina ratio sit clarior, non nihil de ejus objecto agendum est.

III. Objectum voluntatis divinae est, vel primarium, principale, immediatum, quod est ipse Deus & sua bonitas; vel secundarium, minus principale, mediatum, quod est creatura. Primum dicitur per se volitum, quia Deus & bonitas divina est objectum adæquatum & primo volitum ab ejus voluntate: alia vero à Deo sunt volita ratione divinae bonitatis propter se: omnia enim alia à se vult propter suam divinam bonitatem: & quandoquidem objectum aliud est terminatum, aliud motivum & terminativum: divina bonitas est objectum motivum & terminativum ipsius voluntatis: creatura est objectum, non motivum, sed terminativum tantum, & quidem secundario: solum enim movetur divina voluntas à sua bonitate, quæ est ejus essentia; creatura autem non potest movere voluntatem divinam, potest tamen secundario terminare ejus voluntem.

IV. Sed scrupulus hic est removendus. Si Deus vult alia à se, volet plura, & quidem ut plura: at hoc videtur repugnare unitati & simplicitati voluntatis divinae. Ergo tantum vult

suam bonitatem, non alia à se. Resp. Cum Deus vult alia à se, in quantum vult bonitatem suam, hoc modo comparantur alia ad voluntem Dei, quo modo comprehenduntur ab eis bonitate: sed omnia continentur in bonitate ejus ut unum cum ipsa: ergo etiam uno &unico actu, volendo bonitatem suam, vult etiam alia à se: & sic voluntas potest plura velle sine præjudicio sue simplicitatis, quia omnia illa vult, quatenus sunt unum cum bonitate divina: ipsa enim bonitas Dei est exemplar & representatio omnis bonitatis in creaturis & aliis à se: quemadmodum unitas, quæ est simplicissima, est principium multorum numerorum, qui ab ipsa procedunt, ita bonitas divina principium est simul & finis omnium bonorum aliorum, ad quæ terminatur secundario voluntas Dei, quatenus vult bonitatem suam in qua continentur, ita ut uno actu & se velit Deus & alia à se.

V. Præter objectum ad voluntatis divinae rationem intelligendam multum contulerit, ejus actus exposuisse, & modum, quo vult se & alia. Actus voluntatis divinae sunt velle & nolle. Velle & nolle Dei cum versantur circa res existentes, velle Dei est amare, & nolle Dei est odire, cum versantur circa res futuras, velle Dei est decernere ut quid fiat, nolle Dei est decernere ut quid non fiat: quo sensu Theologis, eligere, significat in Deo, decernere alicui salutem conferendam, reprobare, decernere alicui salutem non conferendam. Non velle & non nolle in Deo proprio non est, quia Deus est purus actus, expers potentiae & negationis, quæ utraque in eo ponetur, si in eo ponatur non velle, non nolle, negative utrumque. Velle Dei, in quantum significat decernere, ut quid fiat, est vel effectivum vel permisivum. Velle Dei effectivum est, decernere ut aliquid fiat, Deo id efficiente aut coëfficiente: velle Dei permisivum est, decernere ut aliquid fiat Deo permittente: Vtrumque velle est efficax: sed cum discrimine. Velle Dei effectivum ita est efficax, ut simul sit vere causa ejus quod fit: at velle Dei permisivum ita est efficax, ut non sit vere causa ejus quod fit, sed antecedens, ex quo tamen necessario atque efficaciter sequitur id quod fit. Modus, quo Deus vult

vult se & alia, est vel *necessitas*, vel *libertas*: quædam enim *necessario*, quædam *libere vult*, *pro varia ratione objecti*, quod vult, & actus, quo vult.

V I. §. 1. *Deus vult*, i. e. amat, *seipsum & suam bonitatem necessario*, ut non possit non se amare & velle. Probatur. 1. Omne quod est, *necessario ac naturaliter diligit suum esse*. Ergo & Deus, qui maxime est ac non potest non esse. 2. *Quælibet potentia necessitatur respectu proprii objecti*, si perfecte applicetur, non tantum quoad specificationem, sed & quoad exercitium: sic visus necessitatur ad videndum colorem recte applicatum recipiendo speciem ab illo: & intellectus quantum ad operationem primam necessitatur recipiendo speciem ab objecto: & voluntas beatorum necessitatur ad amandum Deum, quia in eo est omnis ratio boni. Ergo multo magis necessitatur voluntas Dei ad amandum seipsum. §. 2. *Deus vult*, i. e. amat, *necessario creaturam suam, in quantum existit, & ad imaginem Dei est expressa, & participat ejus beatitudinem*: in tantum enim nulla est, in creatura ut tali, ratio mali. At in quo nulla est ratio mali, illud Deus amat *necessario*.

V II. §. 3. *Deus vult*, i. e. decernit, non *seipsum, sed alia à se, idque libere*: non versatur circa seipsum, volendo, i. e. decernendo, quia ipse nunquam est futurus, sed semper est: at circa alia à se, volendo, i. e. decernendo occupatur, quia illa aliquando sunt aut fuerunt futura. Vult hæc, i. e. decernit, libere. Probatur. 1. Quæ cadunt sub voluntatem ut media propter aliquid finem, qui sine illis mediis obtineri potest, non cadunt sub voluntatem necessario, i. e. circa ea non versatur volendo voluntas necessario. Atqui alia à Deo sic cadunt sub divinam voluntatem. E. non cadunt sub eam necessario, i. e. circa ea non versatur volendo voluntas necessario. Major probatur exemplis. Ideo non *necessario volumus equum ad iter*, quia illud confidere possumus sine equo. Minor probatur. Nam Deus vult alia omnia propter se ut finem, qui tamen non pendet ex rebus aliis, cum nihil perfectionis Deo ex aliis à se volitis accedit. 2. Si Deus *necessario vellet*, i. e. decerneret alia à se, nul-

la redderentur gratiae Deo propter beneficium creationis, quia necessario creasset nos & non libere: sicut nullas reddimus gratias Deo, quod genererit Filium, aut spiraverit Spiritum sanctum.

V III. §. 4. *Deus omnia alia à se que vult*, i. e. decernit, *immutabiliter vult*, i. e. decernit. Sensus est. In voluntate divina non est potentia ad opposita in sensu composito: id est, postquam ab æterno voluit Deus aliquid futurum pro tali tempore, non potest velle illud pro tali tempore non futurum: si enim possit velle illud non futurum pro eo tempore, pro quo tempore illud futurum voluit, possit aliter se habere, i. e. possit mutari. At Deus mutari non potest. Ergo. At si potentiam ad opposita fumas in sensu diviso, antequam voluntas concipiatur conjuncta cum altero oppositorum, sic vere libera est & actu suo volendi potest versari circa illud vel aliud objectum, nihilque derogatur divinæ immutabilitati, qua tum demum violatur, si postquam voluit ac decretivit id rescindat: sed afferitur summa Dei libertas, amplitudo, potestas, per illam potentiam volendi opposita divisim.

V X. §. 5. *Deus vult*, i. e. decernit *voluntate effectiva omne bonum creature*, se vel efficiente vel coefficiente: imo sic etiam vult mala pœnae, in quantum ipse multa sepe operatur, quæ cedunt in pœnam peccatorum. At voluntate permissiva vult malum culpa, vel simpliciter, vel etiam, quando illud simul est pena, & cedit in punitionem peccatorum: Neque sic quicquam Deo adscribitur, quod non sit dignum. Nam quandoquidem permittat peccatum fieri, haud dubie volens permittit; cur non licet ergo dicere, Deum velle hoc fieri, quod permittit; quod non permetteret, si fieri non vellet? si vult fieri quod præcipit, quidni & fieri velit id quod permittit? cum tam sit signum voluntatis divinæ permissione quam præceptio, & sepius eveniant ea quæ Deus permettit, quam ea quæ præcipit. Et, quodcumque Deus tanquam medium usurpat fini obtinendo conducibile, illud recte dicitur velle ut fiat. Sed malum culpæ Deus tanquam medium usurpat fini obtinendo conducibile, manifestandæ gloriæ justitiae suæ & misericordiæ.

Cordicæ. Ergo malum culpæ recte dicitur vel le ut fiat; sive sit malum culpæ simpliciter, sive simul sit malum pœnae.

X. Quæri hic potest non inutiliter, *An voluntatis, id est, voluntis divinae detur aliqua causa?* Ab hujus questionis decisione gravissimæ dependent quæstiones Theologicae, ut, *An fides vel merita prævisa sint causa electionis, An peccatum sit causa reprobationis?* Quare prudenter decidi debet. In homine quidem voluntas una est causa alterius, loquendo de actu voluntatis: sicuti voluntas, qua sanitatem volumus, est causa voluntatis, qua adire medicum & remedia querere volumus. At in Deo non sunt plures actus volendi, quorum unus sit causa alterius, sed Deus unica voluntate, seu una & simplicissima volitione, vult omnia, quæcumque vult, qui tamen unus volendi actus pluribus actibus distinctis sequivalet ob summam & infinitam suam perfectionem: & sic sapienter & convenienter unumquodque, finem & media, vult Deus illo uno actu, quatenus unumquodque habet ordinem ad aliud, ut media ad finem, quæ alio atque alio ac distinto actu vult homo. Neque est, quod quis existimet voluntatem Dei fore irrationalem, si nulla ejus sit causa, & unico actu velit & finem & media: Nam quodcumque vult, vult ex rationali & sapienti confilio suo; & volendo, rem unam tanquam medium in rem aliam tanquam finem ordinat; finis autem ratio est mediorum: & vult se & alia à se, se ut finem & rationem aliorum volitorum, & alia volita volendo ad se ordinat: omnia enim facit propter seipsum. Quare voluntas ejus, et si causam non habeat, irrationalis tamen non est. Et quam haberet causam voluntas Dei? an efficientem? an finalem? At ipse rerum omnium causa efficiens est prima & finis ultimus. Dices: *An non vere dicitur, Deus fecit hoc propter illud?* Ergo & vere dicitur, *Deus voluit hoc propter illud?* & in universum, *Quicquid facit Deus, facere voluit;* ergo quando unum facit propter aliud, etiam unum propter aliud facere voluit. Resp. Quid inde? concedimus & rem & phrasin. Perges. Ergo dabitur causa ac ratio voluntatis divine. Resp. Negamus hoc sequi. Inferunt

istæ phrases causam & rationem facti seu rei volitæ, cur ex rebus faciendis & volitis unum fiat propter aliud, sed non significant causam & rationem voluntatis aut volitionis divinæ. Et accurassime ac prudenter hæc duo distinguunt Aquinas 1. part. sum. Theol. quæst. 19. art. 5. *Vult Deus hoc esse propter hoc, quod verum, & Deus hoc vult propter hoc, quod falsum est.* Et hæc propositio, *Deus vult hoc, quia vult aliud,* in rigore sermonis falsa est, nam ipsius voluntatis seu volitionis divinæ causam aliquam significare videtur: quippe nullum aliud verbum exprimitur ad quod causalitas significata per particulam *quia referri posit.* At hæc, *Deus vult hoc esse propter hoc, vult hoc facere aut fieri propter hoc,* vera est, quia aliud exprimitur verbum ad quod causalitas significata in vocula *propter* referri potest: ut si dixerim, *Deus voluit mundum creare, quia voluit suam bonitatem alias communicare, aut propter sue bonitatis communicationem, Deus voluit ei salutem, aut propter salutem,* non hic sensus est, quod Deus voluerit quia voluit, quasi unum velle in Deo sit causa alterius, sed quod uno eodemque volendi actu voluerit hoc esse propter finem. Et sic optime notat Cajetanus in art. 5. quæst. 19. 1. p. sum. Aquin. discrimen inter hæc quatuor. *Hoc est propter illud. Deus vult hoc esse propter illud.* Hoc est volitum à Deo propter illud aliud volitum ab eodem. *Deus vult hoc quia vult illud aliud.* Primum verum est, quia tantum designat ordinem rerum; item secundum, quia significat Deum velle illum rerum ordinem: tertium & quartum, si significant unam Dei volitionem secundum rem esse causam alterius volitionis, ut ab alia volitione dicatur Deus velle hoc, ab alia illud, utrumque falsum est: at si tantum significant Deum non velle hoc nisi volendo simul illud aliud tanquam voliti prioris causam, & hoc non esse volitum à Deo nisi quatenus aliud etiam est volitum tanquam hujus voliti causa, sed utrumque eadem volitione volitum, verissima sunt. Quare concludo. *Voluntas divina caret causa, non solum ut est Deus, sed ut est volitus, actus volendi attingens volitum:* maleque dicetur, quod attingentia voluntatis divinæ activa respectu unius voliti sit causa attingentie activæ

activæ respectu alterius voliti : at, quod attin- | quia hoc dicit, esse volitum unius causari ex esse  
gentia passivæ alterius voliti , tolerari potest, | volito alterius . Sed de voluntate Dei satis.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

## VIGESIMA-QUARTA,

DE

## VOLUNTATE DEI.

## THEISIS I.

**D**E Voluntate Dei, an sit, & quodnam ejus sit objectum, & quinam ejus sint actus, & quis modus, quo per actus in objectum suum tendit, denique an in volendo ab aliqua causa extra se pendeat, visum est atque explicatum disputatione superiori : atque ea omnia intelligi de Voluntate beneplaciti, ibidem est dictum. Nunc questiones quasdam, quæ disputationi solent à Metaphysicis & Scholasticis non inutiliter, movebimus ac decidemus circa Dei voluntatem, & ea, quæ præced. disp. sunt proposita.

II. §. 1. Quæritur, An velle alia à se, seu quod idem est, communicare se aliis, importet in Deo perfectionem aliquam? ita quidem existimavit Cajetanus in pr. part. sum. Thom. Aquin. quest. 19. art. 2. Sed jure merito rejicitur è Scholasticis aliis, cum quibus & nos facimus, ac rem sic explicamus: velle alia à se, aut potest considerari quoad actum intrinsecum voluntatis divinae, & sic, velle alia à se, est ipsa essentia divina, quia ille actus intrinsecus voluntatis divinae, quo vult alia à se, est ipse Deus; & sic certum est, quod, Deum velle alia à se, dicat infinitam perfectionem. Aut potest considerari, nō velle alia à se, quoad objectum, quod connotat; velle enim alia, connotat habitudinem & respectum ad alia ista, objecta volita: & sic, velle alia à se, non dicit perfectionem in Deo; sed neque imperfectionem; quia illa habitudo & respectus est tantum in Deo relatio, (sive realis, ut quibusdam, sive rationis, ut plerisque placet) quæ formaliter abstrahit à perfectione & imperfectione. Res sic se habet. Deus vult creaturem

vero & reali actu voluntatis suæ, qui actus est perfectissimus, quia est ipse Deus, terminatur tamen iste actus Dei ad creaturas seipso absque additione novæ perfectionis facta ad Deum; nam et si non terminaretur ad creaturas sed tantum ad Deum, id est, et si Deus non alia à se sed se tantum vellet, nihilominus esset perfectissimus: Nam hic actus, sive extendatur ad objecta aliqua extrinseca extra Deum, sive non, ideo nec magis nec minus est in se perfectus, quia ille actus sumptus in se, ut prior in signo rationis tali extensione, habet omnem perfectionem possibilem sufficientem ad objectum quocunque volendum: unde, quod in secundo rationis signo apprehendatur terminatus ad hoc vel illud objectum, non id est per additio nem alienus in illo actus sed per additionem objectorum: quod illustrari potest à simili: ut, fingamus visionem sufficientem ad videndum quocunque objecta sibi presentata sine dependentia ab illis; talis visio potest extendi ad plura vel pauciora objecta, per additionem & mutationem objectorum, sine ulla additione aut mutatione sui: similiter se res habet in volitione divina rerum extra Deum. Difficilius id quidem est conceptu, quia perfecte à nobis declarari nequit: sed tamen ita se res habet. Cajetanus distinguit inter perfectiones Dei necessarias ac naturales & liberas ac voluntarias: illas Deo non accedere, hasce accedere posse, ait: & velle alia à se, seu, communicare se creaturis, afferit esse posterioris generis perfectionem, quam vocat perfectionem secundū quid & diminutam, ut priorem dicit perfectionem simpliciter & absolute: M. sed

sed vero, sicuti nulla perfectio deficit Deo ab eterno, ita nulla ei de novo advenit, sive sit necessaria, sive libera, sive naturalis, sive voluntaria, sive simpliciter & absolute, sive secundum quid & diminuta sit, quia Deus est infinite perfectus. Et ita perfectio libera Dei, quam vocat *Cajetanus* diminutam, vel est infinita vel non; si non, quomodo est in Deo? si est, quomodo potest de novo accedere? Et distinctione ista nulla est: nam inferam ex hac distinctione; Virtutes, quas habet homo, non esse perfectiones simpliciter, sed diminutas, quia sunt liberæ & voluntariae. At absurdum est consequens. Ergo & antecedens.

III. §. 2. Quæritur, *An voluntas Dei imponat rebus volitis necessitatem?* Hæc questio duodus modis intelligi potest: uno quidem modo sic: *An eo ipso, quo res sunt aut proveniunt à Dei voluntate, necessariæ sint seu necessario eveniant?* Atque hoc negamus: neque enim sequitur res esse aut fieri necessario necessitate absoluta (de qua hic est sermo) quod Deus eas esse vel fieri velit: tametsi necessaria sit consequentia à voluntate Dei ad rem volitam, eo quod voluntas Dei frustrari non posset: sed hæc hypothetica seu conditionalis tantum est rerum necessitas ac consequentiae, non absoluta, non consequentis. Altero modo sensus est: *An Dei voluntas causet necessitatem in omnibus vel in aliquibus rebus volitis?* Atque hic respondemus, Dei voluntatem quibusdam rebus necessitatem imponere, non tamen omnibus: rerum enim à Deo volitarum quædam sunt necessariae, quædam contingentes. Sed quæritur hujus diversitatis ratio ac causa: Sunt ex *Metaphysicis* & *Scholasticis*, qui eam derivare conantur ex ipsis creaturis: at pessime: nam si distinctione contingentium à necessariis referatur solum in causas secundas, sequetur hoc discrimen esse præter intentionem & voluntatem Dei: At hoc absurdum. Nos ergo rationem discriminis petendam esse ducimus ex ipsius divinae voluntatis efficacia, à qua tanquam à causa non tantum est, quod ea fiant & sint quæ Deus fieri & esse vult, sed & quod eo modo fiant ac sint quo modo ea fieri & esse Deus vult: vult autem Deus, ut diversis rerum gra-

dibus universum compleatur, quædam in creaturis evenire necessario, quædam contingenter: ideoque quibusdam quoque effectibus providit atque aptavit causas necessarias, id est, indefectibiles in cauando, ex quibus effectus sequuntur necessario; quibusdam vero effectibus providit & aptavit causas contingentes, id est, defectibiles & impedibiles, ex quibus effectus contingenter proveniunt. Et sic patet, non ideo effectus à Deo volitos esse vel necessarios vel contingentes, quia causæ secundæ sint tales, sed contra, Deum, quia voluit quosdam effectus contingenter evenire, quosdam necessario, causas iis præparasse secundas, vel contingentes, vel necessarias, ut tota diversitas ratio, omnisque in creaturis vel necessitatibus vel contingentiæ radix atque origo, in solam Dei voluntatem efficacissimam referenda sit.

IV. §. 3. Quæritur, *An voluntas signi semper conformetur cum voluntate beneplaciti.* Resp. Interdum Deus vult aliquid voluntate signi quod etiam vult voluntate beneplaciti, ut utraque impletatur: interdum non item, ut voluntas quidem beneplaciti impletatur, quæ semper impletur, sed non item voluntas signi: sic voluntate signi voluit ut Abrahamus immolaret Isaacum, ut Pharao aliquoties monitus dimitteret populum: jussit enim utrumque: at neutrobiique fuit hæc voluntas Dei impleta: voluntate beneplaciti voluit, ne Isaac immolaretur, ne Pharao Iraëlem dimitteret; haec utrimque impleta est; quod ex eventu liquet: nam & efficaciter ipse Deus immolationem Isaaci impeditivit, & Pharaonis cor aliquoties obduravit ne dimitteret. Sic prohibuit voluntate signi homicidium, voluit tamen filium suum occidi à Judais Deus: neque tamen hic ulla est contradicitione inter voluntates divinas: Nam voluntas signi, improprie dicitur voluntas: est enim tantum preceptum quo significat Deus quid sit nostri officii, quid à nobis fieri velit vel omitti: at voluntas beneplaciti simpliciter & proprie est voluntas, qua decrevit quid futurum sit, se vel effidente vel permittente.

V. §. 4. Sed hic nova exoritur quæstio ex iam dictis. *Quare Deus voluntate signi præcipiat*

piat ea fieriti que voluntate beneplaciti ne fierent decrevit ac voluit? & contra, quare voluntate signi prohibuit fieri, que fieri voluntate beneplaciti voluit ac decrevit. Resp. Ratio, quare Deus, que præcepit, non implet in omnibus, quibus præcepit, & que prohibuit, non præveniat in omnibus, quibus prohibuit, non est illa, quam *Iesuitæ* & hypothetici decreti Fabricatores proferunt, dicentes, Deum aliquid nolle, quia homines nolunt, aliud vele quia homines volunt. Nam sic Deus dependet ab hominibus, causa prima à secunda: sed contra se res habet: si Deus vellet, etiam homines vellent; si Deus nollet, etiam homines nollent: omnipotens enim & omnium domina est Dei voluntas. Verum longe aliae sunt hujus rei rationes, eaque variae; vel, ut ostendat Deus creaturam intellectualis esse defactibilem; vel, ut ostendat quid in utramque partem valeat liberum arbitrium, in malam quidem partem sine Dei auxilio praesenti, in bonam cum eo; vel, ut ex comparatione mali seu peccati quantum sit obedientiae bonum intelligatur; vel, ut ex obedientia gloriam, ex inobedientia poenam, alii reportent; vel denique, quam rationem nos omnibus præferimus, ut in aliis suam misericordiam, in aliis suam iustitiam manifestaret Deus.

V I. §. 5. Quæritur, *An Deus voluntate signi præcipere aut velle possit aliquid contra legem à se latam?* Hæc quæstio ex ante dictis etiam o ritur: ac sunt ex *Scholaſtici*, qui Deum id posse afferuerunt, à quibus non longe abeunt ex Reformatis Philosophis quidam. Hi si proponunt: *An Deus possit velle seu præcipere malum culpa?* ac tum quæstio dupliciter intelligi potest; sc. *An Deus possit præcipere malum culpa conjunctim*, hoc est, manens malum culpa, vel *divisim*, ut malum præcipiendo fiat bonum. Priori sensu non venit quæstio: Nam sic Deus contraria vellet eadem voluntate signi, & idem præciperet & prohiberet, adeoque homini imponeretur necessitas peccandi, dum contraria implere non potest. Sed posteriori sensu quæstio instituitur: *An Deus voluntate signi velle seu præcipere possit aliquid, non quod sit malum fieri, dum præcipitur, sed*

quod esset malum fieri, nisi à Deo præcipere tur? sic ut posteriori iustione prioris mali quasi fiat abolitio. Atque hæc eadem est quæstio cum hac: *An Deus possit dispensare de preceptis Decalogi?* Nam, cum dispensatio faciat de illico licitum, & qua sunt contra præcepta decalogi sint illicita & mala, si Deus potest dispensare in præceptis illis, potest facere de malis & illicitis bona & licita: & sic possit Deus præcipere mala fieri, non quæ tunc sunt mala, sed quæ essent mala, exclusa dispensatione divina. Nos ad difficultatem hanc questionem sic respondemus. Cum lex non præcipiat nisi quod bonum est, & præceptum sit directivum agendi principium, quicquid ita malum est, ut Deus id facere non possit, illud quoque Deus præcipere non potest: quam responsionem exemplis illustrabimus. Non potest Deus præcipere mendacium, odium sui, blasphemiam, perjurium, idolatriam, quia ipse hæc facere atque horum author esse non potest, cum sunt ejusmodi, quæ in sua ratione malitiam includant atque involvant: quale etiam est, carnem dominari spiritui, &c. Nam, quod non-nemo hic excipiat, Deum non posse quidem seipsum abnegare, posse tamen alteri præcipere sui abnegationem, ineptum est: quia quod quis per alium facit ipse facere censendum est. *Scholaſtici* hoc negotio terminis suis & distinctionibus sic extulerunt. Malum, inquit, aliud est in se, aliud secundum se: malum in se est, quod potest fieri bene, malum secundum se, quod non potest fieri bene; sic odium Dei & mendacium sunt mala secundum se, quæ nullo modo possunt fieri bene, & ea Deus non potest præcipere, quia non potest ab eis auferri deformitas & inordinatio ad Deum quam habent. At occidere innocentem & accipere alienum, sunt mala in se, & possunt fieri bene, pro auctoritate, imperio, dominio Dei, & ista potest præcipere Deus, de his dispensando. Alii sic distinguunt. Aliud est malum essentialiter, quod habet intrinsecam malitiam, ideoque nullo modo potest fieri bonum, ut blasphemare Deum: aliud est malum accidentaliter, cui malitia non est intrinseca, quodque idcirco potest fieri bonum, ut occidere innocentem: dicitur autem fieri posse:

posse bonum in sensu diviso, sicut ægrum potest fieri sanum; & hoc malum Deus potest præcipere, non illud: sed hæc omnia eodem recidunt.

V I. §. 6. Sed ut fluctus fluctum premit, sic una quæstio aliam: quæritur insuper ex ante etiam dictis, *An Deus voluntate beneplaciti posset velle seu decernere malum culpe seu peccatum, & quidem qua tale est?* Resp. Distinguendum est inter has duas phrases, *velle malum culpe, & velle malum culpe fieri*: velle malum, simpliciter dictum, notat comprobacionem mali, simulque inclinationem ad rei alicujus vel commissionem vel omissionem utramque legi Dei repugnantem: Hoc est malæ voluntatis: sic negamus, *Deum velle malum culpe*: at, velle malum fieri, nihil aliud significat, quam decernere ut malum seu peccatum ab alio fiat alio permittente; & hoc non est malæ voluntatis: sic affirmamus, *Deum velle malum culpe*: & probamus: fundamentum hoc jacimus: non dari summum malum, sed omne malum esse conjunctum cum aliquo bono. Nunc sic argumentamur. Si Deus vult bonum illud fieri, cum quo conjunctum est malum se efficiente, ergo & vult malum fieri, quod ex parte creature est cum bono conjunctum, sc̄ permittente: alioquin, si non vellet Deus, hoc malum cum bono conjunctum non foret, nec fieret: confirmamus hanc rationem. Quod bonum est, Deus vult fieri: at bonum esse, bonum est: Ergo: Sed vero, aliquod bonum non est nisi conjunctum cum malo. Ergo & bonum conjunctum esse cum malo, bonum est. Ergo & bonum conjunctum esse cum malo Deus vult. Ergo non tantum vult bonum cui conjungitur malum, sed ipsum non conjungi malum, atque adeo ipsam malitiam quæ conjungitur: præsertim cum malum conjunctum r̄p̄ce cedat in bonum majus, sive alterius, sive ipsius malum committentis, semper saltē infervit manifestandæ vel misericordiae vel justitiae divinæ: & sic bonum est, malum fieri, atque adeo volitum à Deo, ut fiat, se permittente: imo, plus dicemus, non tantum volitum est à

Deo, sed necesse est esse volitum ab eo, postquam decrevit absolute gloriæ suæ in misericordia & justitia manifestationem. Et quid multis est opus? quod bonum est, Deus vult. Peccatum fieri, bonum est, non quidem in genere honesti, sed in genere boni utilis: neque hoc mirum est, posse aliquid esse malum in honestum, & bonum utile: neque est contraria peccati definitionem, ut sit bonum utile: imo nisi peccatum esset legis transgressio & malum in honestum, non posset esse medium conducibile ad patefaciendum Dei gloriam, in eo condonando per medium misericordiæ, aut puniendo per modum iustitiae: & à posteriori concludimus; quodcumque Deus usurpat ut medium conducibile ad finem sibi propositum, id talis est naturæ, ut ei non repugnet esse bonum in genere utilis, & ita à Deo ordinari, & decerni, & esse volitum. Sed peccato Deus sic utitur. Ergo, &c. Porro non tantum malum culpe est volitum; sed etiam est volitum qua tale. Hac restrictione significatur, *Deum velle malum culpe*, non tantum quoad materiale, actum substratum: nam eum vult voluntate beneplaciti efficiente: sed & quoad formale, seu quoad ipsam malitiam, quam vult voluntate permittente: hæc enim, non actus, est medium conducibile, quo uti bene placet voluntati divinæ illam malitiam permittenti. At qui istam restrictionem sic explicant, ut putent significari malum, qua tale, h. e. sub consideratione malitiae, esse volitum à Deo, errant, & Deo & nobis injuriant: Deus enim decernendo ac volendo ut malum fiat, se permittente, non considerat illud ut malum, sed spectat id sub consideratione conducibilis ejus naturæ, quatenus poterit esse medium gloriæ divinae: itaque negamus, malum qua malum esse à Deo volitum, hoc sensu, ut ratio, cur malum Deus permittat, sit ipsum malum: sed ratio, cur velit fieri se permittente, est conducibilis ejus natura ad promovendam gloriam Dei, ad quam tendere debent hæc & omnia nostra Philosophemata.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

VIGESIMA - QUINTA,

DE

## DEI AETERNITATE

## THESIS I.

**D**E Dei aeternitate ardua sane ac perdifficilis est disputatio; tanto tamen dignior contemplatione: præsertim cum molestia hæc & difficultas compensetur utilitate, qua nulla potest ex Philosophando accipi major, quam si Deum Opt. Max. omnis Philosophiaæ fontem & securiginem recte riteque cognoscamus: atque eo lubentius hoc Dei attributum pertractandum suscipimus, quod ante paucos annos luxare illud & non satis recte explicare tentaverit *Conradus Vorstius* in *notis suis ad Disp. suam 3. de Deo, & in Apostolica Exegesi cap. 12.* Agit de hac materia *Thom. Aquin. in Summa Theol. part. 1. quest. 10.* & ibi omnes fere Scholastici; *Pneumaticæ & Theologiae naturalis Scriptores* istic, ubi vel infinitatem vel immutabilitatem Dei explicant; *Metaphysici* inter affectiones, quæ sequuntur existentiam, sibi titulo *Durationis vel temporaliitat*, vel etiam ad prædicamentum *Quando*, ut *Suarer. Disp. Met. 50.* Nos *Thomæ 1. part. quest. 10.* veloxia prememus, & ex sex, quos de Dei aeternitate proponit, articulis, tres priores, post vocis discussionem premissam, explicabimus. 1. *quid sit aeternitas.* 2. *urum Deus sit aeternus.* 3. *urum esse aeternum sit primum Dei.*

II. *Aeternum* dicitur, vel quasi *aeternum*, notatque illud quod perpetuo durat, à voce *aevum*, quod volunt esse ab *eternis*, hoc autem dici quasi *eternus*, *semper existens*, unde scriptio antiqua habet *aeternus* quod Graecam originem sapit vel quasi *extra terminum*, id est, sine termino existens, notatque illud quod nunquam est finiendum: Ebræi vocant *אֵת*, à quo Latinum *eternum*, à rad. *אָתָה*, *occultus, absconditus*, quia aeternitatis initium ac finis lateant, à sensibus que nostris abscondantur. Accipitur autem

*aeternitas, 1. καταχεγμένης, improppriæ, pro tempore diurno & longævo, ut cum circumcisio dicitur æterna, vel pro tempore indeterminato, ut cum id dicitur æternum, cui nullus certus terminus est præfixus, vel pro duratione vitæ, ut servitus dicitur æterna ejus, cui ferociendum est ad vitam, quomodo etiam gratitudinem æternam pollicemur bene meritis de nobis. 2. κυριολεξιῶς, proprie, pro duratione sine termino, five limitate & secundum quid, quæ fine destituitur five termino ad quem, diciturque aeternitas à posteriori, seu parte post, barbaris, qualis competit spiritibus finitis, five absolute & simpliciter, quæ utroque termino caret, & à quo & ad quem, diciturque aeternitas à priori & posteriori, & parte ante & post, quæ Deo competit, de qua nos impræsentiarum philosophamur.*

III. Voce excusa, rem aggredimur; ac 1. Videbimus, *quid sit aeternitas.* Aeternitatis notionem ut assequamur, notandum est, tres esse mensuras rerum, quibus earum esse mensuratur, *tempus, aevum, aeternitatem*, sicuti triplex est rerum esse triplici modo diversum. Quadam sunt res variables, & secundum affectiones seu accidentia, ut *homo*, & hic habet unam mensuram sui esse, sed variabilem. Aliæ sunt res invariables quidem secundum substantiam, sed variables secundum accidentia seu affectiones, ut *Angelus*, & hic habet aliam mensuram sui esse, suo modo etiam variabilem: *Deus* autem omni ex parte, & secundum substantiam, & secundum accidentia (quæ non habet) seu affectiones, est invariabilis, & hic habet mensuram sui esse pariter invariabilem, immutabilem, totam simul, & perfectam, sicuti ipsius Dei est essentia: Nam oportet mensuram esse proportionatam

natum rei mensuratae: Ideoque quemadmodum aliam habemus mensuram pro rebus liquidis, aliam pro solidis: ita aliam debemus habere mensuram pro homine, aliam pro *Angelo*, aliam pro *Deo*: mensura, qua mensuramus hominis esse, dicitur *tempus*: qua Angeli, *ævum*: qua Dei, *æternitas*. Ac quamvis Deus proprie loquendo non habeat mensuram, quia tamen aliter ejus durationem intelligere non valemus, dicimus eum mensurari æternitate, per quam apprehendimus durationem divini esse.

V. Hicse premissis videamus quid sit æternitas. Ea definiri solet ex Boeth. l. 5. de *Consol. Philos. prof. 6. interminabilis vita tota simul & perfecta possesto*: quæ definitio, et si quædam contineat quæ omitti potuissent (nam et si quod æternum est vivat, vitamque totam simul ac perfecte & non per partes possideat, non tamen erat necesse hæc vocabula, *vita & tota simul ac perfecta possesto*, inferere æternitatis definitioni, cum rei potius æterna quam æternitatis notioni includantur, & suffecisset dixisse, *Æternitas est interminabilis existentiae possesto*) attamen quia ab omnibus *Philosophis haec tenus & Theologis* est recepta, eam singulatim suis partibus expemus. Dicitur *æternitas*, *possesto*, ut denotetur ejus actualitas & quies: est enim æternitas quædam duratio præfens, firma, fixa: *tota simul*, ad differentiam temporis, in quo est successio prioris & posterioris: una enim parte recedente altera advenit: at vero æternitas est tota simul uniformis: *perfecta*, ad differentiam instantis in tempore, quod licet totum simul est, est tamen duratio imperfecta, quin potius est continuatio durationis subsequentis vel ejus initium, quam ipsa duratio: *interminabilis*, quia æternitas caret principio & fine, ad differentiam *ævi*, quod habet terminum à priori, puta principium, & temporis, quod habet utrumque: *Vita*, ut significetur eum, qui æternitate mensuratur, viventem esse debere. Ex hisce notio æternitatis est manifesta, quod sc. fit, *Duratio quædam semper præsens, sine principio aut fine, carens priori & posteriori, ac perfecta, cui nihil deficit: est instantis quoddam permanens ac perpetuum*: quemadmodum nunc

fluens constituit tempus, sic nunc permanens constituit æternitatem. Sed ut aliquis æternitatis conceptus, quantum fieri potest, clarus habeatur, non melius is formari poterit, quam si ex adverso bene contemplemur naturam temporis, sunt enim æternitas & tempus due mensuræ diversissimæ.

V. *Tempus* est mora durationis successivæ in motu, est ipsum, quædam successio & transitus à priori ad posterius: unde Arist. definit tempus, *numerum motus secundum prius & posterius*: nempe mensura illa, qua mensuramus partes motus, quod duret tantum vel tantum, dicitur tempus. E contrario *æternitas* significat mensuram, non variis partibus secundum prius & posterius difformem, sed plane uniformem: atque ut *tempus motum*, sic *æternitas divinum esse* mensurat, sed dissimili plane modo: *Tempus* habet prius & posterius formaliter, ita ut ratio temporis constitut in illa diffinitate prioris & posterioris: sed *æternitas* constitut in uniformitate divini esse, & non habet prius & posterius formaliter: neque enim *Divinum esse* per partes *æternitatis* (quæ nullæ sunt) mensuratur, sicut motus partibus temporis, quæ sunt præteritum & futurum; dico formaliter, quia *eminenter* potest dici *æternitas* habere prius & posterius: nam sicut Deus omnia inferiora continet eminenter, ita *æternitas*, mensura divini esse, habet & continet eminenter omnes alias mensuras, & coëxistit tempori, quod habet prius & posterius: omnia namque tempora sunt *æternitati præsentia*: ponamus, v. c. ut aliquo modo hoc arduum negotium adumbremus, per imaginationem, unum hominem esse viatorum centum annos, & in primo instanti simul habere totum illud, quod per centum annos habiturus esset, ille homo diceretur coëxistere illi tempori centum annorum, quia in quoconque anno illorum esset *præsens*: & potest alio simili illustrari: quemadmodum punctum, quod est in centro corporis sphærici, dum movetur corpus, est *præsens* ac coëxistit omnibus punctis in circumferentia existentibus, sed ipsa puncta circumferentia, cum inter se distent, non sibi coëxistunt in circumferentia; ita *æternitas* omnibus variationibus

tionibus temporum coëxistit, licet ipsa tempora non coëxistant sibi, & sic dicimus, omnia tempora esse præsentia æternitati, licet quoad nos varientur & tempora & res in tempore, sicut illi puncto centrali omnia alia puncta, sed variata, sunt præsentia. Hæc aliquo modo juvant conceptum æternitatis, quæ quia infinita est, ab ingenio finito difficillime apprehenditur.

V I. Nunc 2. videamus, *An Deus sit aeternus?* Aff. & probamus. 1. Qui est immutabilis est aeternus: at Deus est immutabilis. Probatur major. Quia quod mutabile est, vel esse incipit, vel esse definit: at aeternum & inceptionis & desitionis terminum ignorat. Prob. min. Quia aut substantialiter aut accidentaliter mutaretur: at neutrum dici potest, quia utrumque imperfectionem dicit. Exceptio. At in Deo sunt prorsus idem immutabilitas & æternitas; Ergo unum non est causa alterius. Resp. Quamvis in Deo unum non sit causa alterius, potest tamen dici unum ratio alterius: nam consequentia hæc valet; *Quia Deus est immutabilis, est aeternus*: & licet in Deo idem sit immutabilitas & æternitas, sufficit tamen distinctio rationis ratiocinatæ, ut unum sit ratio alterius, ratio sc. nobis cognoscendi alterum. 2. Si Deus non est aeternus, ergo non habebit totum esse simul, ex vi definitionis æternitatis. At posterius est absurdum. Ergo & prius. Prob. min. Si non habet totum esse simul, ergo habebit, vel esse post non esse, vel non esse post esse. At neutrum dici potest, quia utrumvis dicatur, jam Deus dicetur mutari, ac mensurari tempore, in quo est esse post non esse, non esse post esse, id est, prius & posterius, quia hæc sine tempore intelligi non possunt; hæc enim successio est temporis propria. At Deus successionis est expers, prius & posterius non agnoscit, ac totum suum esse simul possidet. 3. Si Deus aliquando non fuit, & postea fuit, Ergo factus est ab aliquo: non à seipso: quia quod non est, non potest seipsum producere, ergo ab alio. At sic non est independens, nec causa prima; quod absurdum.

V II. Nunc 3. videamus, *An Dei sit proprium, esse aeternum?* Hæc questio duplicem potest habere sensum; unum, de inesse, alte-

rum de possibili. Priori sensu queritur, *An de facto nihil sit aeternum à parte* Ante & post præter Deum? Neg. posteriori sensu, *An possit aliquid esse præter Deum tali modo aeternum?* Neg. Nam quod hic quidam excipiunt, potuisse mundum ab aeterno esse, id in curriculo harum disputationum refutatum est Disp. 19. parte priori & posteriori. Sed hic grave est dubium. *Hominem esse animal*, & omnia praedicta essentialia ab aeterno sunt vera. Ergo ab aeterno debet illis respondere aliquid esse reale: nam quomodo vera erit hæc enunciatio, *Homo est animal*, nisi ab aeterno homo sit animal? Ergo aliquid habet esse reale aeternum, præter Deum. Resp. Ut hæc res bene explicetur, distinetæ est procedendum, ac primo notandum, quod triplex sit esse creaturarum, virtuale, cognitionis, reale: virtuale vocatur, quod res habent in suis causis: cognitionis, quod habent in intellectu: reale, quod habent in seipisis extra causas suas: omnes creaturae fuerint in virtute & potentia Dei activæ ab aeterno, antequam crearentur: fuerint quoque in intellectu divino ab aeterno, sicut res artificiosæ sunt in mente artificis: at vero in seipisis non fuerunt, nisi cum Deus eas produxit: itaque nulla creatura extra divinum intellectum & extra potentiam Dei activam aeterna est. Deinde est esse quoddam essentiæ, & esse quoddam existentiæ, & esse quoddam, quod significat veritatem propositionis & connexionem extermorum: jam vero, nullæ creaturæ sunt aeternæ, nec secundum esse essentiæ, nec secundum esse existentiæ, quia utrumque est esse reale: at vero si creatura secundum aliquod esse reale essent aeternæ extra Deum, jam Platonis sententia de Ideis obtinet, & darentur universalia in rerum natura separata à conditionibus singularium, quod absurdum est. Quod spectat illud esse, quod significat connexionem extermorum & veritatem propositionis, ut cum dicimus, *homo est animal*, tales propositiones ab aeterno quidem sunt veræ, sed tamen non dicunt aliquod esse reale ab aeterno: & hoc est quod multis imponit; in ipsis propositionibus ab aeterno veris fundata est veritas in necessaria connexione & habitudine extermorum, quæ necessaria

cessaria conexio & habitudo extremorum, ante illorum existentiam nihil dicit aliud quam unum aliquod possibile esse de ratione alterius possibilis; id est, quando ipsum erit, necessario erit hoc vel illud, que veritas æternæ potest intelligi absque ullo esse reali ipsorum extremorum: v. c. hæc propositio, homo est animal, est æternæ veritatis, sive homo fit

atque existat, sive non: veritas enim ejus in eo consistit, quod non possit esse vel existere homo, qui sit *animal*, & utriusque extremi esse, tantum est possibile, scilicet, hoc extremum possibile, *animal*, est de ratione extremi hujus possibilis, *hominis*. Atque sic illam difficultatem dissolvit quoque *Suarez* tom. 2. Disp. Metaph. Disp. 31. qui videri potest.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

V I G E S I M A - S E X T A,

D E

## DEI IMMUTABILITATE.

T H E S I S I.

**C**um Disp. præcedenti de *æternitate Dei* fuit actum, ejus fundamentum posuimus *immutabilitatem*: diximus enim hanc causalem esse veram th. 6. *Quia Deus est immutabilis, ideo est æternus*, ut immutabilitas fuerit, non quidem causa in rigore sumta, sed ratio saltem demonstrans *æternitatem*, & causa, ut *Scholasticorum* quidam loqui amant, virtualis seu eminentialis: nam si in omni demonstratione exigetur, ut effectio per veram causam realiter à se distinctam demonstraretur de subiecto, actum foret de demonstrationibus *Metaphysicis*, item & de *Mathematicis*, ubi utrobius non intercedit discrimen reale inter affectiones, principia, sive causas, & ipsum subiectum. Ergo nec ibi, cum *æternitatem* demonstraremus de Deo, necessarium est querere reale discrimen inter subiectum, affectionem, & causam; quod ibi nullum est reale: sed vero quia dubitari possit de causa, qua fuit demonstrata *æternitas*, sc. de immutabilitate, an ea sit (cum tamen causam dari in demonstrando supponi solet) operæ existimavimus pretium immutabilitatem Dei adstruere hac disputatione, ut prædicti auctores fuit ejus *æternitas*.

II. De *Dei immutabilitate* hæc duo excutimus. 1. *An possit naturali ratione demonstrari?*

quin enim hoc constet ex sacra pagina, nulli est dubium, sed nos Philosophos agimus, non Theologos. 2. *An immutabilitas sit Deo propria, sic ut nulli creature conveniat?* sed primum, quid per immutabilitatem intelligamus, videndum est nobis. *Immutabilitas* negat omnem mutationem, omnem motum & variationem, sive exteriorem sive interiorem: itaque cum Deum demonstrabimus immutabilem, eum demonstrabimus, nec generabilem, nec corruptibilem, nec creabilem, nec annihilabilem, nec augmentabilem, nec diminuibilem, nec alterabilem, nec mobilem motu locali, nec mutabilem secundum intellectum, aut voluntatem, aut ullam potentiam, aut habitus, aut actiones.

§. 1. *Deum est immutabilem, ratione naturali demonstrari potest.* 1. Omnis mutatio aut est secundum substantiam aut secundum accidentem. Neutro modo competit Deo. Ergo. Non priori modo, quia quod secundum substantiam mutatur, est corruptibile. At Deus seu divina substantia est incorruptibilis, quia principium non habet: omnis enim corruptibilitas à principio est aliquo vel interno vel externo. Ergo. Non posteriori modo, *Quia in Deo non est accidens.* Ergo. 2. *Quod mutatur, prius est in potentia quam in actu:* Atqui

Atqui Deus non est in potentia unquam, sed semper est in actu & actus. Ergo. 3. Omnis mutatio, aut est in statum meliorem, aut deteriorem, aut parem. Sed nullo istorum modorum mutatur Deus. Ergo. Non in statum meliorem mutari potest Deus, quia, cum sit optimus, habet statum optimum. Non in pejorem, quia sic non foret Deus. Non in æqualem, quia Deus perfectus est, nec patitur æqualem statum aut parem in natura distin-  
ctum. 4. Si Deus mutari posset, vel per potentiam, quæ est in altero, vel per potentiam, quæ est in se: non per potentiam quæ est in altero, quia sic dependet ab altero: non per potentiam, quæ est in se, quia eam non habet; est enim purus actus. 5. Quod mutari potest non est simplex, sed componitur cum eo quod recipit & ad quod tendit. Sed Deus est simplex, quod demonstratum est disp. se-  
lect. 21. Ergo.

IV. Exceptio. 1. In Deo est liberum arbitrium: hoc autem est mutabile ad volendum & nolendum, ut, quod nunc vult, mox possit non velle. Ergo. Deus, sicut Petrum amavit cum ad Apostolatum eum vocavit, ita eundem odiit, cum Christum abnegavit: transfere autem de amore in odium non potest fieri sine mutatione. Ergo. Respond. Liberum arbitrium non infert in Deo mutabilitatem, uti quidem in nobis est discursus & ratiocinatio, modo in unum, modo in contrarium, libero arbitrio ferimus: ideoque nobis contigit, ex amore in odium, & ex odio rursus in amorem, transfeundo nos mutari. Deus autem cum habeat simplicissimam scientiam ab æterno, nihil de novo vult, nihil de novo acquirit: sed per solam mutationem objecti, dicitur modo velle & amare hunc hominem, alio tempore eundem non amare & odire: hoc enim fundamentum bene est tenendum, quod Deus idem objectum velit & non velit, amet & oderit (loquimur hic de Deo, & non de mundis) fine aliqua sui mutatione, secundum diversas rationes objecti, quæ aliquam mutationem quidem dicunt in objecto sed non in Deo: quemadmodum nunc vult me Deus scribere vel loqui, at ubi finiero, non vult me scribere vel loqui, mutatione facta in me, nulla in Deo,

quia in ipso idem prorsus est judicium de rebus contrariis & contradictoriis: diversitas enim non est in actu divino sciendi vel volendi, qui idem omnino est; sed diversitas est in reip̄a, quam secundum diversa tempora alter atque alter sese habentem Deus & fecit & vult: sed de hoc argumento videatur Select. Disp. hujus curriculi vicefima tota, & vicefima tertie thesis 8.

V. Exceptio. 2. Multa dicuntur de Deo quæ absque mutatione sui non possunt intelligi. Ergo. 1. Deus est intimè in nobis: sed motis nobis, omnia mouentur in nobis: moveri autem est mutari. Ergo. 2. Si Deus annihilaret hunc mundum, & aliud crearet alio loco, tum desineret esse in loco hujus mundi & inciperet esse in loco alterius mundi. Ergo mutaretur. 3. Deus de novo creavit mundum, assumit naturam humanam. Ergo mutatus est. Probatur consequentia, quia nemo potest transfere de uno contradictorio in aliud sine aliqua sui mutatione: sed Deus transit hic de non creante in creantem, de non homine in hominem. Ergo. Respond. ad 1. Aliiquid est in alio dupliciter: vel per quandam dependentiam à re illa, in qua est, sicuti partes integrales & essentiales sunt in toto, quia dependent ab illo, sicuti & accidentia dependent à subjecto in quo sunt; & talia mouentur ad motum ejus, in quo sunt: vel absque ulla dependentia ab eo in quo est, & illud non mouetur ad motum ejus, in quo est: sic Deus est in nobis, independenter à nobis: ideoque nobis motis non mouetur: Quid? quod sit Deus immobilis; quod de primo motore ab Arist. in Physicis est demonstratum. Ad 2. Posita tali causa, Deus non moveretur, nec mutaret locum; neque enim desineret esse in loco hujus mundi, si eum destrueret, neque inciperet esse in loco alterius mundi, si aliud conderet; est enim Deus immotus ubique, etiam in spatis imaginariis, atque extra hoc universum: omnis mutatio foret in creatura, mundo, vel destruendo, vel de novo condendo. Ad 3. Notandum in genere; cum aliqua denominatio advenit alicui per mutationem alicujus rei extrinsecæ, non est necesse ut res denominata mutetur, quemadmodum

id patet in relationibus multis, que oriuntur ex sola mutatione termini, nulla facta mutatione subjecti; sic ovo uno existente albo, si alterum oriatur album, acquiritur sine mutatione prioris ovi nova ab ipso relatio & denominatio similitudinis, qua illud prius est & dicitur simile posteriori: sic Petro existente homine, cum oritur Paulus aut alias homo, oritur in Petro, sine ulla ejus mutatione, relatio & denominatio identitatis, qua est idem cum Paulo aut altero homine: sic autem se res habet in creatione & incarnatione, ubi utroque mutatio est in extremo altero, termino sc. utriusque relationis. In specie: cum Deus creat mundum, non mutatur, quia actio interna Dei qua vult creare mundum non mutatur, nec accedit ad Deum tum nova actio, sed accedit ad rem, quam voluit creare, nova caritas, & Deus non est mutatus ex non agente in agentem, sed res mutata est de non esse ad esse: sicut, ut crassulo exemplo hoc illustreremus, si sol non ingredieretur per fenestram clausam, & postea, aperta fenestra, ingredieretur, non mutatur sol, sed fenestra ex non aperita redditur aperta: sic Deus non aliter se habet, cum creat, quam antea se habet, quia actio Dei non distinguitur ab ejus potentia, nec ab essentia, & haec omnia aequa sunt in Deo immutabilia: & notandum hoc est bene, quando agens idem est, quod sua actio, ut Deus, non mutatur agendo, quia semper est in actu & semper agit. Agens vero, quod non est sua actio, non semper agit; & ideo, quando agit, mutatur. Ad incarnationem quod attinet, facta est mutatio, in humanitate quae assumta fuit, sed non in Deo aut secunda Deitatis persona assumente: Deo enim immoto & sine ulla mutatione secunda Deitatis persona assumta est humana natura. *Dices, Deus aut secunda Trinitatis persona acquisivit aliquod ens, quod ante non habuit: Nam humanitas ens fuit.* Resp. Concesso, quid inde? Non tamen ipse Deus acquisivit aut sibi accepit novam perfectionem, sed vere eam acquisivit & sibi accepit humanitas, dum ex non ente facta est ens, & assumpta præterea in esse divinæ naturæ hypostaticum: λόγος, verbum divinum, secunda Deitatis persona, tantum terminavit

istam unionem nature humanæ, quando fuit assumta in τέλεσθαι τὸν λόγον: & sic accepit novam relationem, sed non novam perfectiōnem: terminare enim non est nova perfectiō: ergo nec accipit mutationem: quemadmodum ego non perficior, non mutor, non moveor, sed immotus maneo, et si diversimode terminem motum lapidis, qui nunc mihi est dexter, nunc sinistru; quemadmodum ego quoque non mutor, si aliud homo oritur, ad quem referor, & quam relationem ego termino, cum ille mihi dicitur similis, aut ego ipsi, ex vi generalis fundamenti ante à nobis positi. Quod dicitur, nihil posse transire de uno contradicitorio ad alterum sine aliqua sui mutatione, falsum est, quod patet exemplo denominatiōrum extrinsecarum, ut quando paries non visus dicitur visus, sine ulla sui mutatione, & relationum earum, quae oriuntur ex solius termini mutatione. Et quid multis opus est? au non nummus aliquis sine ulla mutatione sui, ex voluntate Principis, ex non pretio fit pretium? Sed secundum hujus disputationis membrum videamus.

V I. §. 2. *Immutabilitatem esse Deo propriam*, sic probari potest. 1. Omnis creatura est aliquo modo mutabilis: ergo immutabilitas est propria Dei. Prob. antecedens. Mutabilitas & mutatio est duplex, vel ad esse, vel in esse, ut cum Scholasticis nunc sic barbare loquamur. Prior competit omnibus creaturis, quia omnes creature ex nihilo ad esse sunt traductæ. Mutabilitas & mutatio in esse, duplex est: alia in esse substantiali, quae generabilis & corruptibilis convenient: alia in esse accidental, quae omnibus creaturis convenient, quantum ad alias earum actiones aut dispositiones; omnis enim creatura est mutabilis secundum esse accidentale. At Deus nullo horum modorum est mutabilis: Ergo immutabilitas est proprietas Dei. 2. Si aliqua, praeter Deum, creatura foret immutabilis, esset maxime, Primo, materia prima, quae vulgo dicitur ingenerabilis, Secundo, cælum, quod vulgo dicitur incorruptibile, Tertio, Angeli & animæ rationales, quae substantiae cum sint simplices atque immortales, maxime videntur immutabiles. At nihil istorum immutabile

bile est omnino. Ergo omnimoda immutabilitas solius Dei est attributum proprium.

1. Materia prima, aut nulla est talis qualis posuit *Aristoteles*, aut non est ingenerabilis, quippe quæ, si sit, non est disincta à secunda, sed conceptus tantum communis ac genericus omnium materiarum particularium, adeoque ens rationis, cui, nec generabile esse, nec ingenerabile esse, convenit. Certe, quod *Aristoteles* sibi imaginatus sit materiam aliquam, quæ neque quid, neque quantum, neque quale foret, & tamens ens, & tamen substantia, &c., quod plus est, commune subjectum omnium mutationum quæ sunt, & ultimum in quo resolvuntur, insuper quæ foret ingenerabilis, incorruptibilis, fuit fundamentum astræ æternitatis mundi: nam hec nunc dicam, mutationem fieri in materia secunda, non prima, si ista materia prima sit ingenerabilis & incorruptibilis *Aristoteli*, qui creationem ignoravit, non minus æterna ipsi esse debet, quam ipse mundus ei æternus est: Et profecto cum mundus ipsi æternus sit, oportet & materiam mundi esse æternam, cum mundus sine materia non sit. Quare videant, quomodo mundi creationem tueantur iti, qui materiam primam ingenerabilem & incorruptibilem esse, ex & cum *Arist.* ejusque mancipiis operose astruunt, & quomodo non ex mero rationis figmento, faciant fere, si non Deum, Deam faltem immutabilem.

VIII. 2. Celum quidem ab *Aristotele* & *Peripateticis* incorruptibile semper est habitatum: sed enim ejus rei falsitas tam aperte convicta est recentioribus Astronomorum observationibus, ut qui celum amplius incorruptibile afferat pro rerum Mathematicarum ignaro habeatur, ac à nemine ita esse asseri possit, nisi qui eo impudentiè veniat, ut omnes astronomorum observations elevare & tanquam fide indignas rejicere audeat; quod equidem ego à me non impetro ut faciam, qui artificibus, præfertim viris doctis & honestis, credendum in sua arte existimo. Sed argumento probemus invicto cali corruptibilitatem. In quo generantur novæ stellæ ac novi cometæ, illud est generabile, consequenter & corruptibile. Atqui in celo generantur, &c. Ergo in

cœlo fuisti generatos cometas novos, 1577. 80. 85. 90. 1607. 1618. stellas novas fuisti generatas, ut Cassiopeæ, 1572. in Cygno, 1600. in pede serpentarii. 1605. à Clavio, Tychone, Keplerio, aliisque, est observatum ac demonstratum. Negabunt fortasse nonnulli fuisti in cœlo, vel illos cometas, vel illas stellas. Sed ex parallaxi convincuntur. Quæ minorem habent parallaxin, remotiora censentur quam quæ majorem, & quæ nullam, remotissima. At stellæ novæ nullam, cometæ novi multi, minorem habuerunt parallaxin quam luna. Ergo fuerunt remotiores quam luna. Ergo in cœlo. Ergo hoc est corruptibile. Nam quæ erit materia cometarum novorum? non exhalatio sublunaris, quippe quæ ultra 13 milliaria à terra non progreditur, ut docent observatores crepusculorum; & cometæ tam magni sunt, ut absurdum sit illis adscribi materiam terrestrem: non concursus multorum siderum; quomodo enim tam multa ad idem punctum concurrerent? Ergo restat ut dicamus eam esse vibratam ex planetarum corporibus, quæ ubi est congregata, cometa novus sequitur dum fere superantis materia. sic certe censuit inclytum olim Academiæ nostræ lumen. Clarris. D. Willebrordus Snellius in Cometa 1618. descript. c. 7. Cometas sub sole fieri ex effluviis solaribus, qualia manifeste ostendunt faculae & maculae solares, quæ irrefutabile sunt corruptibilitatis in cœlo testimonium. Materia novarum stellarum pariter est, quæ vibratur, retrocedit, egreditur ex ipsis stellarum, cum scintillant, corporibus: hujus enim materia lucentis, ex pluribus stellis per scintillationem vibrat collectio, novum fidus facere potest: ac stellas scintillare, scintillando materiam vibrare, ab Astronomis evictum est; imo circa stellas fieri exhalationes, per tubum opticum observavit, in nuncio sidereo, Galileus de Galileis, quod maximum est iterum corruptibilitatis in cœlo argumentum: Oriuntur autem novæ stellæ potissimum in via lactea: hic enim locus maxime vibrationi stellarum convenit, quia ibi maxime sunt stipatae stellæ (nam qui Galaxiam meteororum statuant cum Aristotele, ineptiunt & ab experientia refutantur) unde ibi copiosior materia vibrat

tione stellarum ad novi sideris productionem in unum conjici potest ac compingi.

IX. 3. Angeli & animæ rationales sunt immortales & incorruptibles natura sua, & à principio interno, & à nulla causa secunda:

at à Deo & ejus potentia ac causa prima corrumpi & annihilari possunt. Sed de Angelis (& de animabus) hoc alias probatum dedimus publicis disputationibus. Deus autem omni modo est immortalis & immutabilis.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

V I G E S I M A - S E P T I M A ,

D E

## I M M E N S I T A T E D E I .

### T H E S I S I .

**I**M M E N S U M , quoad vocem , idem est , quod non habens mensuram : quemadmodum *infinitum* est , quod non habet fines : & sic hæc duo vocabula fere ejusdem latitudinis sunt in significando. Attamen usus obtinuit nunc apud *Scholasticos* , & *Metaphysicos* ; ut infinitatis vox paulo sumatur latius , dicaturque de eo , quod nullos habet fines , limites , terminos , sive essentiae , sive quantitatis , sive virtutis , sive perfectionis cuiuscunq; : *immensitas* vero significet istum infinitatis modum , quo quid est illimitatum , incircumscripsum , irrestrictum , secundum præsentiam ad rem aliam aut ad locum : *Thomas Aquinas* 1. p. *quaest. 8.* & *Mag. Sent. Lombardus* 1. *dist. 37.* pro hoc termino *immensitatis* , utuntur hoc , *existentia Dei in rebus* , aut ejus , quod est ubique sive ubiquitatis . Nonnulli tamen *Scholasticorum* , *immensitatem* Dei distinguunt ab ejus *existentia in rebus* vel *ubiquitate* , & sic satis subtiliter dicunt enim ista se habere , ut actus secundus se habet ad primum , aut ut actus & habitudo ad actum : *existentia Dei in rebus* & *ubiquitas* est illis præsentia actualis , *immensitas præsentia* aptitudinalis , qua Deus aptus est esse præsens in omni re , quando est aut erit : voluntque insuper , *immensitatem* Deo competere ab æterno , existentiam in rebus & ubiquitatem solum ex tempore , quo cooperunt esse res create , in quibus existit : Nos hanc istorum hominum distinctionem suo in pretio relinquimus , & rem ipsam explicatum imus .

**I**I. *Immensitatem Dei Aquinas* probaturus *lot. cit. art. 1.* hanc adfert rationem . Omne agens debet esse coniunctum passo , in quod agit . Sed Deus est universale agens , efficiens omnia & in omnibus quæ sunt . Ergo etiam coniunctus est & intime præsens in omnibus . Hac ratione utitur ibide in suis commentariis *Cajetanus* ; utuntur & cæteri fere *Scholastici* , & inter alios longissime eam exponit *Suarez Metaph. disp. 30. scđt. 7. à num. 3. ad 44.* Verum 1. ipse *Suarez* fatetur *num. 11. principium* , in quo *major* hujus rationis fundatur , nondum esse efficaciter demonstratum , quamvis ipse sex folia integra fere consumserit circa ejus defensionem & explicationem . *disp. 18. scđt. 8. 2.* Ex doctrina *Aristotelis* , quam *Suarez* tam copiose exponit de propinquitate agentium ad passa , omnipræsentia Dei non satis efficaciter potest ostendi , quia *Arist.* solum requirit in agente , ad passum propinquitatem : at nostra questio nunc est de intima Dei in rebus omnibus præsentia & immensitate . 3. *Major* falsa est de coniunctione , propinquitate , vel immediatione *suppositi* , de qua tamen impræsentiarum est sermo : an non Sol hæc inferiora illuminat , continuo quodam influxu sine præsentia suppositali ? Et similia exempla sunt plura . Quare nos hanc rationem omitentes , aliunde probabimus Dei immensitatem , 1. ex *immutabilitate Disp. 2.6.* asserta . Nullum immutabile potest esse distans ab aliquo loco . Deus est immutabilis .

*Ergo*

Ergo non potest esse distans ab aliquo loco ; quod est esse immensum. Minor supponitur ex *disp. preced.* Major prob. quia omne distans ab aliquo loco potest ad illum moveri , sive à seipso , sive ab alio motore : immutabile non potest moveri. Ergo non potest esse distans ab aliquo loco. 2. Ex *eternitate Disp. 25.* afferata. Deus caret mensura temporis. Ergo & loci : atque adeo sicut omnibus temporibus, ita & omnibus locis est præsens : est argumentum à pari : neque ulla disparitatis ratio reddi potest. 3. Ex *infinite & perfectione Dei.* In ente infinito debet esse in summo gradu omnis perfectio simpliciter : at posse esse præsentem alicubi est perfectio simpliciter : quam enim involvit imperfectionem ? debet autem esse in ente infinito in summo gradu : non est autem in summo gradu, nisi tale ens est aptum esse ac de facto est præsens omnibus rebus & locis. Ergo. Atque hæc est *immensitas & ubiquitas.*

III. Demonstrata immensitate Dei, vindendum est ulterius, *quo modo* sit immensus : *modus* certe, quo Deus est ubique, inexplicabilis fere est atque ineffabilis, ac facilius dicitur *quomodo* non sit ubique qui ubique est, quam *quonodo* sit. Modus immensitatis, omnipræsentia & ubiquitatis divinæ, non est 1. *quantitativus*, qui fiat corporeæ molis diffusione, aut quantitatis additione, extensione, multiplicatione, prout in corporibus contingere potest. Deus enim sp̄ritus est. Neque est 2. *localis* aut *circumscripтивus*, ab ambiente seu continente corpore factus, ita ut extra illud continens non sit, qualis est præsentia corporum, loco ita circumscriptorum, ut extra illum non sint; nam talis præsentia spiritibus creatis denegatur, multo magis Deo : &, quod non est quantum, non potest circumscribi loco: &, quod circumscribitur loco, commensuratur loco : at Deus nec quantus est, nec loco commensurabilis. Quare Deus non est in loco ut contentum, neque localiter aut circumscripitive, sed ita ut sit ibi, ubi est illud, quod dicitur locus : quemadmodum ( per impossibile ) si duo corpora se penetrarent, unum quidem esset ubi esset aliud, unum tamen non esset locus alterius, neque

unum esset in alio localiter : sic Deus est ibi ubi locus est, non tamen est in eo, quod locus est, localiter. Neque est 3. *definitivus* modus præsentia divinæ : quia hic modus ita definit rem in uno spatio, ut non possit ea esse præsens alteri. At Deus est ita præsens in hoc spacio, ut simul sit in aliis omnibus, ita in hoc mundo, ut, si in finiti essent, in omnibus quoque futurus esset. Sed 4. est *repletivus, indivisibilis, illocalis, inextensus, impermixtus*, juxta quem Deus est in omni re creato totus & in quavis ejus parte, sed totus negative.

I V. Solet alio modo etiam explicari Dei *ubiquitas* aut *immenitas*, aut *omnipræsentia*, juxta vericulum vulgatum : Enter, *præsenter, Deus est & ubique potenter.* Quod sic explicant *Commentatores ad Mag. Sent. 1. dif. 37.* Deus est in omnibus per *essentiam*, quatenus substantia ejus ab omnibus habetur, quatenus omnibus intime illabitur ; per *præsentiam*, quatenus omnia sunt in ejus prospectu, & nuda atque aperta oculis ejus, sicut aliquis dicitur esse præsens in domo, cum omnia, quæ sunt in domo, sunt in conspectu illius ; per *potentiam*, quatenus omnia facit & conservat, sicut rex dicitur esse in toto regno per potentiam, quia potestas ejus ubique operatur, quatenus regit omnia : duo hi posteriores modi sunt *improprii* & *huc non pertinent*, sed primus tantum.

V. Speculativa hic sece offert quæstio, à *Scholasticis & Metaphysicis* hic disputari soleta, *An Deus non tantum sit in hoc mundo in universis locis realibus, sed etiam extra mundum in spatiis imaginariis?* ita quidem statuant *Conimbricenses*, l. 8. *Phys. 10. quæst. 2. Fonseca l. 3. Metaph. c. 15. quæst. 9. f. 4.* multique alii. Nos cum iis quoque afferimus, Deum actu & vere esse extra mundum ; & quoniam spatiū infinitū imaginamur extra cœlum, vere Deus est in hoc spatio infinito imaginario: quia quod est immensus, aptum est replere & replet omnia loca vera & imaginaria: &, si Deus non esset in spatiis imaginariis extra mundum, tum si alium mundum conderet (quod non implicat) vel si hunc transferret in locum alium, aut non esset ibi,

aut acquireret novum locum & mutaretur, quod absurdum. Deus tamen extra hoc est universum, non tanquam in mundo hoc visibili, sed ut excedens universa & potens condere nova entis in isto spatio imaginario, in quibus intime fit: nam cum Deus dicitur esse in spatiis extra mundum, & *extra mundum*, potest accipi bifariam; vel sic, ut designet & determinet aliquid reale extra mundum, in quo Deus sit, & ita Deus non est extra mundum; vel potest accipi *nō extra* pro eo, quod est non intra, limitate, quo pacto Deus est extra mundum, quia non limitatur, non coarctatur, intra hunc mundum, non refringitur ad hoc universum, quia ab eo non continetur, non definitur, sed vero ipsum longe excedit. Atque ex his etiam intelligitur, Deum non esse in spatiis imaginariis extra res creatas secundum respectum continentis, quia hujusmodi respectus continentiae fundatur in efficientia Dei, per quam ponitur in esse res, in qua dicitur existere, per modum, non contenti, sed continentis: ubi ergo nihil effect, non existit isto modo: at in spatiis imaginariis nihil effect Deus. Ergo. Est itaque Deus in ipsis, ut erat ab aeterno antequam mundum conderet.

V I. Verum enimvero, ut hoc negotium de spatiis imaginariis, & quomodo in iis existat Deus, dextre intelligatur, paulo fusiis de eo philosophabimur: est enim difficile & dignum explicatu: procedemus à simili aut potius dissimili. Corpus alicubi existens duplice respectum significare potest: Primus est contenti ad continens, ut est aqua ad vas in quo existit: secundus est respectus replentis ad id quod erat de se vacuum, quomodo corpus dicitur esse in spatio, & totus mundus dicitur esse hic, tanquam replens hoc totum spatium: atque inter hos duos respectus ad vertenda est differentia: nam primus terminatur ad rem realem, continentem, distinctam à re contenta: secundus non item: sed est tantum modus quidam corporis, quo replet hoc spatiū, & non aliud: ipsum enim spatiū, quod repletur à corpore, non est res aliqua, sed est quadam distantia aut vacuitas, apta repleti corpore. Deus neutrum istorum respectuum habet proprie: habet tamen aliquid proportio-

naliter correspondens utriusque. Deus non est in aliqua re tanquam contentus ab illa: sed est in omnibus tanquam continens illas virtute activa, qua eas conservat, qua est eadem cum illa, qua creavit: & hunc primum respectum non habet Deus in spatiis imaginariis extra mundum, quia hujusmodi respectus fundatur in Dei efficientia, per quam res ponitur extra causas. Rursus, Deus est in aliquo spatio tanquam replens illud, sed non modo quantitativo instar corporis, quia Deus quantus non est; loco tamen hujus respectus debemus intelligere in Deo quandam praesentiam substantialis, qua per substantialiam suam adeit omnibus rebus quasi substantialiter replens illas, quia intime inest in omnibus: & hos duos in Deo respectus distinguit intellectus, & intelligit unum non esse alium: nam si (per impossibile) intelligeremus Deum non conservare hunc mundum & intelligeremus nihilominus Dei substantialiam infinitam & immutabilem, possemus intelligere substantialiam Dei praesentissimam rebus omnibus & esse intra omnes: nam substantialia Dei infinita ubique est immutabiliter: & si cessaret ejus actio conservandi res, & cessante conservatione posset manere creatura, nihilominus ibi & in creatura Deus esset ac maneret. Hisce animadversis, negamus Deum in spatiis imaginariis habere respectum primum continentis, qui fundatur in creatione & conservatione rerum ad extra; affirimus tamen Deum vere esse in iis praesentia substantiali repletiva: neque ad substantialiam Dei ac repletivam praesentiam in spatio, est necessaria ejus operatio, neque requiritur respectus alicuius creaturae, termini aut entis realis, quod terminet Dei praesentiam substantialiam repletivam: & hoc probamus à simili: quia ut corpus replete aliquod spatium, non est necessarius respectus continentalis, id est, ut continetur ab alio corpore: Ergo multo minus in Deo. Probatur antecedens. Nam totum hoc universum revera replet hoc spatium in quo est, non tamen continetur ab aliquo corpore, quia extra cælum extimum nullum est corpus ambiens, aut datetur progressus in infinitum: & ponamus Deum condere hominem extra hunc mundum;

mundum ; homo iste repletet spatium & tam non contineretur à corpore : ponamus, Deum annhilare totum aërem & aquam, terra nihilominus repletet suum spatium ; licet contineretur à corpore : imo , concipiamus, Deum annhilare omnia sublunaria intra concaum Lunæ , & sibi esse decretum , perpetuo conservare hoc vacuum , certe illud vacuum totum esset plenum substantia Dei : nam non potest concepi , quomodo sit Deus præfens futurus toti celo , nisi simul præsens sit illi spatio intermedio : & , si oculis corporeis viseri posset , videretur in isto spatio. Quare iste respectus ad spatium , quod repletur , non requirit rem distinctam extrinsecam ab ipsa re , quæ dicitur esse in spatio , sed solum significat modum intrinsecum ejus , qui non dependet ab aliqua efficientia , neque ab aliqua re extrinseca : & sive spatium , quod repletur , contineat aliud corpus , sive non , hoc nihil facit aut pro aut contra hoc nostrum infinitum.

VII. §. 1. Exceptio. Illud spatium imaginarium est nihil , ergo non potest intelligi Deus esse in illo , quia esse in aliquo dicit habitudinem ad rem realem . confirmatur : nam ratio , cur Deus ab æterno non fuerit in mundo , est , quia mundus tunc nihil erat. Resp. 1. In genere , proferendo instantiam in corpore & mundo replete spatiū ; nam quæro , quomodo in eo sint , si spatium est nihil. 2. In specie , negando consequentiam , & ad probationem dicendo , quod esse in aliquo secundum respectum continentis & contenti , dicit habitudinem ad rem realem : at esse in aliquo tanquam replens illud , per suam præsentiam , non dicit habitudinem ad rem realem , distinctam ab ipsa re , quæ ibi dicitur existere : sed solum dicit in illa modum quendam se habendi , qui est in corporibus ubicatio passiva , in Deo impenitus : ad confirmationem , falsum est illud antecedens , nam Deus ab æterno fuit in isto spa-

tio , quod nunc mundus replet : si enim incepisset esse in hoc spatio , cum mundum conderet demum , fuisset mutatus , quod absurdum. §. 2. Exceptio. In rebus possibilibus Deus non est , quia nihil sunt , ergo nec in spatiis imaginariis , que pariter sunt nihil. Resp. Est elenches parium aut similiū. Deus est in rebus , prævia causalitate , & creandi & conservandi , quæas quasi continet ; at eam non exercet circa res possibilēs , quamdiu manent tales & sunt in potentia. Et ideo non est in rebus possibilibus , ut sic. At in spatio non dicitur Deus esse media causalitate , sed per substantiam suam , qua replet illud : at res possibilis repleti nequit. Ergo. §. 3. Exceptio: Deus solum est ubi operatur : at in spatio imaginario non operatur. Ergo. Resp. Vid. th. 2. hujus disp. deinde vera est major de modo existendi in rebus per modum continentis , non de modo existendi secundum præsentiam substantiale & repletivam. §. 4. Exceptio. In spatio imaginario potest tantum esse aliquid imaginari : at ut Deus sit alicubi imaginari , est absurdum. Ergo. Responde. Illud spatium dicitur imaginarium ; in quantum illud singimus & imaginamur per modum entis positivi , ut tale , ad ipsum explicandum : tribuuntur enim ei à mente nostra quedam attributa , ac si ens positivum foret : in re tamen nihil positivum reale dicit : ac licet nihil sit reale , est tamen sūo modo , ut privationes sunt : est enim privatio aut corporis aut rei , quæ in eo esse potest : est enim tanquam vacuum quoddam aptum repleri corpore : vacuum autem privationem significat : & hoc satis est , ut res spatio isto dicatur esse , sicut res dicitur replere vacuum : interim respectu Dei omnia impletis non est vacuum , & Deus in eo est vere non imaginari : Quod autem hoc vacuum spatium ac privatio illa ab æterno fuerit , nihil est absurdum : sicut non est absurdum quasdam relationes aut modos ab æterno fuisse.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

V I G E S I M A - O C T A V A,

D E

## ORT. ANIMÆ RATIONALIS.

## T H E S I S I.

**C**Um disputationum harum curriculum instituimus primum, promiscue nos de variis actiis esse materiis, nullo servato ordine, ad solum placitum & lumen Respondentium, disp. pr. indicavimus: atque ita diversas jam sumus explicando persecuti. Inter disputationes jam ante habitas, sexta fuit *De Ortu animæ rationalis*, quam tunc non ex traduce sed à Deo esse nō auctorū nō argumentis aliquot adstruximus: nunc visum est à *Traduciorū* argumentorum, si non omnium faltem præcipitorum, in partem contrariam, institueri, & solutionum fontes breviter proponere.

11. *Argumenta pro rationalis animæ per traducem propagatione*, duum sunt generum, quædam *Theologica*, quædam *Philosophica*. *Theologica* ex variis Scripturæ locis defumta ad *Theologos* ablegamus, nisi quod unicum illud ac tritissimum & à *Traduciori* fere pro insolubili habitum à peccato originali defumtum, bona *Theologorum* pace & venia, hic solvere, pretium nobis videatur opera. 1. Hoc igitur esto decantatissimum pro traducere argumentum. *Si anima rationalis non propagetur a parentibus in liberos per traducem*, ergo nec peccatum originalis propagari aut traduci poterit: quia non potest accidens traduci aut propagari sine subiecto. Ad hoc palmarium *Traduciorum* argumentum variis modis responderi solet à *Philosophis* pariter ac *Theologis*: posunt videri variae variorum solutiones in unum congetæ à Rob. Baronio, in *philosophia Theologie ancillantis Exercitatio secunda*, art. 8. & sequentibus. Nos, ne a liorum sententias operole exponendis & tempus perdamus & chartam, sic hunc nodum solvimus. *Negamus consequentiam & in pro-*

batione falsam adstrui hypothesin

, quod peccatum originale sit accidens, dicimus: atque ut totum negotium clarissime percipiatur, duas hasce quæstiones accurate inter se se distinguedas censemus. 1. *Quenam concurrant ad peccati originalis propagationem?* 2. *Quenam sit causa proxima efficiens vel deficiens potius, per quam inexsistat aut inhæreat peccatum originale, Patro aut Paulo immediate, ut ejus singularē peccatum?* Quemadmodum longe etiam differunt, quænam concurrant ad generationem? &c, quænam sit causa proxima geniti? Primam quod spectat quæstionem, concurrunt ad peccati originalis propagationem. 1. Adamus. 2. Singuli homines qui nascuntur. 3. Parentes. 4. Deus. §. 1. Adamus concurrens, ut caput & radix generis humani, quod ipse representavit, dum peccaret. §. 2. Homo unusquisque, qui nascitur, concurrens ad propagationem peccati originalis, tum ut subjectum ejus, tum ut causa directe causans deficiens, propria, proxima, emanativa hujus venenatae qualitatibus. §. 3. Parentes concurrunt per generationem, quæ est tantum causa sine qua non existeret peccatum originale in hominibus. §. 4. Deus concurrens ad peccati originalis propagationem, & ut creator, & ut justus judex, justa & efficaciter providentia; primum efficienter procurando propagationem hominum, producendo corpus, creando animam: sine quo utroque nulla esset peccati originalis propagatio: deinde permittingendo, ut omne peccatum, sic & originale, quod sit: denique non suppeditando donum imaginis suæ, quæ non est actio realis & positiva, sed cœfatio potius ac deficiencia ab actu in Deo ac justa hominis poena: intelligimus hic deficienciam non moralem, qua Deus deficiat

deficiat ab eo quod debuit, sed naturalem (ut loquuntur) qua quis deficit ab eo, quod potuit, sed non, quod debuit: atque hæc omnia, quæ à Deo procedunt, sunt tantum antecedentia, respectu peccati originalis, quod propagatur, & non causæ, adeoque inferunt necessitatem consequentie tantum. Atque ut ad secundam questionem respondeamus quoque distincte, Deus nullo modo est causa, nec principalis, nec instrumentalis, nec meritoria, nec remota, nec proxima, cur peccatum originale sit in Petro vel Paulo, quamvis sit causa justæ subtractio-  
nis imaginis suæ & sit causa suæ permissionis, itemque productionis animæ ac corporis, ad quæ omnia peccatum originale sequitur, tanquam consequens ad antecedens. Sed nec parentes, qui generant, nec ipsa generatio, sunt causa per se, seu principalis, seu instrumentalis, sed merum sunt antecedens, sine quo non existeret peccatum originale in Petro, aut Paulo: per parentes & generationem enim producitur subiectum quidem peccati originalis, Petrus aut Paulus, non vero ipsum peccatum originale: simul ac tamen Petrus est productus aut Paulus, jam statim quoque hoc peccatum originale est, absque quo, ne momento quidem, illi sunt. Itaque proxima causa, non quidem efficiens proprie sed deficiens, per quam inexsistat aut inhæreat Petro vel Paulo peccatum originale, est ipse Petrus vel Paulus, & unusquisque homo sui peccati originalis & principium & subiectum simul, & author & possessor est. *Ad probationem*, quod dicitur accidens non posse traduci aut propagari sine subiecto, respondeo, peccatum originale non esse accidens, neque tamen substantiam, sed privationem: ideoque non est querenda positiva & realis causa, quæ reali actione hoc peccatum producat, nam actionis positiva ac realis terminum oportet esse realem & positivum; sed illa, sive propagatio, sive traductio, peccati originalis à parentibus in liberos, privativa potius est ac moralis, quam positiva aut physica: &c. concipi debet eo modo, quo traducitur ac propagatur in prolem privatio privilegiorum, paupertas, infamia, propter crimem progenitoris. Atque ex hisce satis liquet inepta hanc questionem vulgo proponi; aut

*per animam propagatur peccatum originale, aut per corpus?* Resp. Per neutrum; quero enim similiter, aut per animam propagatur paupertas, aut per corpus? respondendum est haud dubie, per neutrum. Sed sicuti iustitia originalis erat totius hominis, ita & peccatum originale: & sicut ista fuisit propagata à toto homine in totum hominem, etiam creante animam Deo, ita nunc & peccatum originale propagatur à toto homine in totum hominem, etiam creante animam Deo: absurde ergo queritur, per utrum propagetur.

III. 2. Argumentum esto tale. *Si anima hominis non producitur virtute feminis, igitur homo non generabit hominem, sed tantum corpus ejus, quæ pars est hominis inferior atque ignobilior.* Resp. Homo vere generabit hominem et si anima à Deo creetur; 1. Non quod tribuat ei corpus tantum, sic enim generat corpus hominis, non totum hominem, & generatio non est nuda materia suppeditatio. 2. Non quod disponat corpus ad receptionem animæ, quia hæc est tantum mutatio ad qualitatem & alteratio, generatio vero est ad substantiam. 3. Non quod ex materia educat aut in ea efficiat animam vegetativam vel sensitivam; nam sic homo non hominem, sed hoc vivens, & hoc animal, seu rudimentum potius utriusque, generaret. 4. Sed quia animam rationalem substantialiter unit, ut jam illa incipiat informare, inhabitare, implere totam materiam corporis; nam generare hominem, est, tribueret non esse homini: at esse hominis, neque in anima, neque in corpore tantum, conficit, sed in unione ejus, ut homo vere constet anima & corpore, homo; enim non est talis per alteram effientia partem, sed per totam effientiam, quæ non est nisi anima & corpore unitis. Instantia 1. *Deus creando animam unit.* Ergo non est opus actione generantis, quæ unitat. Resp. Cum Deus creat animam, unit quidem, sed non se solo, verum simul cum generante, concurrendo cum eo per communem concursum ad actionem unitivam, quam generans virtutis seminalis interventu elicit. Instantia 2. *Nulla potest dari actione unitiva ex parte generantis, quia deberet esse spiritalis propter terminum ad quem talem:*

*at hec à potentia materiali, virtute seminali, proficiunt non potest.* Resp. 1. A potentia materiali posse elicere actionem spiritalem, quando ista actio non est productiva rei spiritalis, sed ejus tantum unitiva. 2. Licet actio illa tendat ad animam rationalem, quae est immaterialis, versatur tamen circa eam, quatenus est unibilis corpori, & quatenus sic habet anima rationalis aliquo modo esse materiale, & dependens à corpore, tanquam à materia in qua sit & cui uniatur: quod ut melius concipiatur, notandum est, rationalem animam posse spectari absolute quoad suam essentiam simpliciter, vel relative ad corpus cum quo unitur & cuius est forma: quoad essentiam, à corpore nullo modo dependet; at in quantum forma est, haec tenus dependet à corpore, ut officium informandi & actuandi exercere nequeat, ut forma esse non possit, nisi cum corpore uniatur: & sic atque sub hoc respectu terminatur actio unitiva hominis in animam: itaque est actio quidem illa, respectu principiū agentis, materialis; secundum quid, ratione termini uniendi, spiritalis; quatenus est conjunctio seu unitio formae spiritalis cum subiecto materiali. *Thomas & Thomistæ generationem substantialem viventis considerare* ajunt in pura quadam resultantia ad formam substantialem & totum compositum terminata, ita ut non sit actio distincta à precedenti alteratione, sed ut ista resultantia naturalis, & forma, & compositum, quæ resultant, sint termini alteracionis secundarii, terminus vero ejus primarius sit dispositio ultima & reliqua ultimam precedentes: imo impossibile existimat, ut forma substantialis aut totum compositum producatur ab agente actione, quæ directe ad ipsam substantiam terminetur, sed produci volunt tantum indirecte per resultantiam, ut dixi, naturalem, ratione nexus inter dispositiones introductivas & ipsam formam. Videantur de hac sententia, quam latius explicant & propugnant, *Complutenses in lib. de Generat. & corrupt. disp. 2.*

I V. 3. Argumentum est. *Quomodo producitur anima vegetativa & sensitiva, eo modo & rationalis; quia est una & eadem secundum substantiam & rem anima. Sed vegetativa &*

*sensitiva anima producuntur ex semine. Ergo.* Resp. Negamus, vegetativam, sensitivam, & rationalem, eandem, quoad substantiam & secundum rem, esse animam: sed vero hæ animas in homine sunt distinctæ, & anima vegetativa ac sensitiva formæ sunt, non quidem hominis, sed in homine, disponentes ac subordinatae, rationalis, principalis ac ultima, & non tantum in homine sed ipsius hominis: quod quia alias est probatum, objectionem hanc solvemus. *Si in homine sunt tres anime, vel omnes sunt immortales ac separabiles vel intellectiva tantum.* Resp. intellectiva tantum. Instantia. 1. *Hinc sequetur, in resurrectione non redire eundem hominem absolute, ut qui duas novas animas accipiat.* Resp. Non sequi hoc, quod infertur. Quia nova istæ animæ non magis diversitatem inducunt, non magis unitatem & identitatem hominis tollunt, quam novæ formæ accidentales, quæ quotidie novæ inducuntur: & in resuscitatione erunt, novus calor, humiditas, temperies; erunt & novæ formæ corporeitatis ac mixti, & totales, & partiales: nam, quoad totales, forma corporis humani perit: accipit enim materia in resolutione varias formas aliorum corporum, pulvri, vermium, &c. partiales quoque formæ, capitis, cordis, brachii, manus, &c. perirent, quæ in resurrectione novæ inducentur, & tamen erit idem numero homo: fundamentum hujus rei est, quod formæ disponentes, five substantiales, five accidentales, identitatem numericam non mutent, licet ipsæ mutentur. Instantia. 2. *Sequitur novas illas animas damnari, licet nihil mali fecerint, vel salvari, licet nihil effecerint boni: quod cum justitia & veritate Dei nequit consistere.* Resp. Nullo modo sequi illationem: nam nec anima vegetativa, nec sensitiva, sunt subiectum premii vel poenæ, sicut proprie non sunt subiectum nec causa boni vel peccati, sed anima rationalis, ut proprie peccat & bene agit, ita proprie illa punitur vel premiatur: animæ istæ uti in peccando & bene agendo sunt conditiones tantum & cause sine quibus non, aut ad summum instrumenta, ita & in premiendo & puniendo: certe gloria illa cœlestis non pertinet ad partem sensualem aut vegetantem. Deinde,

Deinde, non sequitur, si hæc temperies & hæc dispositiones iunt, cum pecco, ergo hæc ipsæ debent puniri, aut non idem numero corpus vel homo punietur: nam pone hominem quem peccare anno vigesimo, puniri centesimo, non sunt tum eadem in ipso temperies, aut exædem dispositiones, & tamen idem numero homo punitur: tota sane temperies corporis humani omnesque ejus dispositiones in

morte intereunt & novæ producentur in resurrectione, & tamen idem numero corpus ac homo punietur: ita etiam licet novæ animæ sint vegetativa & sensitiva, quam ea in quibus homo peccavit, idem tamen homo punitur, qui habent se istæ animæ ad hominem, ut temperies ad corpus, utrobique ut dispositio, quæ unitatem ut non facit, ita nec auferit. Similiter de præmiatione est dicendum.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

V I G E S I M A - N O N A ,

D E

## S C I E N T I A D E I .

### T H E S I S I .

**I**N Disputationum harum curriculo vigesimam instituimus de scientiæ divinæ immutabilitate; in qua ejus, tum descriptiōnem, tum partitionem, supposuimus: nunc animus est, ipsam *Dei scientiam* nonnihil latius exponere. Disputat de ea *Aquinus* i. *summ. Theol.* 14. & ibidem *Commentatores*, *Metaphysicæ & Pneumaticæ scriptores*, in attributis Dei explicandis; qui authores videri possunt: nos in compendium contrahemus, & pauculis thesibus comprehendemus, quæ diffuse ab iis disputantur.

11. *Eſſe in Deo scientiam*; non quidem quæ sit qualitas, aut habitus, aut cognitio realiter ab intellectu deducta ex præmissis, ut scientia est in nobis; hæc enim omnia imperfectionem arguunt, quæ à Deo est removenda: sed eam dari in Deo, quæ sit certa & evidens cognitio, eadem cum essentia divina, sicuti & reliquæ sunt affectiones, & non realiter ex præmissis deducta, ex Scripturis est manifestum, at nos rationibus probatum dabimus. §. 1. Omne quod agit propter finem, aut sibi finem præstítuit, aut ipsi finis ab alio præstítuit: sed agentia naturalia agunt propter finem, quia uniformiter & certo operantur: ergo aut ipsa sibi finem præstítuit, aut ab alio iis præstítuitur. Sed multa agentia natu-

ralia non possunt sibi præstítuere finem, quia carent cognitione, ut ignis & aqua &c. Ergo ab alio præstítuitur illis finis, in quem diriguntur: sed ille alius non potest esse nisi Deus, qui est causa illorum, & supra omnia illa. Ergo Deus ordinat illa omnia in suos fines. Sed ordinare alia in finem, nequit fieri absque intellectu, scientia, aut cognitione. Ergo Deus est substantia intellectualis, scientia & cognitione utens. §. 2. Omne agens agit propter finem. Deus est nobilissimum agens. Ergo. Hoc præmisso: vel iste finis est alius extra Deum, vel est ipse Deus. Si alius extra Deum, intendit eum, vel per cognitionem, & habemus intentum, vel absque cognitione; si hoc, dirigetur ab alio, quod est contra rationem principiū primi, uti est Deus. Si Deus est finis sui ipsius, ergo cognoscit se & appetit se: aliqui non esset finis sui nam finis non est finis, nisi appetatur, non appetitur nisi cognitus: est enim cognitio conditio ad finis causalitatem exercendam necessaria. §. 3. Prima causa continet omnes perfectiones inferiorum in se; alioqui non esset causa eorum. At in inferioribus est scientia ac cognitio. Ergo & in Deo. Plures rationes videri possunt apud Thom. Aquin. in *summa contra Gentes* l. 1. c. 44. & apud *Ferrariensem* in *commentariis ibidem*.

III. Diximus statim, scientiam Dei esse ejus substantiam seu essentiam, quod varii rationibus comprobatur ab Aquin. contra Gentes l. i. c. 45. & in summ. Theol. i. part. quest. 14. art. 4 pro omnibus hec duas sufficiant. 1. Quicquid formaliter est in Deo, est ipse Deus. Scientia formaliter est in Deo. Ergo. Consequentia certa est: minor patet, quia scire est actio immanens, & manet in ipso scientie: & dicitur quis formaliter sciens a scientia: at si scientia formaliter non esset in Deo, non posset intrinsecce Deum denominare. 2. Si Dei scientia non esset eadem cum ejus essentia vel substantia, Deus haberet se per modum subjecti perfectibilis respectu scientiae, à qua perfici posset, & sic imperfectus foret. At hoc est absurdum. Ergo. Ex quibus liquet scientiam se non habere in Deo, ut potentiam, vel habitum, vel speciem impressam, quia hec omnia distinctionem fere dicunt realem inter se & sciendi actum.

IV. Si scientia Dei est eadem cum ejus essentia, ergo quousque extenditur divinum esse, & eo usque expanditur divinum scire: unde quodnam sit objectum scientiae divinae facile videre est, sc. Deus ipse & id omne ad quod extenditur divinum esse: at divinum esse extenditur extra se ad omnia: omnia enim à Deo acceperunt & esse & veritatem. Deus ergo, & seipsum sciet sive intelligit, & omnia illa extra se: imo, se sciendo atque intelligendo simul etiam scit & intelligit omnia alia extra se: dum enim videt essentiam suam & bonitatem suam contemplatur, videt & intelligit, quot modis esse suum & sua bonitas possit rebus communicari: res autem tam variæ in natura fuint, quam variis modis divina essentia & bonitas communicatur. Itaque, per distinctionem essentiae ac bonitatis suæ cognitionem, res etiam omnes & earum naturas ac proprietates cognoscit; nec tantum genera intelligit aut species, sed & singularia atque individua in rebus.

V. Sed de objecto scientiae divinae paulo adhuc specialius est philosophandum. Solet illud à Scholasticis dividi in motivum & terminativum. Objectum motivum scientiae divinae est essentia divina: nam quicquid Deus

scit aut intelligit, per essentiam scit aut intelligit, tanquam perrationem & motivam cognoscendi ē & alia à se: objectum terminativum scientiae divinae est primarium vel secundarium: illud est ipsa essentia divina; hoc est omne aliud, quod non est essentia divina: hinc creature sunt objecta secundaria scientiae divinae, quia secundario terminant cognitionem divinam: & quavis eas cognoscat Deus secundum quod in se sunt, nam cognoscit homines secundum quod homines sunt, non tamen prout in seipsis reluent, sed prout reluent in essentia divina, quia essentia divina rectius representat illas, quam ipsæ creature seipſas representant. Videatur de objecto scientiae divinae, tum motivo, tum terminativo, tum primario, tum secundario, Iob. de Rada controvers. inter Thomam & Scotum parte prima, controv. 29. art. 1.

VI. Potest & objectum scientiae divinae distinguiri in positivum & negativum. Positivum est ens reale, quod sub ratione veri à Deo scitur ac cognoscitur: cognoscit autem Deus ens reale sub ratione veri ita, ut entitas realis sit quasi materiale, sive illud, quod cognoscitur, veritas sit nō formale objecti, sive ratio sub qua cognoscitur: positivum hoc objectum est, tum Deus, tum creatura, vel producta, vel producenda. Negativum objectum, si sic vocare liceat, quod vere objectum non est, illud est, quod intellectus Dei non sub ratione positivi entis sed sub ratione non-entis apprehendit: estque vel pure negativum vel quodammodo privativum, (verba enim hic nobis defunt fere ad exprimendum) illud est, quod cognoscitur à Deo sub ratione puri non-entis, id est, talis, quod neque sit de facto, neque esse possit: & ita Deus cognoscit entia rationis sive ficta & impossibilia: hoc est, quod cognoscitur à Deo sub ratione quidem non-entis actualis, id est, talis, quod neque est, neque fuerit, neque futurum sit, attamen deprehenditur in illo, ratio entis possibilis, id est, talis, quod Dei potentia producere possit: & ita Deus cognoscit omnia possibilia, nunquam tamen extra se producenda.

VII. Sed enim incedamus per omnium, que scientiae divinae objiciuntur, classes.

§. 1. Deus scit seu cognoscit seipsum, tanquam objectum primarium. Si enim Deus habet seientiam perfectissimam, ergo oportet ut seipsum primario cognoscat: nam perfectissimae cognitionis objectum primarium debet esse perfectissimum. Scientia Dei est perfectissima, & Deus est objectum perfectissimum. Ergo Deus est objectum primarium suae cognitionis. Ergo seipsum primo cognoscit. Hoc negotium accuratissime explicat Iac. Carpentario digress. 3. in Alcinoum pag. 257. & Rada. loc. cit. pag. 456.

VIII. §. 2. Deus cognoscit omnia alia extra se, seu, omnes creature, quas vult extra se, ita ut vere sint objectum terminativum scientiae divinae. Deus enim perfectissime cognoscit seipsum, ergo etiam virtutem suam: ergo perfecte cognoscit illa, ad quam sepe extendit ejus virtus. Ergo cognoscit alia a se, quia ad ista sepe ejus virtus extendit. Vel sic. Deus cognoscit voluntatem suam, ergo etiam cognoscit omnia, quam vult: quia voluntas adaequata non cognoscitur, nisi cognoscatur & actus & objectum ejus. At creature omnes extra se vult Deus. Ergo.

IX. §. 3. Deus cognoscit res universales & singulares, spirituales & materiales. Probatur. Deus cognoscit res per suam seientiam: atque seientia Dei est representativa omnium rerum, tum singularium, tum universalium, tum materialium, tum immaterialium. Ergo.

X. §. 4. Deus cognoscit res, non tantum praeteritas ac praesentes, sed & futuras, sive contingenter, sive necessario. Quod res sciat Deus, & praesentes & praeteritas, de eo non controvexitur: sed major est dubitatio de scientia futurorum contingentium divina, quam presentiam alii vocant. Sed & eam asserimus contra nonnullos hic Sophistas, eam vellicantes & in dubium trahentes. Nam 1. si Deus non cognoscet res futuras contingenter, esset in potentia passiva cognoscendi eas: neque enim illa est ab eis parte repugnantia ut possint cognosci: at Deus non habet potentiam passivam, quia est purissimus actus. Ergo. 2. Certum est, Deum res contingentes, quam nunc existunt praesentes, cognoscere. Ergo, vel novit eas antequam existerent &

cum essent futurae, vel ignoravit: si prius, habemus quod volumus: si posterius, ergo, cum postea cognovit, factus est ex non scientie sciens, quod ejus perfectioni repugnat. vid. Rad. part. 1. controv. 30. art. 3.

XI. §. 5. Deus scit omnes creature possibilis, etiam eas, quas nunquam voluit producere.

1. Deus cognoscit suam potentiam. At illa sepe extendit ad omne possibile. Ergo cognoscit & omne possibile. 2. Si res possibles a Deo non cognoscantur, ergo Dei scientia non extendet se ad omnia scibilia. Atqui hoc pugnat cum ejus perfectione. Ergo.

XII. §. 6. Deus cognoscit etiam impossibilita. Quia Deus non potest cognoscere impossibilita, nisi eodem actu simul cognoscat ea, quam non sunt possibilia: dum enim possibilia apprehendit, negative se filtere cogit in aliquo impossibili: alioqui, vel omnia possibilia non nosset, vel saltem accurate non nosset. Atque hinc liquet, Deum non habere ideam impossibilium, ut Chimerae, sed ex idea possibilium cognoscere impossibilia per actum negativum: sic Deus cognoscit Chimaram, cognoscendo tales partes non posse simul conflari: & certe, Deus novit omne verum: at Chimaram non esse possibilem, est verum. Ergo.

XIII. §. 7. Deus cognoscit entia rationis. Nam Deus cognoscit omnem actum rationis humanae & objectum in quod tendit. At entia rationis sunt per rationis actum & ejus objectum aut terminus potius. Ergo. Si diccas, ergo Deus etiam facit aut fingit ens rationis. Negamus sequi. Aliud est, facere & fingere ens rationis, aliud cognoscere illud factum & factum. Posterior Deo adscribimus, prius non item: quia facere ens rationis est imperfectionis, est enim quia mens non potest simul & semel rem omnem & totam intelligere: at intelligere ens rationis est perfectionis: imperfectio enim est, aliquid non intelligere.

XIV. §. 8. Deus cognoscit mala, sive moralia, sive physica, sive culpe, sive penae. 1. Deus circa mala speciales exercet actus bonitatis suae, ea vel permittendo, vel ordinando, & in poenam, & in bonum peccantium, &c.

Ergo novit Deus enim scit, quod vult & agit. 2. Omnia mala sunt privationes bonitatis. Ergo Deus cognoscendo formas bonitatis, cognoscit etiam negationem bonitatis: nam privatio cognoscitur per habitum, ut cæcitas per visum; unde privationes per habitum definiuntur. Dices. *Deus omnia cognoscit per essentiam, tanquam omnia representantem: at peccatum non representatur in essentia divina, quia hoc tantum est idea & fons bonitatis: sicut nec falsitas in veritate, nec nigredo in albedine repre-*

*sentari potest. Ergo. Resp. Malum quidem non representatur à bono tanquam ab exemplari ejus, nam sic bonum esset idea malorum. Sicut neque falsitas representatur à veritate, nec nigredo ab albedine: nihilominus per bonum intelligitur oppositum ejus, malum, quia opposito modo fœl habet: itaque per ideam boni cognoscit, quid sit recessus à bono, & per ideam rectitudinis, quid sit recessus à rectitudine, &c. Quæ de scientiæ divinæ modo & divisione disputari solent, sequens exhibebit disputatio.*

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

#### T R I G E S I M A,

D E

#### SCIENTIÆ DIVINÆ MODO AC PARTITIONE.

##### T H E S I S I.

**D**isputatio præcedens in *Deo esse scientiam* ostendit, & quodnam ejus sit *objectum* exposuit: nunc scientia divinæ modum & partitionem proponemus, exorsi à modo.

11. *Modus scientiæ divinæ est §. 1. universalissimus*, quia extendit se ad omnia scibilia, quorum classes exhibuimus *disp. præced.* §. 2. *perfectissimus*, tum extensive, quia est universalissimus, tum intensive, quia, ut omnia attributa Dei, sic & scientia dicit perfectionem infinitam: hinc vocatur etiam *sapientia*, quæ vulgo dicitur objecti perfectissimi cognitione *perfectissima*. §. 3. *comprehensivus, quidditativus, adæquatus*, quia quodvis objectum sciendo exhaustit, ut nihil reliquat in eo sibi *incognitum*. §. 4. *clarus & distinctus*, nam nō vage & confuse cognoscere est imperfectio: at Dei scientia ex §. 2. est perfectissima. §. 5. *verissimus*, quia rem videt eo modo quo est: & in Deo, qui est ipsa veritas, nulla potest reperiri falsitas. §. 6. *certissimus & infallibilis*, quia decipi est ex errore: at in Deum non cadit error, quia esset imperfectus. §. 7. *immutabilis*, quod demonstravimus *disp. 20.* §. 8. *simplicissimus*, quia uno actu & ictu intelligit

quæcumque intelligit: & pugnaret actuum sciendi plurium successio cum ejus immutabilitate & aternitate. §. 9. *non per compositionem & divisionem*, quia compotio & divisio imperfectionem arguit & successionem dicit ac multiplicationem actuum. §. 10. *non per discursum*, quia, sive sit continuus, sive discretus, uterque implicat plures cognitiones, aliisque imperfectionibus est obnoxius. §. 10. *non a priori aut posteriori*, uti nos tali modo cognoscimus, quia Deus non cognoscit unum per aliud, sic enim ex cognitione unius deducetur in cognitionem alterius, sed cognoscit unum in alio aut cum illo. *non per speciem intelligibilem intellectu superadditam*, nam species intelligibles intelligentem perficiunt & ad actum traducunt, notantque insuper variam imperfectionem, tum potentiae passim, tum distantiae agentis à passo, tum dependenter ab objecto; at hæc omnia longissime absunt à Deo. *sed est §. 12. per essentiam divinam immediate, omnia Deo representantem perfectissime*, quo respectu illa habet rationem *ideæ*. Sed de *ideis divinis*, aut *essentiis Dei*, ut *ideæ*, alias latius cum Deo decretum est publicis disputationibus agere. Nunc ad partitionem scien-

scientiæ divinæ ab ejus modo nunc explicato transeamus.

III. Scientia Dei, utcunque in se sit una ac simplicissima, pro diversitate tamen objectorum & respectuum ad objecta, distinguui solet in scientiam simplicis intelligentie & visionis: Nostro enim intelligendi modo scientia Dei, vel consideratur respectu possibilium, ut possibilia sunt præcise, quæ scientia determinari potest à voluntate Dei & à libero ejus decreto, vel consideratur non tantum respectu possibilium ut sic, sed etiam respectu futurorum, quæ in aliqua differentia durationis post jam factam determinationem voluntatis futura erant: prior, quod ex vi folius intellectus & independenter à voluntate in Deo sit, *naturalis, abstractiva, indeterminata*, dicitur; altera, quia quasi subsequitur liberum voluntatis divinæ decretum & per modum quendam intuitionis terminatur ad res ipsas, quatenus pendent ex voluntate divina quantum ad futuritionem aliquam, quæ de se respicit existentiam certam, *libera, intuitiva, & determinata*, vocatur: prater has duas tertiam quendam in Deo scientiam exocigitarunt *Iesuitæ*, eamque avide arripuerunt *Remonstrantes*, per quam ante omne decretum suæ voluntatis prædeterminantis actum futurum cognoscat, quid liberum arbitrium creatum facturum sit, si in talibus circumstantiis constituantur: opositum cogniturus, si opositum voluntas creata, ut potuisset, ita voluisse facere. Una igitur juxta hos est possibilium scientia, nempe simplicis intelligentie; sed duæ sunt futurorum, altera absolute, quæ vulgo *visionis*, altera sub conditione, quæ *conditionata* dici solet: hæc scientia conditionata, cum nec naturalis sit præcise nec libera, sed respectu objecti libera, respectu subjecti naturalis, *neutram & medium* eam vocarunt, qui invenerunt: nam de genuino ejus parente, haud segnus ac de puerō vivo coram Salomone meretrices, ipsi inter se certant *Iesuitæ, Fonseca, Molina & alii*, dum quisque cerebello suo de partu tam generoso ambitiose gratulatur, ac alter alteri laudem præreptum it. Verum enimvero si monstrum hoc penitus inspexeris, nihil hic nisi Antiquorum terminos refigi, & Pelagia-

norum ac Semipelagianorum cramben reponi videbis, nam iecirco tanto molimine astrictur *scientia hæc media*, ut ei superstructetur prædestinatio ex fide aut operibus prævisis, & Liberi Arbitrii idolum supra Gratiam elevertur: Nimurum cum conditionatos humanæ voluntatis motus ab æterno fine ullo præcedaneo decreto presciat Deus, quos bene usuros libero suo arbitrio videt, ad vitam, alios ad mortem prædestinat; unde prædestinatio habes fundamentum, non in æterno ac gratuito Dei proposito quasitum, sed domi in arbitrii libertate, ex parte saltem, natum & inventum. Sed enim opera pretium fuerit variis argumentis monstrum hoc confondere: quod, omisssis argumentis ex scriptura petitis, solidis ex Philosophia rationibus effectum dabimus.

IV. §. 1. Objectum omniscienciarum infallibilis debet esse necessarium, quia omnis infallibilitas scientiarum fundatur in necessitate objecti; neque dari potest certitudo mentis sive subiectiva citra omnem certitudinem entis seu objectivam; omnis siquidem certitudo scientiarum presupponit certitudinem existentie, si non realem & actualem, saltem idealem & causalem: At objectum scientiarum mediæ nullo modo est necessarium, neque necessitate consequentis, neque consequentia; non consequentis, quia nihil in re precedit quod talem necessitatem causaret; non consequentia, quia sic Petrus positus in talibus circumstantiis & cum talibus auxiliis gratia, quæ non necessario aut efficaciter inclinarent ejus voluntatem (nam hæc est illis libertatis natura, ut positis omnibus ad agendum requisitis possit agere & non agere) infallibiliter nihilominus, necessario ac certo, converteretur: conversio enim ita ex conditione futura objectum est illis scientiarum divinarum ac infallibilis, nisi forte medium suam scientiam in Deo esse infallibilem negare ausint: jam vero, hoc contradictionem implicat, ut effectus aliquis sequatur necessario necessitate consequentia aut infallibilitatis ex antecedente aut causa, quæ aliter & aliter se potest habere, ac deficere, & impediri per concursum aliarum causarum, nisi talis causa determinetur ad talem effectum ab alia

alia causa superiori, quæ nec deficere potest nec impediri: Sed Deus non determinat causas defectibiles ac impedibiles ad particulares effectus nisi per decretum suæ voluntatis; ergo ante decretum ejus non est necessarium necessitate consequentia, aut infallibilitatis, ut voluntas creata, quæ ex natura sua est defectibilis & impedibilis, consentiat objecto sibi proposto, aut convertatur, si ponatur in talibus circumstantiis.

V. §. 2. Propositiones de futuro contingentis secundum se non habent determinatam veritatem, neque etiam sunt determinate falsæ; alioqui tolleretur contingentia, quia contingens, ut sic, se habet omnino indifferenter ad utrumlibet: ergo ante decretum divinæ voluntatis, prædeterminantis liberum arbitrium ad alteram partem contradictionis vel contrarietas, non est scibile, quid in particulari faciet homo aut libere facturus esset, si constiteretur in talibus circumstantiis, sed solum quid facere posset; quia nihil est scibile, nisi sit determinate verum: itaque, si ante decretum voluntatis divinæ non est determinate verum, quod Petrus consentiet si ponatur in talibus circumstantiis, neque id à Deo per scientiam medium scibile erit. Sed ajunt, dictum hoc, de futuris contingentibus non est determinata veritas, esse falsum, effectumque determinata futurum non excludere indifferentiā cause, quæ operari posit & non operari, verum actionis, quæ, si secutura sit, etiam si potuerit antea omitti, aliter tum se habere non potest: At hoc non queritur, an actio sequitura sit necessario futura, sed unde ista necessitas? an à terminorum connectione contingentia? an à Dei connectentis efficacia decreto? certe, propositiones hypotheticæ fortius necessitatem ex infallibilitate illationis partium separatarū. At hæc consequentia aut connexionis necessitas in futuris conditionatis ante decretum Dei reperiri nequit, sicut nec determinata veritas, ergo non potest hic queri certa aliqua scientia, quia illud sciiri non potest, quod ex parte rei omnino non est cognoscibile.

V. I. §. 3. Firmissimum argumentum deducitur ex dependentia inter causam primam

& effectus, hoc est, inter creatorem & creaturas: impossibile enim est, ut aliquis effectus vel sit vel intelligatur futurus in aliquo casu, nisi dependenter à supra causa efficiente. Entia enim omnia creata non sunt nisi tot emanationes à prima causa, qua dependent in esse & in operari, ut à sole radii: At posita hac scientia media, substernitur ei pro objecto libera voluntatis sub tali conditione determinatio, quæ à nulla causa superiori dependet, proficiscitur enim à voluntate creata, tanquam à principio primo determinante, in quam etiam, ut sic, effectus iste reducitur, nam resolutio non potest in decretum Dei ut in primum determinans, quia jam futurus cognoscitur ante decretum divinæ voluntatis factum, quod tamen prima est universalissima causa efficientis, à qua non minus quam à sua causa proxima dependet effectus omnis, sive fuerit in absolute sive conditionatus: & certe ut se habet decretum Dei absolute in ordine ad futurum absolute, ita se habeat necessè est & decretum conditionatum ad futurum conditionate; nam nulla hic est disparitatis ratio, nihil enim fit, futurum aut factum est independenter à decreto divino: Sed implicat contradictionem ex concessione etiam Adversariorum ut aliquid sit futurum absolute, nisi ex decreto Dei decernentis antea ut tale sit futurum absolute, ergo & implicat contradictionem, ut aliquid sit futurum conditionate nisi præcedat decretum Dei statuentis, ut futurum illud fiat si adimplatur conditio: omne enim ens, sive sit futurum absolute, sive sub conditione, sive immediate proficiscatur a Deo, sive mediabitibus causis aliis, intrinsece dependet ex decreto voluntatis Dei, quia ejus causalitas & providentia ad quocunque ens in particulari se extendit: At sic scientia media, quæ omne decretum divinum statuitur antevertere, prorsus tollitur: si enim ante hujusmodi decretum res ne futura quidem sit, neque ut talis à Deo proficiari potest ante voluntatis istum actum. Adde, ex constituta tali rerū serie, hunc ordinē esse sequiturum, ut, quia facturus est homo, faciat & Deus, & quia causa secunda facit faciat & prima, & non contra: cum tamen dicendum sit: Si Dominus voluerit, faciemus hoc aut illud.

VII. §. 4.

VII. §. 4. Scientia hæc media fatum inducit, ut sic loquar, Stoicissimum, atque adeo compedes injicit divinæ libertati & providentia: Nam si Deus ante decretum suum prævidet, quid reapse facturus sit homo in quocunque rerum ordine, si in eo collocetur, omnia evenient necessario & fatali quadam necessitate, vel à casu, respectu Dei: nam ex prævisione futurorum evenient; & prius est quod ipsa sint futura in re, & quod sint hæc aut illa, in tali aut tali rerum ordine, quam Deus illa prævideat, aut quam decernat de iis: Nam res non est eventura, quia Deus voluit aut scivit, sed scivit aut voluit, quia eventura erat: itaque nihil potest disponere divina providentia & potentia, nisi præscito & prius habito voluntatis creatæ assensu, & expectata ejus ad operandum dispositione, atque adeo prævisa operatione ipsa jam futura: At sic Deus, qui ut agens liberrimum vult, statuit, decernit, determinat hoc vel illud, neque ullam habet connexionem necessariam cum creaturis, omni plane libertate exiutus atque potentia: neque enim misereri poterit quorum vult, neque Christum revelare quibus vult, neque aliter disponere contingentia ista, quam sese disponuerunt ante ejus decretum: si enim velit & finat voluntatem creatam esse liberam ac indifferentem, necesse est voluntatem suam ac concursum contemperet ei, & velit atque operetur hoc, quod ipsa voluerit, & sic ut voluerit; neque enim Deus nolle potest, quod liberum arbitrium, primum determinans, voluerit, salva ejus libertate, cui detractione nimis, si ipsum Deo subjiceretur, homines isti putarent, qui voluntatem creatam ut reddant liberam eam faciunt sacrilegam, primæ & infinitæ causa limites præscribunt arctissimos, atque adeo Deum liberrimum durissima ac plane fatali necessitate constringunt, sic ut ipse non ordinare aut providere rebus, sed providentiam & ordinationem in rebus ipsis inventam ac prævisam acceptare tantum dicensit. Verum quia hæc Adversarios vehementer premunt, paulo etiam subtilius excutiamus.

VIII. §. 5. Si detur scientia media, qua Deus antecedenter ad omne decretum sua

voluntatis cognoscat futura contingentia conditionata, ergo essentia divina in ideis suis necessario ac naturaliter repræsentabit quædam ex his quæ libere sunt futura, quia repræsentabuntur, non in divinis decretis, sed antecedenter ad ipsa: At hoc absurdum est, & uno absurdio dato multa sequuntur: 1. quod creatura non pendeat ex libera electione voluntatis divinæ. 2. quod non possit Deus aliud facere quam facit. 3. quod tollatur omnis providentia & gubernatio libera circa creaturas: si enim creatura non libere sed necessario omnino repræsentetur ab essentia Dei, & repræsentetur ut futuræ cum omnibus suis modis, circumstantiis, accidentibus, & conditionibus, quis locus providentiae aut libere gubernationi Dei? Sed dicunt, aliud esse, repræsentare, & aliud, esse: quod creatura sint, habent à divina voluntate, ac proinde libere dicuntur habere esse; quod vero repræsententur, id non habent à divina voluntate, sed ab immensa & infinita essentiæ divinæ capacitate, quæ, prout præintelligitur voluntati, præhabet in se totum illud, quod per universam durationem æternitatis habiturum est participium entis & rationem entis: sic aliquid regessisse sibi videntur Adversarii; Sed enim hoc aliquid nihil est: Quamvis enim divina essentia repræsentet antecedenter ad decretum realem illam diversitatem creaturarum & omnem modum entis cum suis conditionibus & accidentibus, quod libenter fatemur, hæc tamien repræsentatio est earundem creaturarum, quatenus sunt possibiles & possibiliter futura, secundum omnem illum modum, quem habent in ordine ad omnipotentiam Dei. Verum enimvero præter hoc quod possibiles sint creaturae, aut possibiliter futurae secundum omnes illas conditiones, etiam de facto sunt eventurae in re secundum actualem existentiam, quod cù pendeat à voluntate Dei & decreto ejus libero, in quo actualem rerum futuritionem prævidet, negamus ante id in ejus essentia aut ideis repræsentari ullius rei veram futuritionem, aut actualem existentiam de facto eventurarum: nam si Deus decrevislet nunquam producere creaturas, in hoc casu divina essentia non repræsentaret creaturas, ut

vere futuras de facto , cum ordine & habitudine ad realem existentiam earum , sed tantum repræsentaret eas, ut possibiles secundum omnes conditiones , quas habere possent.

I X. §. 6. Denique nec nodos solvit haec scientia media in concilianda contingentia & libertate arbitrii cum infallibilitate divinæ providentiae & prædestinationis ac gratiæ efficacia , sed potius implicat : nam posita tali scientia antecedenter ad decretum Dei prædestinationis bonum usum arbitrii futurum ex hypothesi , sequitur eundem bonum usum liberi arbitrii reducendum esse ad aliquid naturale , à quo deteminetur , videlicet , ad constellationem , vel moralem persuasionem , vel individualem complexionem &c. nam quod Petrus v. g. sit potius consensurus quam disensurus objecto sibi proposito , si constituatur in talibus vel talibus circumstantiis , non refunditur ad aliquod decretum divinæ voluntatis prædeterminantis ut hoc fiat , quoniam objectum scientiæ mediae & scientia ipsa antecedit omne decretum divinum : nec etiam reducitur in ipsum auxilium gratiæ , quod tale esse volunt , ut non præmoveat efficaciter voluntatem creatam ad alteram partem , sed eam omnino indifferentem relinquat ad opposita : in causa autem omnino indifferenti , ut sic , in quantum non est inclinata efficaciter ad alteram partem , non potest certo & infallibiliter cognosci determinatus effectus , quæ causa quoque est cur non possit reduci in liberum arbitrium sub illo gratiæ auxilio in talibus circumstantiis constitutum ; sicut enim res habet ad esse , ita ad cognoscendi : nam ab eo quod res est , vel non est , hoc vel illo modo , cognitio dicitur vera vel falsa , determinata vel indeterminata ; ergo implicat dari scientiam determinatam , omnino certam & infallibilem de eo , quod neque in se neque insuis causis habet esse determinatum , sed variabile & indifferens ad utrumlibet : nec reduci potest effetus , in objectum propositum voluntati , quia nullum objectum ita efficaciter agere potest in voluntatem ut non maneat illa indifferens

& indeterminata ad utrumque oppositorum , ne scilicet pereat libertas ejus ; nec in aliud actum priorem voluntatis : nam supponamus , quod ille sit primus actus liber , quid tum confili ? nihil ergo restat , in quod possit prædictus consensus liberi arbitrii in talibus circumstantiis constituti reduci ultimate , nisi in naturalem complexionem , aut proprietatem hujusmodi individui , puta Petri , aut in aliam causam naturalem : Ex quo sequitur , quod voluntas hujus hominis in talibus circumstantiis constituti effet per naturam seu naturaliter determinata ad unum , & sic revera tollitur ejus libertas ; nam si naturaliter consentit , tum aliter facere non potuit , ergo non dissentire , ergo positis hisce circumstantiis non est libera . Quod dicant , voluntatem ex se habere , quod possit se determinare ad alteram partem quæ sibi placuerit , difficultatem non afferit ; nam licet voluntatis natura consistat in facultate ad utrumlibet , non tamen habet nec potest illi competere ex natura sua , quod se determinet ad consensem talis objecti potius quam ad dissensem , nam alioquin per naturam esset determinata ad unum faltem in talibus circumstantiis constituta .

X. §. 7. Cum ergo scientia media supponat pro objecto vel quod non est , vel quod nullo modo est scibile , effectum ponat non dependentem à causa prima , libertati divinæ ac providentiae compedes injiciat , libertatem humani arbitrii destruat , tantum abest ut eam providentiæ ac prædestinationi divinæ conciliet , & difficultates omnes hactenus enarratae facile evitentur , si dicamus præscientiam boni usus liberi arbitrii futuri , ex hypothesi quod illud in talibus circumstantiis collocetur , non antecedere in signo rationis , sed subsequi liberum decretum voluntatis divinæ , à quo participat creatura omnem suam libertatem , relinquitur ante decretum non esse in Deo constituantem talem scientiam medium , sed eam esse purum putum humani , imo Jesuici , cerebri figuramentum , quod erat demonstrandum .

## Disputationum ex Philosophia selectarum

TRIGESIMA-PRIMA,

DE

## COMMVNIC. PROPRIORVM.

## THEISIS I.

**I**N curriculo harum disputationum, quarta à nobis fuit instituta de *Proprio*, quod conserui posse diximus, vel cum subiecto in quo est, vel cum subiecto in quo non est: Priori respectu, quæri solet: *An proprium possit separari à subiecto in quo est?* Posteriori respectu, quæri solet: *An proprium subiecto specie diverso, in quo non est, communicari possit?* Utramque quæstionem tum solvimus. Sed posteriore, quia temporis & chartæ angustia vetabat prolixius pertractare, eam nunc, quod tum promisimus, paulo plenius perficiemus, ut sic fidem datam liberemus: & meretur sane discuti hæc quæstio accuratissime: est enim summæ utilitatis, & insignem lucem sceneratur gravioribus quibusdam controversiis.

**II.** Ut quæstio, ardua sane ac perdifficilis, de proprietate & communicabilitate & communicatione, feliciter decidatur, utrumque hoc vocabulum, & *communicabile*, & *communicatio*, accurate debent distingui; quæ utriusque vocabuli distinctiones, & statum controversie clarius figent, & fontes erunt multarum solutionum. *Communicabile*, ut à priori ordinar vocabulo, dicitur dupliciter; uno modo per identitatem, alio per informationem. *Communicabile* per identitatem est, quando illud, cui aliquid communicatur, est idem cum eo quod communicatur. Sic universale est *communicabile* & *communicatur* singulare, quia essentia universalis constituit essentiam singularis, & hujus essentia est eadem re ipsa cum essentia illius: & sic concedimus, propria sc. & universalis, esse communicabilia, & de facto communicari singularibus; nam simul cum essentia & universalis propria ejus appropriantur singulari, sunt-

que in eo subjective. *Communicabile* per informationem est, quando forma communicari potest & communicatur materiæ. **Hic** jam quæritur, *an forma, nempe accidentalis, ac propria, subiecti uniti, possit communicari ac communicetur, unquam, subiecto alteri specie diverso?* Circa hanc quæstionem plerique facile largiuntur, id fieri non posse, si subiecta sint suppositaliter (ut loqui amant Scholastici) diversa; sic enim accidens migraret de uno subiecto in aliud, quod contra naturam est accidentis; nam migratio, vel in tempore fieret, vel in instanti: utrumvis dicas, accidentis naturam tollis: sed vero, si è duabus subiectis fiat unum per unionem realis, quæritur, an tum proprium unius subiecti possit communicari subiecto specie quidem diverso, sed jam artissime juncto, ac de facto communicetur vi unionis. Multi affirmant; nam tum nullus videtur esse metus, ne accidens migraret de uno subiecto in aliud, quia illa duo ante subiecta nunc sunt facta unum subiectum per unionem. Ita quidem tenuerunt Scheiblerus, Meissnerus, Iacobus Martini, Schroderus, & omnes ubiquitatis naturæ Christi humanæ Patroni. Contraria tamen sententia verissima est, quæ ne ita quidem ratione communicari, ac nulla ratione posse communicari propria unius subiecti, alteri subiecti specie diverso, etiam unito tenet: quia, ut essentia unius subiecti uniti, non communicatur nec communicari potest subiecto alteri unito, ita nec proprium, quod essentiam immediate sequitur: & quod communicatur, etiam in tali casu, non est proprium: quia proprium esse & communicari tali modo sunt opposita: quæ duo argumenta, quia latius deduximus th. 6. disp. 4. inter hasce

selectas, non persequemur fuis; sed vero Adversariorum sententiam destruemus potius: ea nititur falso fundamento; quasi illa, quæ vel essentialiter vel accidentaliter sunt unita, ea de causa vi unionis unum facient vel sicut subjectum commune accidentium propriorum: utriusque extremi quod unitur: nam non est mensurandum subjectum ex suppositalitate, nec unitas subjecti respectu accidentium & proprietatum estimanda est ex unitate suppositi, quasi subjectum statim unum sit ac fiat accidentium & proprietatum quod unum est ac sit suppositum: in exemplo res erit clarior. Ex igne & ferro sit unum, quatenus unita sunt, & unum quidem compositum ac suppositum, ferrum sc. ignitum, at subjecta manent duo: unum ignis, alterum ferrum: & neutrum alteri sua propria communicat, non magis quam essentiam: ignis quidem in ferro producit calorem, quæ effectio est non communicatio, at calorem sibi proprium retinet, neque magis unum sicut subjectum per unionem, quam ignis & manus, quæ non uniuntur, quando ignis manum calefacit. utrinque subjecta sunt duo: hic ignis & manus non unita; ignis & ferrum unita. Ex anima & corpore sit unum, & compositum & suppositum per unionem; at subjecta manent duo: neque corpus vi unionis sua propria, palpabilitatem, visibilitatem, &c. animæ, neque anima sua propria, potentiam intelligendi, sentiendi, movendi, corpori ideo communicat: itaque siue suppositis sunt distincta subjecta, siue unum suppositum sunt facta per unionem, semper migrabit accidentis de subjecto in subjectum, si accidentis unius subjecti communicetur alteri subjecto specie diverso: unio enim specificum hoc discrimen non tollit. Et profecto, si proprium unius subjecti, siue uniti siue non uniti, possit communicari subjecto alteri, specie, & quia specie, etiam numero, diverso, poterit una numero forma duas numero materias informare, quæ est mera contradictione; sic enim duo unum forent: proprium enim, accidentis est & forma accidentalis respectu sui subjecti. Ergo non potest proprium, quod formæ accidentalis vicem tenet in subjecto, in distinctis numero aut specie esse subjectis. Reponunt

Adversarii, est in uno per se, in alio participative. sed fumus tantum est ac fucus ad occultandam veritatem inventus, ista distinctio. Nam non potest unum numero accidentis esse in diversis subjectis, in uno per se, in altero participative, nisi per se sit unum & participative non unum: aut si subjectum sit unum, vel est in eo per se tantum, vel participative tantum. Sic argumentamur: ubi est idem subjectum simpliciter, ibi idem est modus inseparandi subjecto, & consequenter idem modus praedicandi. At vero hic diversus est modus praedicandi, quando dico, ignis urit, & ferrum ignitum urit. Ergo: Cum dico; ignis urit, est praedicatio per se; ferrum ignitum urit, est praedicatio per accidentis seu per aliud: ferrum enim ignitum urit, quia in ferro est calor productus; aut cum ferro est ignis, qui urit: itaque concretum hoc, ferrum ignitum, involvit duo subjecta, ignem & ferrum, ut urere igni per se conveniat, ferro vel per accidentem, ratione caloris, non communicati, sed in se producti, vel per aliud, per ignem scilicet sibi unitum: Nam utrum dicendum sit, vix liquet: utrumvis tamen dicatur, nihil dicitur, pro ejusdem numero caloris, qui inheret in igne, transmigratione aut communicatione aut transitu in ferrum. Si queras, an ferrum urat, an ignis? quero item, an corpus hominis edat, incedat, scribat, &c. an anima? Actiones sunt suppositorum, sed ferrum urit, vel per calorem, quem numero diversum in eo produxit ignis, vel per ignem poris venisque suis acceptum arctissimeque sibi unitum, quemadmodum spongea humectat per aquam in meatibus suis receptam: utrilobet modo loquaris, nihil dicitur pro communicabilitate propriorum.

III. Nunc altera vox *Communicatio* executienda est & distinguenda. *Communicatio* non uno modo sumitur, ut id accurate explicat Suarez, disp. Met. 34. sect. 5. 11. 54. & seq. cuius vitula nos arabimus. Est communicatio quedam extrinseca, est quedam intrinseca. Extrinseca, vel intentionalis, vel realis. Intentionalis, per modum finis; quo sensu omne bonum dicitur esse sui communictivum, sui desiderium & amorem excitando, appeti-

appetitumque elicendo. Realis per modum cause efficientis, quomodo causa efficiens dicitur se communicare effectui. Communicatio intrinseca est, vel realis, vel secundum rationem seu communitatem rationis: hoc modo posteriori superiora praedicata dicuntur communicari inferioribus, genera speciebus, species individuis: est autem illa communitas inferiorum in superiori communitas rationis. Scholastici dicunt, hoc modo esse aliquid communicabile, ut *Quod*, quia superius se totum communicat suis inferioribus, ut conceptus essentialis in quid dicatur de suis inferioribus, & quæcunque eum conceptum consequuntur. Unde communis est regula, *Quicquid est in genere, id omne in singulis speciebus.* Communicatio realis est, vel per modum indentitatis, vel per modum unionis tantum. Communicatio per modum identitatis est in Deo, ubi una numero essentia communicatur tribus personis realiter inter se distinctis. Communicatio ratione unionis, fit: vel supernaturaliter, quomodo  $\lambda\circ\gamma\circ$  ita se communicavit natura humanae, ut hæc subsistat in  $\lambda\circ\gamma\circ$ ; vel naturaliter: qualis est communicatio unius rei respectu alterius rei per formalem unionem aut conjunctionem aliquam, ut forma communicatur materiae, & materia formæ, pars toti, & sic de aliis: hoc sensu apud Scholasticos dicitur aliquid esse communicabile, ut *Quo*. Nunc hæc ad rem prefentem applicemus, statumque controversiae recte enucleemus.

I V. Non queritur, *An propria generum possint communicari speciebus?* vel, *An propria specierum possint communicari individuis?* vel in genere, *An propria superiorum possint communicari inferioribus?* Quam communicationem Aristoteles  $\mu\acute{\iota}\delta\acute{\iota}\zeta\tau\acute{o}s$  vocat, quando in *Topicis*, l. 4. cap. 1. tex. 8. inquit, *Species μέχεται συντομούνται*. De hoc genere communicationis, quæstio non est. Quando enim proprium dicitur omni, soli, & semper, convenire subiecto, non excluduntur per voluntam (soli) subordinata seu inferiora: sic propria generis ita convenientiunt soli generi, ut convenienti nihilominus speciebus & individuis sub hoc genere contentis. *Quia enim ge-*

*nus totam suam essentiam communicat suis inferioribus, fieri nequit, quin simul cum essentia generis communicentur propria, quæ generis essentiam immediate consequuntur & ab ea separari nequeunt: is vero modus communicationis sequitur identitatem essentiae & nature; quia enim genus non est aliud à speciebus, & species non est aliud à suis individuis, etiam communicatio hæc propriorum generis ad speciem, aut speciei ad individua, non est ut ad rem aliam à se diversam sed ut eandem secundum naturam.*

V. Non queritur quoque, *de communicatione extrinseca*, secundum quam aliud agit in aliud, producendo aliquid, quod sit ejusdem speciei; quemadmodum calor ignis habet naturam quandam communicativam sui, sed communicatione extrinseca secundum quam multiplicatur, & sui similem, specie non numero, eundem efficit calorem: ut, si focus instrutus communicet suum calorem conclavi & omnibus in eo existentibus. Verum hæc non est communicatio ejusdem proprii, sed productio similis secundum speciem.

V I. Nec queritur, *An formæ effectum quendam formalem causent, vel in materia vel in composito?* aut, *An ab ea forma nascenter facultates & operationes, tanquam à sua causa efficiente?* Nam dans formam, dat etiam ea, quæ formam consequuntur: sequuntur vero formam, esse, distinguiri, operari: non ergo ad hanc facit quæstionem, quando forma vel actus formalis dicitur largiri esse specificum composito, & materiae, ut sit hoc aliquid per formam: nam & hic, actus ille formalis non est subjective in forma, ut ita transcat de forma in materiam, vel in compositum, quæ esset propriæ dictæ communicatio; sed est influxus causalis, per quam forma esse confert & largitur ei, ad quod per naturam & à natura est ordinata, ita ut ille actus formalis sit à forma & per formam; non vero existens formaliter & subjective in forma: itaque nec hic est communicatio priorum.

VII. Nec queritur, *An partes, concurrentes ad constitutionem totius, conferant toti, quicquid habent, velessentiae, vel virium, vel operæ,*

*tionum?* Neque enim hic communicatio est proprietatis de subjecto ad subjectum specie diversum : nam partes constituentes totum non sunt subjectum specie diversum à toto.

VIII. Sed quæstio est, *An proprium unius partis aut speciei, alteri parti vel speciei, communicetur? etiam quando uniuntur?* Nos negamus: & ex ipsa vocum vi probamus: aliud est uniri: aliud communicari. Uniri est, in unitatem totius compositi copulari: Communicari est, quando unum sibi fumit, quod est alterius. Anima unitur corpori, sed non communicatur. Partes uniuntur inter se, sed non communicauntur sibi invicem, multo minus proprium unius partis communicatur alteri parti. Ita-

que nec vita animæ communicatur corpori, sed vero anima ex se in corpore producitam numero vitam, quæ est hominis totius vita. Atque ex hisce liquet perperam vulgo vocem Græcam τυνδαῖαν aut τυνδαῖον verti *Communicationem*, cum tantum significet *copulationem*, qua duæ partes ad unius compositi constitutionem copulantur: neque unquam licet à τυνδαῖον, sive τυνδαῖην argumentari ad γενναῖαν, neque valet: Haæ partes & propria partibus aliis earumque propriis sunt copulata, Ergo communicata. Quare illa *Communicatione* proprii unius subjecti ad subjectum specie diversum merum est figmentum, ad erroris in rebus gravioribus defensionem excogitatum.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

#### TRIGESIMA SECUNDA,

DE

## ABSTRACTIONE.

### THEISIS I.

**V**ulgatum est verbum, & illud verissimum, *solus est Philosophus, qui bene abstractus*. Et in Philosophia moderna frequentissimus est sermo de *Abstractionibus*. Dicitur *Abstractione* triplices constituere triplicem Theoreticæ Philosophiæ partem: an bene, an male, nunc non disputo. *Abstractione* objecti à materia singulari per rationem facta, Physicæ est propria: objecti *abstractione* à materia communis per rationem facta, competit Matheesi: *abstractione* vero objecti à materia tum singulari tum communis, partim secundum rem, partim secundum rationem, convenit Metaphysicæ: sic vulgo philosophamur. Dicitur genus abstracti à speciebus, species ab individuis, universale à singularibus, subjectū ab accidentibus, relatio à relato, natura à re naturali, supposititalitas à supposito, abstractū à concreto, &c. Ea via ac ratione abstracti insuper habita, gravissimi existunt errores. Quare utilissimum fuerit *Abstractionis* naturam semel ob oculos ponere, quod

hac disputatione conabimur.

II. *Abstractione*, Græce ἀφαίρεσις, idem significat, quod separatio: estque rei vel *rationis*, vulgo, *realis* vel *mentalis*: per illam res à re separatur atque abstractur, ut pescis ab aqua, albor à pariete: per hanc, ea quæ in re conjuncta sunt, non reapiscit, sed mente, sed ratione, separantur & à se invicem abstractuntur: & sic dividuntur: quod sit iterum dupliciter: vel, ut mens sive ratio unum ex iis, quæ conjuncta sunt, apprehendat, ceteris non apprehendit: vel, ut mens duo aut plura simul conjuncta simul apprehendat, sed apprehendendo, alterum de altero removeat, tollat, neget: *prior abstractione* vocatur *simplex seu precisionis*, fitque apprehensione mentis simplici, *posterior* dicitur *composita seu negationis*, fitque complexa mentis apprehensione, aut divisione. Ex gr. si quis hominem concipiat, qui quidem patitur, non concepta relatione ad filium, dicitur illa *abstractione simplex*: at si quis hominem concipi-

cōcipiat non esse patrem, qui tamen sit pater, est abstractio *composita*: nam prior ille hominem solummodo concipit, & nihil amplius; at hic alter, & hominis conceptum format, & paternitatis, & hęc duo dividit, judicans, hominem non esse patrem, seu paternitatem homini non convenire. Composita abstractio falsa est, cum dividit ea, quae coniuncta sunt: at simplex abstractio omni caret falsitate. Atque de hac abstractione simplici intelligendum est illud vulgatum, *Abstrahentium non est mendacium*: Qued axioma petitum est ex Arist. l. 2. Phys. §. 18. οὐδὲ γίνεται φαῦλος τὸ καθεξέσθω, id est, non committitur falsum ab iis qui abstrahunt. Sed de abstractione simplici, quae omnium maxime nomen abstractionis meretur, non nihil fusiū nobis est philosophandum.

III. In abstractione simplici duo necessaria sunt. 1. Ut quae abstrahuntur coniuncta sint. 2. Ut inter se aliquo modo sint distincta: coniuncta esse debent, quia quae coniuncta non sunt nullo modo possunt abstrahi, sed re ipsa jam sunt abstracta: nemo enim abstrahit nivem à nigrore, aut nigrorem à nive: quippe quae inter se sunt separata: distincta debent esse, si non re, ratione saltem ratiocinata: quae nullo modo distincta sunt, nullo modo abstrahi possunt: idem enim quae idem non potest abstrahi à se ipso.

IV. Coniunctorum in re per mentis abstractionem simplicem divisio spectatur vel inter subordinata, sive inter superiora & inferiora, vel inter coordinata, sive inter subjecta & adjuncta, ac quecumque simili modo se se habent: atque hinc oritur duplex abstractio: nempe vel superiorum ab inferioribus, vel adjunctorum similius rerum à subjectis: vulgo dicitur, abstractio est ab inferioribus vel à connotatione subjecti.

V. Abstractio superiorum ab inferioribus non solum locum habet in substantiis, sed & in accidentibus: Nam sicuti humanitatem considerare possumus, quae quidem est in Socrate, Platone, aliisque individuis humani generis, non considerata tamen individuali differentia, qua Socrates à Platone & quodlibet individuum à qualibet individuo ejusdem

speciei distinguitur: ita etiam concipere possumus colorem aut alborem in genere, non consideratis individuis coloribus aut alboribus, qui sunt in hoc aut illo individuo subiecto: sic alborem & colorem consideramus, cum dicimus colorem esse genus, alborem esse speciem. In hanc sententiam nobis pregit Aristotle lib. 3. de Anim. §. 9. cum ait. Αὔτοι εἰς τὸ μεγάλον οὐ μεγάλη εἶναι, οὐ δύο οὐ τὸ ὕδατον εἶναι. Στοιχεῖον εἶναι, id est, Aliud est magnitudo & magnitudinis essentia, item aqua & aquae essentia: atque ita in aliis multis. Ubi videt uniusquisque, illum non in aqua solum, quae est substantia, sed & in magnitudine, quae accidentis est, naturam designare, ab inferioribus abstractam, cum ait τὸ μεγάλον εἶναι τοις τὸν θεοὺς τὸν θεῖον εἰσι: istoc enim loquendi modo communem rerum naturam ab inferioribus abstractam designare confuevit. Sic dixit l. 2. de Anim. §. 37. τὸ ζῷον τοῖς θεοῖς τὸ θεῖον εἰσι. id est; Vivere est viventium essentia, in qua scilicet omnia viventia convenienter, quatenus vivunt.

VI. Abstractio ab inferioribus fit per præcisionem vel differentię individualis vel differentię specificę: abstractio superiorum ab inferioribus habet locum in individuis, quando v. c. abstractis seu præcisis, i. e. non conceptis differentiis individuantibus, quibus natura humana restringitur ad Socratem, ea concipiuntur sine Socrate: ubi tamen nota, non abstrahi individuum, sed speciem infimam ab individuo: nam impossibile est concipi individuum qualem, non concepta differentia individuali: at ista natura, quae in Socrate est individua, potest abstrahi ab illis differentiis quibus ad eum restringitur & individuat: abstractio superiorum ab inferioribus habet item locum in generibus & speciebus subalternis, imo & in generibus summis, quae omnia à suis differentiis ac divisiviis abstrahi possunt, in quantum concipi possunt iis non conceptis: dico notanter, divisiviis: quia ut aliqua species concipiatur, non concepta differentia specifica constitutiva, impossibile est: at genus concipi, non concepta differentia specifica constitutiva, possibile est. Ex. gr. potest animal concipi non concepta rationalitate, differentia anima-malis,

malis divisiva: at ut homo concipiatur, non concepta rationalitate, differentia hominis constitutiva, fieri non potest.

VII. *Abstractio à subiecto seu connotatio-*  
*ne subiecti*, convenit & formis rerum, & ad-  
*junctis*, cuiuscunq; ordinis ac conditionis, sive  
*sint positiva sive negativa*, vel privativa, in-  
*terna sive externa*, *absoluta sive relata*: & licet  
*forma sit de essentia rei formatæ*, id est, totius  
*compositi*, ideoque ab illa non possit abstrahi,  
*materiæ tamen communis adjunctum est*, ei-  
*que competit eodem fere modo*, quo cætera  
*adjuncta subiecto*: Loquimur vero hic de for-  
*ma materiali*: immaterialis enim illa forma,  
*hominis anima rationalis*, non tantum à ma-  
*teria omni & communi abstrahitur abstractio-*  
*nem simplici seu præcisionis*, de qua hic  
*agimus*, sed & complexa seu negationis, atque  
*insuper abstractione reali*: extra omnem enim  
*materiam separata & abstracta re ipsa existit*,  
*post mortem superferit*: sed formæ materiales,  
*quaæ extra materiam omnem existere ne-*  
*queunt*, ac ne quidem abstrahi à materia com-  
*muni abstractione complexa seu negationis*,  
*possunt tamen à materia abstrahi abstractione*  
*simplici ac præcisionis*, non minus quam ac-  
*cidentia à substantiis reliquaque adjuncta à*  
*subiectis*: possunt enim animam vegetan-  
*tem considerare non considerato hoc aut illo*  
*corpo*, sicuti & circulum, considerato ære  
*aut ligno*, aut quacumque alia materia, quem-  
*admodum consideramus alborem non con-*  
*siderata nive aut cerussa*, aut vestem non con-  
*siderata corpore vestito*, aut paternitatem vel  
*causalitatem non considerato homine qui est*  
*pater vel causa*: hoc sensu, Aristot. alibi dixit,  
*accidentia definiri οὐ φαινόμενα, ex abstractio-*  
*ne, in abstracto dicunt vulgo, & in idea sua.*

VIII. *In adjunctorū abstractione à subiecto*,  
*descerni debet inter adjuncta propria & commu-*  
*nia*. *Propria adjuncta* hic appello, quæ soli ali-  
*cui subiecto convenientiunt*: ut etiam omni &  
*semper convenienti*, hoc in loco non est nec es-  
*farium*. *Quemadmodum vero formæ mate-*  
*riales aliter se habent ad materiam, aliter ad*  
*rem formatam*: ita aliter se habent, in hoc  
*negotio abstractionis*, *adjuncta communia*,  
*aliter propria*: sicuti formæ non possunt ab-  
*strahi à rebus formatis* (ea enim abstractio  
*contradictionem implicaret*) ita quoque non  
*possunt adjuncta propria abstrahi à suo subje-*  
*cto proprio*, sed tantum ab iis quæ sub subje-  
*cto proprio continentur*: simitas v. g. nafso  
*competit & soli nafso*, ideoque non potest con-  
*cipi non concepto nafso*. *Quare*, five simitatem  
*dicas, five simum, five nafsum simum, res eo-*  
*dem redit*: ut vero sepe habet nafsus ad simitatem,  
*ita omne subiectum ad suas proprietates*:  
*nulla ergo proprietas concipi potest*, subiecto  
*suo non concepto*. Et certe, cum subiectum  
*contineatur in definitione proprietatis* (nam  
*proprium dicitur de subiecto in secundo mo-*  
*do dicendi per se, teste Arist. l. 1. Post. Anal.*  
*cap. 4. §. 31.*) si proprium abstraheretur à suo  
*subiecto*, abstraheretur à sua definitione, atque  
*adeo à seipso*. & à sua essentia: at definitum à  
*sua definitione, à seipso, à sua essentia, homo*  
*ab animali & rationali, abstrahi non potest*.  
*Quorum ergo dicat aliquis, Proprietatibus sunt*  
*tributæ voces abstractæ, si non possunt abstrahi à*  
*suo subiecto ullo modo?* Respond. Voces istæ ab-  
*stractæ significant proprietates, non quidem*  
*sine subiecto, sed sine subiecto particulari aut*  
*singulari*, nam cum simitatem dicimus, voce  
*abstractæ curvitatem significamus, non quam-*  
*cunque, sed eam solam, quæ est nafsi, nec eam*  
*tamen quæ est in nafso Socratis aut Platonis,*  
*sed quæ est in nafso quocunque*. At adjuncta  
*communia*, sicuti ad nullum certum subiectum  
*determinata sunt*, ratione cuius debeant defini-  
*niri*, ita quoque abstrahi possunt à subiecto  
*quocunque*. Interim, sicuti adjuncta, quatenus  
*adjuncta sunt*, subiectis suis differunt à se  
*invicem*, idque, vel specie, si sint propriæ vel  
*numero*, si sint communia: ita quoque abstrahuntur  
*ab inferioribus* atque à singularibus,  
*quia & quatenus abstrahuntur à subiectis*: ita  
*ut, cum de adjunctis sermo est, abstractio à subiecto & ab inferioribus nos magis differat*,  
*quam esse & inesse in accidentibus*. Et pro-  
*prietates quidem universales abstrahuntur à*  
*singularibus*, atque omnino ab inferioribus,  
*quando universale subiectum ab inferioribus*  
*abstrahitur*. Sic simitas abstrahitur ab inferioribus,  
*quando concipiatur in nafso genera-*  
*tim sumto, non in nafso hoc aut illo singulari:*

at adjuncta communia abstrahuntur à singularibus, quando concipiuntur, non tantum non concepto hoc aut illo subiecto singulari, sed etiam non concepto hoc aut illo subiecto in specie: ut si quis concipiatur alboem aut sphærā, non tantum non concepto hoc singulari alboris aut sphæræ subiecto, sed nec considerato ligno, auro, argento, aut ullo alio determinata naturæ subiecto, in quo albor aut sphærā ineffe solet. Ex quibus apparet, adjuncta communia esse magis abstracta, quam propria: quoniam illa abstrahuntur ab omni subiecto determinati generis: hæc non item: includunt enim subiectum determinati generis, sed non hoc aut illud in individuo.

I X. Notandum hic est porro, *abstractionem à subiecto esse reciprocam*, ut sicuti adjunctum à subiecto, ita subiectum ab adjuncto possit abstrahi: at superiora ab inferioribus, sed non item inferiora à superioribus, abstrahi possunt: quia superiora dicuntur de inferioribus primo modo dicendi per se, *teſte Aristot. l. 1. poſt. Anal. c. 4. §. 31.* Potest quidem concipi natura animalis non conceptis speciebus, homine videlicet & bruto: at homo aut bestia concipi non potest, non concepto animali, quia homo & bestia, est animal utrumque: contra, sicuti adjunctum potest concipi, non concepto subiecto, vel singulari, vel determinati generis: ita quoque subiectum potest concipi, seu singulare, seu determinati generis,

non concepto adjuncto: nec refert, sitne adjunctum commune an proprium: nam sicuti potest concipi corpus non concepto nigrore, aut nix non concepto albore; ita Petrus aut homo potest concipi, non concepta ridendi facultate, aut non concepta similitate.

X. *Discrimen tamen adhuc est aliiquid inter subiectum propriorum & communium adjunctorum.* Subiectum adjuncti proprii, sive singulare sive determinati generis, licet absque contradictione concipi posset non concepta proprietate, non potest tamen concipi ea negata: at subiectum adjuncti communis, sive singulare sive determinati generis, sine contradictione concipi potest, non solum adjuncto non concepto, sed & negato: atque in eo adhuc differt subiectum proprii adjuncti à subiecto differentia specifica institutiva, ut est species omnis, atque adeo ipsa proprietas à differentia specifica constitutiva: nam species, puta homo, non potest concipi, ne quidem non concepta rationalitate, at potest concipi non concepta risibilitate; & potest concipi non tantum non concepta, sed & negata eruditio. Hæc, quæ de Abstractione nunc sumus philosophati, inferiunt admodum illustrande disputat. triges. & quartæ, *de proprio*, in harum select. serie: & in univerbum foenerantur insignem lucem questionibus per universam Philosophiam difficillimis.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

T R I G E S I M A - T E R T I A,

D E

## B O N O.

### T H E S I S I.

**T**enenetur homines omnes, ex naturali instinctu, *Boni* desiderio: pauci tamen cognoscunt rationem *Boni*, in quod feruntur. Operæ fecerimus pretium, si, quid sit *Bonum*, quod ita ab omnibus expeti solet, in aperto ponamus: at vero hoc ipsum præstare, difficultatis plenum est opus propter varian-

tium Philosophorum judicia: jaciamus tamen aleam, & rationis filum, quo nos dicit, sequamur. Explicabimus igitur post *vocem*, *Boni quidditatem*, in quo illa confusat, proprietates, & varias ejus distinctiones.

I I. Quod nos hodie *Bonum* dicimus, veteres olim *Duonum* dixerunt. Festus. *Duo-*

*num*

num, Bonum. & è veteri poëta citat; simul duona eorum portat ad naves. Unde autem Duonum fuerit dictum, quod bonum nunc vocamus, optime explicat Camerarius in suis Problematis, cum dicit Duonum dici à duobus. Acute sane: quia bonum duo dicit: & ipsam entitatem rei, quæ denominatur bona, & aliquid, quod bonitas connotat, ad quod prædicta entitas relata hanc ipsam denominationem boni fortitur, quæ relatio est propensio, inclinatio, capacitas, convenientia, aut similis connexio cum tali entitate. Sed hoc ex iis, quæ statim sumus dissertaturi, clarius patet. Bonum græce παλὸν & ἀγαθὸν. Καλὸν δὲ παλέν, quia animos vocat & trahit, ad se appetendum: ἀγαθὸν, quasi ἀξιον ἀγαθόν, δίκαιον, dignum valde ad quod curramus. Hec de voce.

III. Quiditas boni, seu ratio formalis boni, in qua consistit, est bonitas: quæ quid sit, & quid enti adjicat, (agimus enim de bono & bonitate transcendentali) tam multiplici sententiariam varietate est disputatum, ut vix invenias exitum. Nos primum, quid non sit, mox, quid sit, exponemus. §. 1. Bonitas Transcendentalis non est ipsum ens quod bonum dicitur, nec novum ens ab ente bono distinctum. Non prius, quia sic non esset affectio entis: essent enim bonitas & ens bonum, voces synonymæ Grammaticis dictæ: & abstractum diceretur de concreto: & foret prædicatio identica: quæ omnia falsa sunt. Non posteriorius, quia, si illa bonitas foret novum ens, iterum esset bona, quia omne ens bonum est, & haec secunda bonitas iterum foret bona, quia ens, & sic daretur progressus in infinitum. §. 2. Bonitas tamen transcendentalis includit ens, quia ejus est affectio, eique aliquid adjicit, non quidem ens novum, ut dictum est, multo minus qualitatem, quæ accidentis est & species veri entis; sic enim in bono, consequenter in Deo, foret compositio ex duabus entibus: addit tamen aliquid, non vero nihil, quia nihil non est affectio entis; præterea nihil non distinguit ens: bonitas distinguit ens. §. 3. Illud aliquid, quod bonitas adjicit enti, non est privatio, quia bonitas non dicit, quid ens non sit, sed potius quid ens sit: non est denominatio ex-

terna, quia non dicit, quomodo aliquid extra ens bonum se habeat ad ens bonum, sed potius, quomodo ens bonum se habeat ad se aut ad aliud, ut statim dicemus; non est relatio rationis aut ullum ens rationis, quia bonitas est in rebus & ens est bonum citra ullam fictionem vel operationem mentis nostræ; non est modus, quia non est attributum entis absolutum, sed respectivum, ut tb. 1. indicatum & pluribus statim indicabitur: sed est relatio realis, quæ non dicit, ens reale, sed aliquid non-ens, respectum scilicet, reperiri in ente reali, citra intellectus operationem. § 4. Hic respectus, quem bonitas adjicit enti, non consistit in entis boni ordine ac relatione ad voluntatem seu appetitum, quæ Scheibleri l. 1. Met. c. 10. & multorum, ac fere communis est opinio; quæ ideo rationem formalem boni, ipsam putata bonitatem, constituit in appetibilitate, allegata hic Arist. ex l. 1. Eth. c. 1. autoritate, ubi inquit, Bonum est, quod omnia appetunt. Sed haec opinio & autoritas facile refutantur. Quocunque enim in re aliqua, quæ talis est, datur aliquid prius, illud non potest esse illius rei ratio formalis. Atqui appetibilitate in bono, quæ tali, datur aliquid prius. Ergo &c. Et, Effectus non potest esse de ratione formalis cause suæ. Atqui appetibilitas est effectus boni. Ergo &c. Minor utrumque probatur. quia non ideo quod quid appetibile est bonum est, sed, quia bonum est, appetibile est: nempe omne bonum appetibile est, quia conveniens est ei qui appetit. Quod attinet autoritatem Aristotelis, notum est, cum loco cit. non à priori Boni essentiam per definitionem explicare, sed à posteriori per proprietatem aut effectum qualicunque modo declarare. §. 5. Respectus, quem bonitas addit enti, atque ipsa formalis ratio boni, consistit in convenientia: &, Ens est bonum quatenus est conveniens. Sed quam & ad quid convenientiam notet bonitas, non tam facile est explicatu. Nos in re obscura perspicuitati, quantum poterimus, studebimus.

IV. Bonitatem esse fidam in convenientia, communis loquendi modus demonstrat: dicimus enim, hoc aut illud esse alicui bonum, quia

quia ei conveniens est : eruditionem bonam homini , aquam bonam piscibus , quia illa homini , hec piscibus est conveniens : præterea id sic demonstratur . Quicquid est ratio & causa appetibilitatis potentialis & actualis appetitionis , est ratio formalis boni . Atqui convenientia alicujus rei est ratio & causa &c. Ergo &c. Major nota est ; ideo enim aliquid est appetibile & appetitur quia bonum est . Minor quoque certa est ; nihil enim appetibile est vel appetitur , nisi quod & quia nobis est conveniens , vel aliis , quibus appetitur . Sed quæ aut qualis est convenientia , in qua ratio formalis boni consistit ? Præceptor noster Cl. D. Burgersdicius l. 1. c. 20. Bonitatem confistere ait , in convenientia entis cum alio . Sed quomodo Deus tum dici potuit bonus ante creationem , quandoquidem nihil fuit cum quo convenienteret ? Ego malim sic dicere . Convenientiam entis considerari , vel respectu sui , vel respectu alterius . quam distinctionem prolixè inculcat Metaph. disp. 10. sect. 3. Suarez . Illo modo bonum dicitur , quod est conveniens sibi ipso ; hoc modo bonum dicitur , quod est conveniens alteri . Utroque in modo convenientiae formalis ratio boni consistit . Et sic Deus ante creationem bonus , & post creationem bonus , & creature omnes bonæ dici possunt . Hæc mea de bono sententia , eadem est Guinandi Rutgersii in Institutionibus Metaph. l. 1. c. 17. cuius verba , quia explicationem continent suæ ac meæ sententiæ , non pigebit hic adscribere . Hæc , inquit , convenientia , quam bonum connotat , consideratur quandoque in ente , respectu sui ipsius , quatenus videlicet per quandam reflexionem ejusdem ad se ipsum , concipiuntur entitatem rei ut sibi ipsi convenientem & amabilem , juxta illud vulgatum ex Arilit. 8. Eth. c. 5. Amabile bonum , unicuique autem proprium . Ergo etiam convenientis est & amabile , & quidem maxime , quod maxime alicui est proprium , quale certe est ipsa entitas , qua unumquidque intime ac essentialiter constat : aliquando autem solet prædicta convenientia considerari respectu alicujus alterius , quod vere & à parte rei distinctum est ab eo quod bonum denominatur : utriusque exemplum potest esse in calore , qui denomi-

natur bonus , 1. Quidem , quatenus ipsa entitas caloris sibi ipso est valide conveniens & amabilis , ut qui expedit conversationem sui esse , quatenus illud tueretur ac defendit , si necesse esset . 2. Denominatur calor bonus , quatenus est convenientis valdeque proportionatus igni . Et quidem juxta utrumque hunc modum convenientiae denominatur ens bonum transcendentaliter , hoc est , tali bonitate , quæ sit passio entis . Hæc Rutgerius , cui adstipulamur .

V. Proprietates boni sunt . 1. Appetibilitas & amabilitas , quia omne bonum propter convenientiam suam est amabile & appetibile : & non tantum sui amorem excitat in aliis , ut appetatur , sed etiam seipsum amat , seipsum appetit , sibiique in suo esse complacet : unde oritur . 2. Conservatio sui , quia enim bonum se amat , studet etiam se conservare . 3. Communicabilitas , quippe bonum est sui communicativum . 4. Defensio sui & odium adversus corruptionem sui ; bonum enim se tuetur contra vim externam . 5. Propensio in similia : bonum enim amat sui simile : Ex hisce proprietatibus boni maxime considerabilis est appetibilitas , quæ habet se ad bonum , ut visibilitas ad colore . Appetibili respondet appetitus proportionatus : appetibili presenti appetitus complacientia : appetibili absentia appetitus desiderii , de quibus fuse Rutgerius loco cit . Hinc fluxit ista boni descriptio . Bonum est quod omnia appetunt . Eth. 1. c. 1. Est vero quadruplex appetitus , à quo bonum appeti potest . Est 1. naturalis , rebus inanimatis proprius : licet hunc in illis observare , quando similibus delectantur , quando se conservare nituntur , quando pro universi salute laborant . 2. Datur appetitus innatus in corporibus animalibus non sentientibus , qui animæ vegetantis est appetitus : hujus operationes in plantis conspicuas sunt . Cur brassica rutam adeo adversatur , ut juxta eam seri nolit ? ex appetitu hoc est ; quia enim sui desiderio tenetur , rutam ut sibi malam fugit . 3. Datur appetitus animalis , qualis est brutorum , qui cum imaginatione conjunctus est , & tanto boni desiderio tenetur , ut ne in somno quidem otiosus videatur . Hinc frigus si sentiant inter dormiendum animalia , tegumentum querunt ac

loca calidiora. 4. Est *rationalis appetitus*, qui non tantum ad bona singularia, ut tres priores, sed & ad universalia lese extendit, sectaturque etiam ea, quæ à sensibus sunt remota: sic eruditionem appetit homo & summum bonum. *Respectu quadruplicis cuius us appetitus bonum dicitur appetibile.*

V I. *Divisiones boni admodum sunt variae.*  
I. *Bonum est aliud per essentiam, aliud per participationem: illud est, quod à seipso & per seipsum est bonum, diciturque bonum infinitum, independens, increatum, quale est Deus, qui à nullo suam bonitatem accepit: hoc est, quod à Deo bonitatem accepit, diciturque bonum finitum, dependens, creatum, quale est creatura: hæc licet non sit per essentiam bona, est tamen secundum essentiam bona, id est, essentia est principium bonitatis; bonitas enim sequitur essentiam: verum, ut essentia creaturæ, secundum quam est bona, à Deo est participata, ita & participata est ejusdem bonitas.*

VII. 2. *Bonum est vel Theologicum vel Philosophicum: illud spirituale est, & supra vires hominis collocatum: eftque vel sumnum, absolutissima hominis felicitas: vel intermedium, ut dona spiritualia, regeneratio, justificatio, sanctificatio, &c. hoc, philosophicum puta bonum, est vel naturale vel morale: illud est, quod consentaneum est naturæ prout naturaliter operatur & operari potest, ut sanitas: hoc est, quod convenit rei ut libere operatur, ut virtus.*

VIII. 3. *Bonum est verum vel apprens: illud est, cui revera inest bonitas, quæ inesse existimatur: hoc est, cum non inest re ipsa bo-*

nitas, quæ inesse existimatur. Hæc distinctio utilissima ad quarundam objectionum solutionem; ut cum malum appeti volunt quidam, quia mors expetatur: at illa, tum bonum apprens est.

X. 4. *Bonum est aliud simpliciter vel in se, aliud alteri vel ad aliud. Bonum simpliciter multis modis dicitur tale.* 1. *Per ordinem ad apprens: & sic idem est quod verum bonum.* 2. *Per ordinem ad singulare, & sic idem est cum bono universali.* 3. *Per ordinem ad bonum per participationem, & sic idem est cum bono per essentiam.* 4. *Per ordinem ad inferius & subordinatum bonum, & sic idem est cum bono summo.* 5. *Hic dicitur, quod semper, absolute, & ubique, atque omni est bonum. Bonum alteri vel ad aliud, quod certo tempore est bonum, nec ubique nec omni est bonum. sic quatuor pedes habere, bonum est asino vel bovi, non homini vel gallinæ: facere jacturam bonorum, bonum est, tempore tempestatis, ut vita servetur: vim bonum est homini, sed non omni, neque enim convenit febricitanti.*

X. 5. *Bonum est honestum, iucundum, utile. Honestum, quod rationi recte est congruum, & ex se ac propter se expetitur. Iucundum, quod, quia amorem sui conciliat vel sensui vel rationi, expetitur. Utile, quod propter aliud bonum, ad quod acquirendum interficit, expetitur. Sed de hac boni divisione & aliis, videantur *Authores Metaphysici, Systematici & Quæstionarii.* Hoc pro coronide moneo, has non esse divisiones omnes in diversas res & species bonorum, sed plerasque vel unius boni in diversas formalitates, vel ipsius vocis in plures significations.*

## Disputationum ex Philosophia selectarum

TRIGESIMA-QUARTA,

*Quae est prima,*

DE

## FORMIS.

## THESES I.

**N**ULLUS in tota Philosophia difficilior est locus, quam de *Formis*, ut jure merito *Iulius Scaliger Exercit. 307. sect. 12.* omnem nostram in Philosophia scientiam, propter *Formarum cognitionem rudem & confusam*, nihil aliud esse quam *umbram in sole*, dixerit. Hinc est, quod ab *Aristotelis* tempore in hunc usque diem tam ferventi partium studio agitetur de *Formis* controversya, quæ fere hoc reddit omnis. *An Forma in rebus naturalibus sit substantia, eaque diversa, ab altero rei naturali principio, Materia.* Atque hæc de omnibus, *præter rationalem Animam*, *Formis* instituitur questio: quin enim hæc sit substantia immaterialis, à Corpore, substantia materiali, diversa ac distincta, & ex Scriptura per revelationem & ex natura per ratiocinationem, sanioribus constat Theologis ac Philosophis. De reliquis itaque *Formis* & nos hanc questionem ventilabimus. Negantem plerisque ante *Aristotelem Philosophis antiquioribus* placuisse hic sententiam, affirmantem *Aristoteli* allubuisse, locis ejus adductis, referunt *Conimbr. l. 1. Phys. c. 9. quest. 10.* qui cum omni caterva *Scholasticorum* eam quoque sequuntur. Fateor equidem aliquot jam feculis hanc *Affirmantium* opinionem invaliduisse, atque illas egisse radices in multorum animis, ut, qui contra sentiunt, in ipsa censeantur Philosophia principia impingere, omnisque veritatis fundamenta subrure: Atque utinam hic stetisset judicium! longius item est. Non erroris tantum aut falsitatis quibusdam præcipitantis nimium judicii hominibus habentur rei, qui negantem questio- nis propositæ partem defendant, sed impieta-

tis insuper: ac jam dubitari coepit est & disputari, *An cum bonis moribus & pietate opinio consistat negans?* atque adeo fere excommunicationis fulmen negantibus pro terriculamento objicitur. Sed bene est, quod non illi morum & pietatis exæctores & censores sint constituti. Dandum hoc est & condonandum nostri temporis vitio, quo homines quidam (qui, nisi quod ipsi sentiunt, nihil rectum censem) ex innovis in *Philosophia* opinionibus impietatem statim norunt exsculpere aut hæresin etiam: quam utramque, à sententia, *Formas esse substantias* (excepta semper *Animæ rationali*, quod semel ac semper dictum esto) à materia diversas, negantis Authoribus, ut semel & serio amoliremur, viis fuit aliquot disputationibus ventilandas propone-re pro Negante sententia rationes *Guilielmi Pembelii L. A. M. & Concionatoris Wagennariorum*, Collegii Magdalensis apud Oxonienses quondam alumni, viri, ut titulus habet operum ejus *Anglicorum, divini, &c.* ut habet titulus *Enchiridii ejus Oratorii, facundissime pii*, ex ejus *de Formarum Origine tractatu*. Nemo Authorem hunc, vel impium, vel hæreticum, nisi insigni & calumnia & mendacio, dicere fuerit ausus, quippe qui hærefeos fundamenta contra nostri seculi Pelagianos in suis *Vindiciis gratiae* masculine destruxit, justitiam inhærentem contra nostri temporis *Phariseos* in suis *Vindiciis Fidei* funditus subvertit, pietatis fundamenta contra *Atheos* in suo de *Providentia Dei* tractatu & gravissimis in *Ecclesiasten & Zachar. Prophet.* explanationibus variisque concionibus, solidissime jecit. Et ostendant semel, si pos-

Q. 3.

fint.

sint, *Affirmantes*, quodnam fidei, pietatis, salutis, fundamentum evertat, in quod Decalogi aut verbi divini præceptum impingat, sententia negans. Evidem tam pretiosa hic est *Negantibus* animæ suæ salus, tam chara fides, tam cordi veritas, tam curæ pietas, quam *Affirmantibus* esse possit. Sed tandem ipsum audiamus differentem *Pembelium*.

11. Vexatissima est illa inter *Physicos* *Quæstio*, de *Formarum Origine*, quomodo, quo principio, orientur & Materiæ adscientur. Quæ quantum & dissentium ingenia exercuerit, testatum faciunt tot doctorum hac de re commentationes, atque, post tam claras, ut videbatur, huic veritati prælatas faces lumenque admota, summa animorum caligo & infictia, qua adhuc cingimur. Hæremus in cortice, & in natura vestitum externunque accidentium ornatum novimus, & miramus, at corpus ipsum & intimam essentiæ medullam querimus & ignoramus: vel potius, an non in scirpo nodum? illud anxia indagine vestigantes, quod nisi in *Philosophorum cerebris librisque, in Natura est nusquam*. Ita plane est, cœcuentes nimirum acute cernimus, atque illud scire satagimus, quod nec esse Natura agnoscit. Intelligo illud *Physicorum de Formis placitum*: quod eti *Antiquitate & omnium Præjudicio* satis confirmatum videatur, tamen cum potius ut *Postulatum* quam ut demonstratum ab *Aristotele primo Inventore*, ejusque *Sectatoribus*, sumatur, non erit immodeti sed φαντασίαι, illud penitus introspexisse, atque examinasse, quid firmatis habeat hoc fundamentum, cui tot in omni Philosophia dogmata innituntur.

III. *Aristoteles*, rejetis aliorum ante se placitis, tria rerum communia *Principia* statuenda esse, docuit, *Constitutionis* duo, *Materiam & Formam*, *Transmutationis* unum, *Privationem*. Quam triadem Poteritas venerata est, & fere αδιανόιος retinuit. Merito autem erroris suspecta est hæc doctrina, & à multis contra itum; qui *Privatione*, de sede, quam occuparat, detrusa, binarium tantum Principiorum numerum agnoverunt. Quam hoc iusta fecerint lege, sufficiet uno aut altero exemplo demonstrasse. *Privatio* est *principium transmutationis*, inquit *Aristot.* At quale principium?

Intueamur exemplum, & *Naturam non Notiones* sc̄emur. Aqua mutatur in Aerem. Hujus mutationis *principium est Privatio*, vel *quatenus est Absentia formæ Aeris in Aqua, vel quatenus est Aptitudo in materia Aquæ ad recipiendam formam Aeris*: ex ipsis enim duabus partibus conflatur definitio *Privationis*. *Non priori respectu*: nam *Absentia formæ* (fatentibus ipsis *Aristotelis*) est merum Non-ens, nihil habens positivi: ipsum abesse est non esse, nec magis ens est mera *Absentia Formæ Aeris* ab *Aqua*, quam *Absentia formæ Aeris* ab *Auro*, hoc est, purum putum nihil. *Quis autem* fānus dicet, Non-ens esse principium transmutationis *Corporum Naturalium*? *Non posteriori modo*: quia 1. sic *Privatio* non est *Privatio*: merus est & *Rei & vocis abusus*, vocare aptitudinem & capacitatem subiecti, nomine *privationis*: perinde ac si dicas, *Carendi duæ sunt partes, Carere & Habere*: Illa enim *Aptitudo*, est qualitas vere positiva, quæ habetur & possidetur à subiecto: nempe, *vel una simpliciter qualitas*, ut *Potentia passiva Materiæ primæ*, per quam vere disponitur ad recipiendam formam quamcunque, *vel mixta qualitatæ congerie* in corporibus, sive mixtis, sive simplicibus, per quam ad unam formam magis quam ad aliam disponuntur, ut in *Aqua humiditas* & *tenuitas* faciunt eam aptam ad aeris magis quam alterius corporis: At quis vel unam qualitatem, vel multarum debitam mixturam sine absurditate vocaverit *Privationē*? 2. Etsi revera ista *Capacitas & Aptitudo* requiratur ad omnem transmutationem, ut *Conditione necessaria* in subiecto transmutando (nec enim ex quolibet ligno fit *Mercurius*) non tamen recte dicitur *principium transmutationis*. Anne ideo res mutatur, quia mutari apta est & capax? Minime certe; neque in artificialibus, neque in naturalibus. Sed hic recurrit ad solemnum distinctionem duplicitis *Principiis*. 1. *Effectivæ virtute sua agentis*, & 2. *Ocasionalis*, anfam quasi præbentis: Et, hujus *posterioris farina* est *Privatio*. Sed hac distinctione parum consultatur huic cause, ut ex sequentibus palam fit.

IV. §. 1. Non ferendum est hoc *Aristot.*, ταῦτα, qui *fundamenta totius Philosophiae*

phiæ jaciens, & principia, tum constitutæ, tum transmutatæ, naturæ accurate investigans, neglexerit causam efficientem, in qua virtus transmutativa corporum latet, atque ejus loco occasionem tantum prehenderit, cuius nulla ex se est efficacia, non *dæx' sed à phœn* dicenda fuerit Privatio. §. 2. Nec Occasio quidem est, quod ad primam Privationis partem, cui tamen hæc distinctione solet applicari: *Sive enim Aquam, integræ adhuc sua forma sive jam corrupta, spectemus, neutro modo Absentia formæ est occasio mutationis: non primo; nam Absentia formæ Aeris, in Aqua adhuc manente integra, non magis Occasio dici potest mutandæ aquæ in aerem, quam mutandæ illius in ignem aut terram: non secundo; nam Absentia formæ Aeris in Aqua corrupta, non est Occasio, cur introducatur magis forma aeris quam forma ignis: nec absentia formæ Aeris, in aquam introducibilis, est Occasio cur introducatur; nam & terra quoque forma absens est, & introducibilis, aliquandoque in aqua corrupta inducit: nec denique absentia formæ simpliciter Occasio est, cur alia, qualis sit, intromittatur: illud enim *figmentum est*, ut sic ostendi potest. In transmutatione Aquæ in Acrem, necessario secundum Peripat. doctrinam, dandum est aliquod Instans, in quo & non ante forma aquæ recedit: ut enim generatio, sic corruptio fit in instanti; forma siquidem est indivisibilis, & tota accedit receditque in momento. *Bene habet.* Ante illud igitur Instans in Aqua non erat illa privatio. Jam vero, cum avolat forma aquæ, advenit Aeris forma, vel in eodem instanti, vel in diverso. Si in eodem, nulla potest intercedere privatio, si quidem ante illud aqua non erat privata sua forma, & in ipso illo instanti admittit formam aeris. Itaque hoc pacto occidit privatio, sed oritur interim major difficultas. *Quomodo in uno & eodem instanti, eadem materia aquæ, possit habere duas formas specificas Aquæ & Aeris.* Cujus difficultatis nulla plane solutio dari potest stante Physices Peripateticae constitutione. *Sin dicas,* hoc fieri diversis instantibus, intercedente aliquo privationis tempore, succutis hoc dicto Physiologia Aristot. fundamenta, quæ volunt im-*

possibile esse, ut Materia vel ad momentum informis existat. Quare cedat foro Privatio, nec amplius in Naturæ triumviris accensetur. Aptitudo quidem & Capacitas illa Materie, esto aliquo modo Occasio legum naturæ novandarum; Principium non est: Privatio non est. Hujus autem nothi loco substituatur *vñatio*, illud omnium transmutationum principium effectivum, sc. pugna contrariarum qualitatum, quarum adversa dimicatio, alternaque aut mutua victoria, & post eam concordi temperie, sed disproportionata *duoniam*, fons est & radix, unde existunt omnes, quacunque in natura naturaliter sunt, generationes & corruptiones. Hoc clarius demonstrabitur in sequentibus, dum secundum Peripateticorum Principium diligentiori examine subjiciimus: quod *Forma* est.

V. Duo sunt Constitutionis rerum Principia, Materia scil. & Forma. Materiam agnoscimus, de Forma querimus, Ea est ( inquit Peripateticus ) Principium effectivum, quod cum Materiæ constituit compositum substantiale. Habet essentiam, vide ejus elogia & proprietates. Est substantia, & quidem præcipua pars essentiale compositi: divinior & dignior natura quam Materia: composto dat esse; Agere, Distingui, Nomen: est generalis & corruptibilis: educitur de fini seu potentia materiae: in sensu non incurrit: conficit in indivisibili: nec minuitur pro varia composti quantitate: est immateriata & tamen materiae necessitate ligata. Cape quoq; divisionem. Est Forma, alia Prima reliquias antecedens, communis omnium corporum naturalium, quatenus sunt naturalia: alia Secunda, primam sequens, propria particularium corporum secundum diversas species. Hæc sunt breviter, quæ Physici de Forma tradunt, pauca ea quidem, attamen ejusmodi, quæ tum inter se, tum cum fundamentis naturalis scientiae ab Aristot. positis parum consentiunt. Illud primo scrupulum injicit, sublesta hic agi fide, quod inter tot, de Materia, altero principio, controversias, libros, disputationes ultra citroque scriptas habita-que, parum aut nihil fere de Formarum natura reperias in Physicorum Commentariis. Aliiquid in genere disputatur in Communi Physices parte, ubi è regione Materiæ forma tractatur: at fit

at fit ita leviter & perfunditorie, ut cognoscas eos umbram non veritatem petere, inter ipsas disputantium manus avolantem & evanescensem. In reliqua *Philosophia*, donec ad *Hominem* peruentum erit, altum de ea silentium, exceptis quibusdam, de *Celi* & *Elementorum Formis*, otiosis speculationibus. An hoc fit, quod *Formæ* natura & notitia magis in obscurro sit quam *Materiæ*? Nequaquam sane. Conferamus paritatem utriusque & privilegia *Formæ*. Forma in sensu non incurrit; neque *Materia*: utriusque cognitio ab intellectu solo pendet: patentibus *Peripateticis*, & docentibus, materiam non cognosci nisi duplice instrumento, Probationis necessarie à transmutationibus successivis commune aliquod subiectum requirentibus, & Proportionis ab arte factis ex materia varie effigata constantibus. Quare mirum est eos, qui de *Materia* essentia proprietatibusque tam multa disputarunt & definierunt, noluissent *Formæ* naturam accuratius eisdem subtiliis inquirere. Nec erat, cur hic magis hebescerent oculi, si dignorem & clariorem *Formæ* naturam spectemus. Quid enim? *Materia* est perfectibilis, *Forma* perfectio: illa, potentia, nuda, pura passiva potentia (sic ajunt:) at *Forma* est Actus. *Materia* est debilis entitatis fere aciem intellectus fugientis; at *Forma*, divinum est quid, ipsam essentiam dans, nedum habens. *Materiæ* propria sunt, potentia patiendi & recipiendi quidvis, & quantitas interminata, at actio nulla; *Formæ* autem, mille sunt Actionum Qualitatumque differentiarum, quæ sensum intellectumque non leviter perstringunt. Quid igitur cause est, quod tot praestibus auxiliis tantillum in *Formarum* cognitione profectum sit, in *Materiæ* Tantum. His illud adde, quod qui de Angelorum essentia summa subtilitate & audacia pronunciarunt, quorum essentia ægrius à nobis percipitur, illi *Formarum* disquisitionem penitus ferè neglexerint. Verum ne suspicione huic justæ ninius dedisse videamur, accedamus ad rationes, quibus adversum receptam, *Formæ* doctrinam sic argumentari possumus.

V I. *Forma* Corporis naturalis, est vel *Substantia*, vel *Accidens*. Si *Substantia* sit, erit vel

*Materialis* & *corporea*, vel *Immaterialis* & *spiritualis*. Hæ divisiones sunt immediatae, & ex terminis oppositis, toto genere differentibus, constant: ita ut ineptè diverticulum quadratur, in distinctione *Substantia* in *perfectam* & *imperfectam*, aut in *Gradus* quosdam intermedios inter *substantiam* & *Accidens*, inter *Materiam* & *Spiritum*, quos neque *natura* neque *Philosophia Peripatetica* ullo modo admittit: puritas enim purissima *Materiæ* non eximit rem è gradu rerum materialium, nec speciem variat: illa entitas *Media* inter *substantiam* & *accidens* ne concipi quidem potest, & certe novum requirit *Predicamentum*. Nec illud de *Perfectione* aut *Imperfectione* *Substantia* magis è divisione *Prædicamenti Formam* quam *Materiam* exterminat, qua imperfectius nihil. Sunt itaque secundum *Philosophiam Peripateticam*, & naturam quidem ipsam, distributiones illarum irrefragabiles: ex quibus sic procedo. *Forma*, nec est *substantia Materialis*, nec *Immaterialis*: Ergo ne omnino quidem *substantia* est. Probatio instituetur per partes.

V II. *Forma* non est *Substantia Materialis* & *Corporea*. Ostendo his rationibus. §. 1. Quod materiam corporisque informat, illud non est materiale & corporeum. Atqui *Forma* materiam corporisque informat: est enim ejus officium informare. Ergo &c. Vis hujus argumenti in eo consistit, ut intelligatur, quid sit *Informare*. Hoc autem est: Omnes *Materiæ* partes ita permeare, atque omnibus vel minimis se se immiscere, ita ut unicuique essentiam & vires speciei convenientes tribuat. Dico impossibile esse, ut *Substantia* aliqua *materialis*, à materia corporum distincta, materiam illorum per minimas sui particulas ita pervadat. Contradicit hoc *Natura*, quæ vetat omnem penetrationem dimensionum, hic necessario concedendam, si *materia* (id est *substantia materialis*) materiam permeat, cum omnis *Materiæ*, cuiuscunque demum sit subtilitatis, quantitas semper sit *accidens* inseparabile.

V III. §. 2. Omne materiale & corporeum est per se quantum & divisibile. Atqui *Forma* non est per se quanta & divisibilis. Ergo &c. Major manifesta est ex discriminé inter Cor-

pus & Spiritum. *Minor est ex omnium Philosophorum placito*, qui statuant, formas quantitatis esse expertes & in indivisibili confistere. *Quam verum sit illud dogma*, non opus est nunc exquirere, sufficit hoc loco has contrarias sententias inter se commississe.

**I X . § . 3.** Nihil generabile & corruptibile est materiale & corporeum. Atqui omnis Forma (humana excepta) est generabilis & corruptibilis. Ergo nulla forma &c. Veritas *Majoris* clarissima est; tum ex communī *Aristotelicorum* sententia, afferentium materiam nullo modo generari & corrumpi posse, sed ortus & interitus immunem persistere in perpetuum; tum etiam experientia: fieri enim non potest in transmutationibus, ut vel minimus materię pulvīsculus corrumpatur in nihilum, vel generetur ex materia non præexistente: Quicquid in rebus est materiale (intelligo Essentiam, non inherentiam, nam sic Accidentia sunt materialia) illud, sicuti divina virtute ex nihilo extitit, ita nulla naturali vi in nihilum redigitur. At, quod *Minor* ait, Formæ quotidie corrumpuntur & annihilantur, atque de novo generantur, idque virtute agentium naturalium. Affirmant hoc omnes, atque ipsa etiam Transmutationis veritas. Nihil ergo in Formis materiale est.

**X . § . 4.** Evertitur hoc pacto illud *Principiorum xerigiorum* ab *Aristotele* positum, scilicet, *Principia debere esse contraria*, quia quicquid fieri ex contrariis necesse est: ubi per Contrarietatem non intelligit illam proprie di-

ctam (alibi enim dicit substantiam substantiæ non contrariari) sed talem diversitatem & distinctionem, per quam principia corporum constitutiva ita differunt, ut essentia propriissime iisdem non communicent: nam ex uniformi, aut duabus uniformibus substantiis, nihil nisi uniforme generatur. Atqui, si Forma quoque sit materialis, Materia & Forma, non tantum non contraria, sed ne diversa quidem dici possunt: eadem siquidem erit utriusque Essentia, gradibus tantum majoris aut minoris puritatis & subtilitatis distincta; qui plane non sufficiunt ad tollendam uniformitatem.

**X I . § . 5.** Tollitur quoque hoc modo illud Formarum privilegium, quod sint *fons & origo omnium actionum*: Cum enim operationes sint à forma, formæ autem essentia sit materialis, necessario sequitur, materiam quoque esse activam & actionum principium: erit siquidem Forma, Materia quædam actuosa, vigoris & virtutis plena, per quam potens est Materiam corporis torpidam & ignaviam actuare & excitare. At unde ista Virtus necessaria est, ut sit immediate ab ipsa formæ materia: nam si ab alio oriatur, jam Forma non erit principium, quia datur aliiquid prius. Sicut enim materia prima ex se habet quantitatem, sic & Forma vires ex se ortas, non ab alio mutatas, possidet. Atque hoc plane repugnat omnium *Peripateticorum* consensui, qui docent à Materia, quæcumque demum sit, oriri meram Passionem, eamque esse omnis possibilitatis radicem.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

T R I G E S I M A - Q U I N T A,

*Quæ est secunda,*

D E

F O R M I S.

T H E S I S I.

**I**ta fere cum *Philosophia* comparatum est & *Scholasticorum* abeunt sententia, magno hodie, ut, quæ dogmata à receptioni *Schoole* cum supercilioso fastidio soleant. Quare R pericu-

periculum est, ne hæc Cl. Pembelij, nostra, aliorumque formas negantum, opinio, vel eo ipso nomine, in reprehensionem sit incur- fura, quod novitatem quandam apud nostros Philosophos olere videatur. Sed vana hæc fo- ret reprehensio. In rebus fidei ac Theologicis, ne quid detrimenti capiat, vel fides vel pax, vel veritas Christiana, à novarum opinionum pruritu prorsus est abstinentium, imo ad cer- tam hic regulam & normam est loquendum, ne verborum licentia errorem gignat aut im- pietatem. At vero in rebus naturæ ac Philo- sophicis, in pulvere Scholastico, ubi in nullius verba juratur, ubi citra, vel pacis, vel salutis, vel pietatis dispendium, in utramque licet ire partem, major est concessa, tum sentiendi, tum loquendi, libertas: Nec tam hic Autho- rum nomina, quam rationum momenta, sunt spectanda. Quod tamen non sic accipi velim, quasi non plurimum esset veri & rei, in Antiquis Philosophis. Sed hoc volo. Ne unquam novitas veritatem sit fraudi. Veritas nunquam propter novitatem est deferenda, aut repudianda. Quin contra, novitas veritatem com- mendat, & animus noster novæ opinionis admiratione excitatur. Et, quæ hodie vetera fuit, olim atque aliquando fuere nova. Pre- clare Horatius:

*Quod si tam Grajus novitas invisa fuisset,  
Quam nobis, quid nunc esset vetus? aut quid  
haberet,  
Quod legeret, tereretque viritim publice  
us?*

Et non minus præclare hujus seculi Poëta exi- mius.

*Si meruit veri vindicta audire Novator,*

Mome! Novatorum est primus Aristoteles. Meo quidem calculo, vitium est maximum in philosophando, vetustatis gratia, ea defendere, quæ aut vera non sunt, aut probanda minus. Illud Pythagoræorum (*αὐτὸς ἐρεψεν*) procul abesse vult magnus dicendi Magister *Marcus Tullius Cicero* I. de Natura Deorum. De lit- teris bene mereri cupientibus obest pluri- sum, uti & iis qui discere aut docere volunt, id ratum habere, quod à veteribus Philosophis judicatum acceperunt: Definunt enim suum adhibere judicium. *Quam magno animo*

Aristoteles ipse, omnium Antiquorum, atque ipsius adeo Platoni, opiniones impugnaverit, videre est l. 1. Phys. & l. 1. Eth. c. 6. &c passim in aliis lib. Neque hoc unquam Philosopho im- putatum ad culpam fuit. Neque unquam tot ac tanta ornamenta & adjumenta Philosophiae subministrasset tantus Author Aristoteles, si destinatis veterum sententiis (qua jam olim quandam quasi vim veritatis, autoritate sola & ætate, obtinuerint) feso addixisset: sed ut scriptum reliquit Eth. l. 1. ad Nicom. ita egit ac philosophatus est: *Amicus Socrates, Amicus Plato, sed magis amica veritas*. Ad hoc Phi- losophi dictum, quin & præceptum, me compo- no: ita sum homo & sic philosophari soleo, ut plus apud me valeat ratio quam Authoritas, etiam Aristotelis, qui amicus quidem, sed magis amica veritas. At ne Aristotelis quidem Authoritas nobis deest. Videatur l. 6. Metab. c. 3. ubi postquam dixisset, *Substantia, οὐσία* in Græco, vocem dici quadrupliciter, sic ait, *μέλισσα γέ δοκεῖ εἶναι οὐσία τὸ ιππεῖνδρον ἀφεντικόν τούτου δέ, τρέπον ϕέ πνα, η ὥδη λέγεται: ἄλλον δέ τρόπον, η μερόν: τεχτόν δέ, τὸ εἰπετάν- λιρον ἐ τὸν ὄλλον, οἷον τὸ γυλαρόν· τὸν δέ μερόν, τὸ ζῆμερον δὲ ιδεας· τὸ οὐλέπον τούτων, τὸ αἰδειάντα τὸ συνολον*. Videtur enim maxime esse substantia subiectum primum; tale autem modo quodam di- citur, materia: alio modo, forma: tertio, id quod ex his constat. Dico autem, materiam ut *ās*, for- matum ut *figuram speciei*; quod autem ex his con- stat solum, ut *statuum*. Assumo jam. Atqui figura statua non est substantia ab ære diversa. Ergo nec forma corporis naturalis ab ejus ma- teria est substantia diversa. Unde statim post duas lineas: *Νῦν μὲν δὲ τόπῳ εἴρηται, τοῦ ποτέ εἰσιν η οὐσία, οὐ τὸ μη κατόπιν οὐσίας, αὐτὸν κατέχει τὸ οὖτα*. Nunc igitur quasi figura (i. e. rudi Minerva) dictum est, quidnam sit substantia, scilicet, id quod de subiecto non dicitur, sed de quo dicuntur cetera. Assumo. Atqui illud quod de subiecto non dicitur est materia, de qua, & forma & accidentia dicuntur. Ergo materia est substantia, non forma nec accidentia. Et post duas iterum lineas. *Eι δὲ μη αὐτὸν sc. η ὄλλη, οὐ οὐσία, τοι εἰσιν άλλα, Διαφορά.* Si enim illa sc. materia, non est substantia, quæ erit alia, fa- git nos. At, si tibi forma fuisset, substantia à materia

materia diversa, non id quæsivissem, & bone Aristoteles: namque habuimus aliam. Et, materiam solam esse substantiam, egregio probat argumento Philosophus: ἀλλαριθμὸν δὲ τὸν ἀλλον, εἰ φαίνεται εἶδος τοπειών. Subtilis enim omnibus, nihil videtur remanens. Quasi sic argumentetur Philos. Id quod omnibus sublati manet, est substantia; que auferuntur, non sunt substantiae: sed reliquis sublati manet materia: que auferuntur sunt formæ & accidentia. Ergo &c. Unde disertis verbis post lineas 6. aut 7. concludit. Ως τὸν ὑπὸ αὐτῷ εἰ φαίνεται πόλις στοιχεῖα τῶν τοπειών. Quare materia necesse est videri solam substantiam, hoc pacto considerantibus. Lib. 8. Metaph. c. 6. verbis pene ultimis. Eἰ δὲ, ὅτι τέλος εἴηται, καὶ οὐκέτι ὑπὸ, καὶ οὐ μορφὴ, ταῦτα, τὸ μὲν δυνάμει, τὸ δὲ σύγενεια; & paulo post. καὶ τὸ διωρισμόν, καὶ τὸ σύγενεια, εἰ μήτε τούτο. Est vero, ut dictum est, & ultima materia, & forma, idem: illud quidem potentia, hoc actu. Et, quod potentia, & quod actu est, unum quodammodo sunt. Quid clarius? materia autem potentia est, forma actu. Notetur autem, quod dicat Aristoteles materiam & formam esse τὸν νοῦ τοντό. Tantum Arist. lib. 4. Metaph. c. 9. est ἐνόμος & εἶναι, unitas essentia. Ergo Materia & Forma unam habent essentiam: non ergo duas sunt substantiae distinctæ. Ergo &c. l. i. Phys. c. 7. t. 69. Ως δὲ τὰς αὐθεντικὰς χαλκούς, η τὰς καλίκους ξύλους, η τὰς πάθητος τῶν ἵππων μεροφύλλων: τὰς αὖτις τὰς ξύλους, τὰς εἰσιαίς ξύλους, καὶ τὸ πέδη ποτόν. Ut enim ad statuam es, ad ledicam lignum, vel ad aliquid aliud eorum quæ formas habent; ita ipsa sc. materia ad essentiam se habet, & quod est hoc quippiam & hoc ens. Assumo. Atqui et tantum est substantia, lignum tantum est substantia, non vero statua aut lectica forma in et aut lignum introducta. Ergo nec Forma in materiam introducta substantia fuerit. Atque ea similitudine fæpius utitur alibi Aristoteles. Sed ab eo ad Cl. Pembeleum redeamus, qui sic porro ratiocinatur, & postquam Formas non esse Substantias materiales demonstravit Disp. precedentem, nunc nec esse immateriales aut spirituales, sic probat.

## II. Quod forma non sit Substantia Immaterialis

& Spiritualis, evincitur firmissimis rationibus, defunctis à formarum generatione & corruptione.

§. 1. A formarum generatione. Quia in ridiculum plane est, quam misere se aliosque torserint Philosophi. Summa omnium in hoc negotio speculationum huc redit. Formas non induci sed educi ex materia: Nimirum absurdum visum est dicere, formam auri, lapidis, plantæ, &c. primo extra Materiam factam esse ab externo agente, deinde veluti vehiculum in materiam importari. Spinozis absurdus horret hæc opinio: posse formas rerum separatas existere. plus conferre agens externum quam semen in generatione, &c. Quare in eo fixus est baculus, Formas omnes (humanam excipe) è materia educi. Verum hic admodum sudatur in explicando hujus educationis modo, nec adhuc certi quippiam statuitur. Nos breviter omnia comprehenderentes sic argumentamur. Si Forma educatur ex materia, fiet hoc, velex Aliquo præexistente in Materia, velex Nihilo. Si prius, erit illud Aliquid, vel ipsa Materia Essentia, vel Accidentia quedam illius. Per partes agamus.

III. Forma non oritur ex Essentia Materiae. Contradicunt hæc rationes. 1. Quicquid ex materia Essentia oritur, illud necessario est materiale; uti, quicquid ex aere nudo fit, illud est aerum. At Forma non est materialis, uti demonstratum est. Disp. super. Ergo &c. Vel si Forma fit immaterialis, impossibile est ut fiat ex essentia Materiae: fundamentum quidem ponitur in Philosophia. Immateriale ex Materiali per agentia Materialia) ut sunt ea quæ Formas educunt) generari non potest. Illa enim materia, ex qua constituitur Forma, ad quemcumque demum puritatis, claritatis, & tenuitatis gradum, velut in alembico, elevetur, Materia tamen est & remanet. 2. Funditus subruitur illa altera Principiorum lex ab Aristotele & sectariis lata; Principia ne fiant ex se mutuo. Atqui fient, si ex Materia substantia confletur Forma.

IV. Forma non oritur ex Accidentibus Materiae. Confirmant hæc argumenta, contra opinionem eorum omnium, qui dicunt, Formas educi de potentia, de finu, de gremio Materiae.

terie. Ubi intelligent, credo, his terminis, *Accidentia & Qualitates* quasdam Materie. At non hinc Formis origo est. Nam 1. Substantia fiet ex Accidentibus ; Forma substantialis ex accidentalibus Materie proprietatis. Quod absurdum quam diffonet, *Peripateticarum aurum esto judicium*. Aut, si ex Accidente nihil generetur nisi Accidens (quod verum est) Forma erit Accidens, ut pote ex Accidentibus facta ; at hoc quoque *Peripatet. monstrum* est. 2. Forma non erit primum principium corporis naturalis : si quidem ex priore facta est, videlicet, ex Accidentibus Materie, quæ potius, quam Forma, Principii loco habenda sunt. Hac quoque ratione eventur altera *Principiorum lèx*, *Principia ne fiant ex alio*. At forma fiet ex Accidentibus. 3. Particularius queratur, quænam fint hec accidentia Materie, quæ *Gremii Sinusque* nomine vocantur. Certe, tria sunt, aut nulla. 1. *Potentia passiva*. 2. *Quantitas interminata*. 3. *Præviae dispositiones*. Quod ad duo priora, risu dignus est, si quis dicat, *Formas oriri & fieri*, aut *ex Potentia passiva* sive aptitudine & capacitate Materie ad Formas recipiendas, aut *ex interminata illius Quantitate*. Mera sunt ita delicia. Ergo forte *ex præviis dispositionibus* fit. Hoc verisimilius dicitur, sed hic caute advertendum est, nos habetenus non de existentia, sed de substantia Formarum querere, non quo Agente in Materia existant, sed *ex qua essentia & substantia sunt & constituantur*. Itaque etsi fortassis præviae dispositiones & qualitates in materia *secunda preparata*, ut in materia auri, lapidis, seminis, concurrent per modum Agentis ad productionem formæ Auri, &c. non tamen possunt concurrere per modum constituentis ad condendam illius substantiam & essentiam. Siquidem præviae dispositiones sunt tantum Accidentia : at Forma secundum Peripateticos est substantia & quidem Immaterialis, quæ ex Accidentibus tanquam materia constitui nequit : Aut si constituitur, erit quidem Forma Immaterialis, sed immaterialis Accidens, non immaterialis & incorporea Substantia. Hæc de priori parte Argumenti : videl. *Formam non fieri ex Ali-*

*quo præexistente in materia: sequitur membrum posterius.*

V. *Forma non fit ex Nihilo*. Ita enim Formæ in Materia productio non esset generatio sed creatio : quod sine maxima absurditate concedi non potest : tolleretur enim discrimen inter Animam rationalem & Formas ceteras, quarum etiam vilissime opus haberent ad existentiam creatione essentiæ : daretur immediatus & supernaturalis Dei concursus ad omnem generationem, creando & infundendo formam ; aut tribuenda esset naturalibus Agentibus vis creandi substantiam ex nihilo, quæ solius Dei est propria, pricipue in substantiis Immateriis (ut Formis) quarum essentia Materialibus longe dignior est. Atque hoc in loco *Philosophis* aqua plane heret, *interrogatis*, sive de inanimatis, sive de animatis Formis : *Sintne actu in materia è qua educuntur?* ut Forma auri in materia ex qua generatur, Forma pulli in ovo. Hic aestuant & fudant. *Insunt, & non insunt. Existunt, & non existunt. Insunt, sed non actu*. Nam sic, ajunt, nihil de novo generaretur, cum Forma actu & Materia actu existant : *Neque plane non insunt* ; nam sic crearentur. Ergo *insunt potentia*. Contradiccio. *Insunt*, id est possunt inesse (*Insunt*, actum significat, potentia, actum negat) *Insunt in suis causis*. Et hoc *avilephantur*. *Insunt in suis causis*, id est, cause insunt, per quas possunt aliquando inesse. Rursus. *Insunt habitualiter, non actualiter*, ut scientia in Geometra dormiente. Inepta distinctio, quatenus huic negotio applicatur. Habitualis enim rei inexistentia actuali non opponitur : scientia enim in Geometra dormiente actu inest, et si non quoad actus & exercitio. Num & *Formæ* sic ? *Substantia earum & actus primi actu insunt in Materia*, sed operationes & secundi actus impeduntur & dormitant ? Nec hoc volunt, quia absurdum est dicere, Formam auri esse actu in Materia ex qua generabitur aurum : sic esset aurum antequam est, aut Formam aeris esse actu in aqua transmutanda antequam actu transmutetur in ærem, aut formam animalis esse actu in semini, nec tamen semen posse dici animal. Omnia hæc sunt *aviles*, ut & tota ista *Philosophorum*

pborum de Formarum substantialium è materia educatione contemplatio. Persequamur alterum argumentum.

V I. §. 2. A Formarum corruptione, qua omnes, quotquot præter animam rationalem sunt, damnantur. Unde sic arguitur. 1. Nulla substantia immaterialis est corruptibilis. Omnes Formæ sunt corruptibles. Ergo nulla forma sunt immateriales. Majoris (intelligeam modo naturali) probatio est invicta ex ipso Peripato petita. Omne agens & patiens debent convenire in genere, id est in materia, inquit Aristotle. Inter ea igitur, quæ differunt mareria, nulla est Phyllica actio aut passio. Atqui materiale & spirituale sic differunt. Ergo, illud in hoc agere, hoc ab illo pati non potest. Fieri itaque non potest, ut aliquod agens naturale & corporeum, formas rerum immateriales, agendo corrumpat, totasque penitus aboleat, & in nihilum reducat, virtute aliqua materiali. Ejusdem virtutis est, substantiam è nihilo creare & in nihilum reducere. Quare in omni corruptione, aut concedendus est extraordinarius & supernaturalis Dei actus, in abolitione formæ, etiam musca unius misericordiæ, aut affirmandum, ordinaria agentia naturalia habere vim agendi in formas easque annihilandis: quod absurdum est ipsiis etiam Peripateticis. 2. Cum omnis substantia immaterialis sit excellentior materiali, in genere Formarum res contrario plane modo se habebit. Ignobilis enim & ignava materia firmorem stabilioremque essentiam habebit quam vel præstantissima bruti anima: Materia pulicis, nulla arte, nulla mutationum vicissitudine, potest annihilari: at vel nobilissima leonis anima uno istu occidit & in nihilum abit. Magnum hoc & notabile discrimen non levem semper mihi excitavit suspicionem, Formas, non inter substantias, sed inter acci-

dentia, esse numerandas, quæ ut videmus ortui & interitui in singula momenta sunt obnoxia.

VII. Accedunt his à generatione & corruptione desumptis argumentis aliae rationes. §. 3. Repugnat communi sensu & fano intellectui & hæc formarum immaterialitas. Quis enim sobrius dixerit, esse in lapide, in auro, substantiam aliquam spirituale, à materia distinctam. *Spiritus lapidis*, *Spiritus aurii*, portenta sunt in Philosophia, nisi Chymico sensu capiantur. At *Spiritus hominis* recte dicuntur.

VIII. §. 4. Omnis substantia divisibilis est materialis & corporea: Forma est substantia divisibilis. Ergo &c. Major est ex ipsis naturæ dictamine, divisio enim sequitur quantitatem: & quantitas est individua materiæ comes. Minor manifesta est in divisione omnium totorum homogeneorum, ut auri, &c. nec non heterogeneorum quorundam, ut in avulso ab arbore ramusculo ex se crescente, &c. Quod si objiciatur, aliquid etiam incorporeum dividi posse, ut albedinem in charta, omniaque accidentia ejusmodi, quæ tamen quantitate & materia carent. Respondemus, longe maximum discribent esse, inter spiritus immaterialesque substantias & accidentia immaterialia: illarum enim essentia consistit in indivisibili, tam necessario nexus inter se colligata, ut recedente parte tota pereat (si Metaphysicis credamus,) at non sic Accidentium. Stet itaque immota hæc reciprocatio. Omnis Substantia Spiritualis est indivisibilis: &c. Omnis substantia Indivisibilis est Spiritualis: Quicquid ἀλόγως obstrepant Conimbric. 2. de Anim. c. 11. quæst. 8. artic. 3. Atque è contrario, de substantia Materiali. Cujus argumenti tanta vis est, ut Formas è classe substantiarum in ordinem Qualitatis videatur posse cogere.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

TRIGESIMÆ - SEXTÆ,

Pars prior, quæ est Tertia,

DE

## F O R M I S.

## THESES I.

**T**OUSKAT' ἀλήθειαν φιλοσόφους μύεν τὸ ἀληθεῖον, docet Philosophorum & Martyrum Sanctissimus *Iustinus & Philosopher & Martyr. in 2. pro Christianis Apologia.* Sola veritas ingenii humani pax est. Veritatem attigit, qui de rebus incorrupte judicat. Vera sapientia est, rem existimare unanimquamque qualis ipsa est. Quod nec faciunt, nec facere valent, qui Affectibus indulgent aut Praejudicis. Utrisque liberandus est animus, quibus ad solidam rerum sapientiam, magnis passibus, grassari est propositum. *Affectus* dico hic eos animi motus, qui rationis jugum excutient, ab ejus tramite exorbitant, ei nebulae offundunt & caliginem. *Praejudicia* vox, de rebus sensibilibus per sensum solum, ante plenum perfectumque rationis usum, prahabita judicia. Quæ si veritatis acquirendæ sint obstacula, multo magis erunt, quæ à teneris formamus, de rebus in sensum non incurrentibus, ex proportione ad res sensiles aut etiam à contrario, judicia. Tale est, quod de Formis in sensum (ut placet Peripateticis) non incurrentibus receptum est apud omnes fere placitum: ac jam *gemma disputatione* debellatum: Hac tertia, quid pro hoc commento Antistites præjudicata Philosophiae adferre valeant, *Pembelius* noster porro edifferet, ac postquam Formas non esse materiales substantias, disp. 34. nec immateriales, disp. 35. probavit, hac, esse Accidentia, probabit, & contraria argumenta refutabit.

**I. §.** Omnis forma corporis naturalis (anima rationali excepta) est accidentis aut accidentium multorum mixtura, Temperamentum vulgo dictum, & præterea nihil.

**III.** Hujus Theseos veritas patet. 1. Ex remotione membra alterius oppositi in prima divisione, allata *Theb. 6. disp. 34.* Si enim Forma est, vel Substantia, vel Accidens, & evictum sit, uti est, eam non esse Substantiam, nec materialem, disp. 34. nec immaterialem, disp. 35. relinquitur ergo, ut sit Accidens. 2. Ex perpetua analogia inter Formas ictas & Accidentia, quæ tanta est, ut errore aliquo Veterum sit factum, quod eorum naturæ eadem in dissimiles divisiæ sint. Ecce parallelum §. 1. Accidentia generantur & corruptuntur, de novo oriuntur & in nihilum abeunt, uti ratio & experientia dictant: Eadem quoque est Formarum lex in horas nascientium & evanescientium. §. 2. Accidentia diffunduntur per totum subiectum, & minimas materiae particulas penetrant, atque pro ratione subiecti quanti & divisi, ipsis quoque quantitatem & divisionem fortiantur: Non ovum ovo similius, quam hac in re Formæ Accidentibus, diffusæ item & divisiæ per materiam. §. 3. Accidentia dependent à materia in esse & in fieri, ita ut extra subiectum ne ad momentum quidem temporis existere possint. An non & Formarum est eadem conditio, quæ, cum sint immateriales (uti & Accidentia) ita tamen cum materia quoad essentiam, & existentiam, στρέψας ἀράγεις nexus vinciuntur, ut extra eam plane Nihil sint: Atque, ut Accidentia, non migrant quoque de subiecto in subiectum. Ex quibus clarum est, non esse tantum Formæ & Accidens similitudinem, sed etiam identitatem.

**IV. §.** Formas esse Accidentia & non Substantias,

stantias, præter rationalem Animam, liqueat ex refutatione argumentorum, quæ in contrarium adduci possunt, quorum præcipua sunt, quæ sequuntur.

V. 1. Omne compositum substantiale requirit materiam, & formam substantialem, ex quibus componatur. Corpora naturalia sunt composta. Ergo habent materiam, & formam substantialem. Resp. infirmitas hujus argumenti elucescit ex falsitate Majoris propositionis, quæ oritur ex male intellecta Compositionis natura: Cum enim duplex sit compositio, vel ex Substantia & Accidentibus, vel ex Substantia & Substantia: falso creditum est, omne corpus naturale componi, ex duabus substantiis genere diversis. Veritas breviter sic fe haberet. In Corporibus simplicibus, Cælo videlicet & Elementis, est nuda tantum compositio Substantiae, Materiæ, scilicet, & Accidentium variorum, diversis *accidentiis*, in materia unitorum. In Corporibus mixtis, sive animatis, sive inanimatis, est compositio, partim Substantia & Accidentium, partim diversarum substancialium: *Diversarum* dico, non essentia sed accidentalibus differentiis: ut sunt substancialia quatuor elementorum, quorum materia, una essentia, qualitatibus quadruplices, concurrit in compositione mixtorum. Denique in homine solo, est compositio diversarum substancialium genere differentium, videlicet Corporis, Substantiae materialis, & Spiritus, Substantiae immaterialis. Itaque dicimus, Corpora naturalia esse composita, & quidem substancialia, ab una parte, scilicet Materia, non utraque: Forma quidem inest sed accidentalis illa, non substancialis (Anima rationali semel & semper excepta) Et revera, nulla potest dari ratio idonea, cur necessitas naturæ id exigat, ut corpus nequeat constitui, sine concurso duarum substancialium essentialementer distinctarum. Sufficit plane unica materia substantia variis distincta & ornata Accidentibus, ut in Elementis.

V. 2. Quicquid materiam actuat, ponit in specie, existentiam eidem tribuit, illud est substantia. Atqui forma facit ista omnia. Ergo forma est substantia. Resp. Vitium hujus argumenti est in maiore propositione, quæ sententia-

est, aut ambiguæ, aut falsæ. Quid enim est materiam actuare? Quid est, ponere in specie? quid est, existentiam dare? Illo actuandi termino, necessario intelligitur; vel Formam dare materia esse actuale, ut sit actu Ens & Substantia; vel Formam dare Materia esse actuosum, ut, quæ ex se nuda torpet, efficacibus induatur qualitatibus. In priori sensu falsum est, Formam actuare materiam: cum enim materia sit substantia, omnisque Substantia sit ens per se subsistens, utique Materia, per se, non per accidens, non per aliud, non per Formam, suam actualem subsistentiam habebit. Dico, per Formam: cum forma enim subsistit: ast ita Forma non magis actuat Materia, quam Materia Formam, quæ non subsistit nisi cum Materia quoque. Posteriori sensu verum quidem est, omnem actuositatem & efficaciam esse in substantia Materia ab aliqua Forma superveniente: sed manet tamen dubium, Quid illa Forma sit? & An necessario omnis actio & agendi vis debeat immediate à substantia aliqua profire? de qua questione in argumento alio dicendi locus erit. Atque hinc patet, quid sit, Ponere in specie, & Existentiam dare? Eo nihil aliud intelligitur, quam quod Materia rerum omnium, quæ ex se actu existit ad omnem effigiem formamque indifferens, variis vestita Accidentibus & Accidentium temperamentis, existat tali modo & specie: nec secus ac masla cera, ex se existens: postea in varias imagunculas efficta, existit sub hac aut illa specie animalculi. Ubi, ut non est opus nova substantia ad novam & specialem existentiam, sed tantum inductione novi accidentis, figuræ scilicet, ita in materia rerum naturalium, communiter in mundo, existente, non opus est nisi mutatis & copulatis Accidentibus ad dandam specialem sub hoc aut illo modo existentiam. Quod vero hic dicant nonnulli, Materia ex se actu non existere, ridiculum est. Quasi dari posset aliqua Substantia, ex qua mundus fit, & quæ extra mundum non est, in mundo tamen actu non existat. Sed fallit particula (*ex se*) in eum detorta sensum, ac si, quod ex se existit, illud separatum existaret: Hoc vero ineptum est; materia existit conjuncta cum forma, ex se tamen

tamen, non à forma habet existentiam: imo, si verum dicere volumus, in genere rerum corporearum sola Materia ex se existit: Accidentia siquidem ex se neque existentiam neque existentiam habent. Formæ, secundum Peripateticos ipsos, dependent à Materia & in esse, & in fieri, & in existere. Sola igitur Materia ex se & est & existit, et si non existat sola. Nec hic dicendum: ergo universale per se existit: siquidem Materia particularis est substantia in toto mundo una & unica.

**VII. 3.** *A quo omnes in Materia operationes proficiunt, illud est substantia. A Forma proveniunt omnes operationes. Ergo Forma est substantia.* Resp. Hic quoque in Majore error est, inde, ut credo, ortus, quod Philosophi, dum ex una parte Materia per se torpescit, omnique deflitutam vigore spectant, ex altera parte Accidentis naturam ut debiliorem levoremque deprimit, putarint aliam quandam Naturam excogitandam esse, Virtutis & Virium plenam, que actionum omnium fons esset: atque hanc Formam nominarunt. At falluntur; neque opus erat recurrere ad Formam aliquam substantialem, ut ratio redderetur operationum, que fiunt à corporibus naturalibus: sufficiunt ad hoc Accidentia. Dico enim, Accidentia immediate & per se posse agere, & non in virtute aliquius formæ substantialis: quod clarum fiet inductione omnium primarum qualitatum, ex quarum temperie oriuntur secundæ. Lux diffundit se per perspicua omnia & illuminat obscura. In virtute cuius Formæ? Num Solis? Atqui & cæteræ stellæ lucent, quarum Forma est à Sole diversa secundum Peripateticos. Num in virtute corporis luminosi? Nugæ. Carbunculus, ignis, candela, omnia sunt corpora luminosa. An eadem horum omnium Forma substantialis? Non dicent, opinor. Si dicant esse, quatenus sunt luminosa: velim etiam dicant, quid sit illa Forma corporis luminosi quatenus luminosum. An non Lux ipsa nisi forte dicent, tot esse in corpore formas substanciales, quot reperiuntur Accidentia; scilicet, aliam esse Formam corporis quatenus Colorati, aliam quatenus Sapidi, &c. quod infans est proximum. Lux igitur, in quoconque

corpore sit, se propria virtute diffundit. Calor calorem generat ac urit; cuiusdam Formæ efficacia? Num Formæ ignis? Atqui, ut aqua Solis ardore calefacta calefacit, sic & plumbum, lapis, aut aliud quodvis corpus ardori Solis objectum: inter quorū ignisque Formam, longum est intervallum. Ignis urit, sic & ferrum non candens modo sed & nigrefcens. Num ambo urunt virtute ejusdem substantie? Minime. Alia ignis, alia ferri Forma est. At in ferro est ignis. Hem! Corpus in corpore! At est in poris ferri. Scilicet, in densissimæ chalybis aut in compactissimi densissimique auri lamina pori sunt, per quos igneum corpus penetret ferrum aurumque, idque per minutissimas utriusque partes, siquidem nulla pars est ferri calefacti, quæ non urat: of citanter Philosophantur, qui poris istis ~~in~~ ignis rem salvam esse judicant. Quid ergo? Calor ubicunque est, propria & infinita virtute se exercit, calefaciendo & urendo, pro ratione gradus illius, quem obtinet, & subiectæ rei, in quam agit. Et ut obiter dicam, ignis nihil est aliud quam calor intensus in quoconque tandem corpore. Dico, intensus, non summus: infra enim summum gradum (quem nescimus) ignis esse potest; quia alias alio calidior est in eadem quantitate: imo & descendendo vix novimus infimum gradum caloris, infra quem ignis nullus est, siquidem, quod unius rei respectu est ignis urens, id alterius respectu vix est calor tepefaciens. Sed haec subtilius persequiri non est hujus loci. *Pergamus.* Frigiditas in terra, in aqua, in glacie, in aere hyberno, effectus sunt idem, extinguendi caloris, condensandi corpora &c. At formæ in singulis sunt diversæ. Quare à nullius Forma dependet frigiditas, in exercitio propriæ virtutis suæ. Siccitas terræ & ignis (secundum Peripateticos siccii) similiter aera facit aquam injectam: at Formæ hic quoque differunt. Idem est in humiditate Aquæ & Aëris. Denique descensus communis est aquæ & terræ, ascensus aëris & ignis: ille à gravitate, hic à levitate ortus: in utroque genere principium motus erit immediate in Accidentibus, gravitate & levitate, non autem in Formis, quæ diverse sunt in utroq; Pari, Qualitate

litate eadē manente. Plura addi possent. at hęc solis in materiam impressis sine ope alicuius formatis confirmant conclusionem, vid. Operatio- mae Substantialis à qua virius eorum dependeat. nes in corpore naturali posse effici ab Accidentibus Ita quoque huic argumento nervi inciduntur.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

TRIGESIMÆ-SEXTÆ,

Pars posterior, quæ est Quarta,

DE

F O R M I S.

THESES I.

**D**E Formis instituta à nobis disputatio, in definitione est Substantiale, hoc Acciden-  
tis à modernis longius recedat Philosophiâ ac Scholasticorum gente, proprius tate, sed tale, quod sufficit ad essentialē distinctionem. Quid enim? cum dicunt Physi-  
tamen ad Aristotelem & princi Lycei proceres cīci (ignis est corpus simplex) ubi genus & ma-  
accedit, à quibus longissime absunt Arabes & Latini Aristotelis Interpretes. Quid quod pe- teria (calidissimum & levissimum) ubi differ-  
nitius Formas, vulgo receptas, ignorarint ante Aristotelem Philosophi, qui eas introduxisse rentia est ab accidentibus essentialibus; an non essentialē fatis discrimen ponitur, inter  
Aristotelem Philosophi, qui eas introduxisse ignem, & corpus frigidissimum & gravissi-  
primus, sed male censem, ut id disp. 35. est mum? et si enim discrimen sit ab Accidentalibus,  
oftensum. Et non pertraxissent Aristotelem in non est tamen *Accidentale*, sed necessarium, hanc sententiam interpretes, si inter Formas & internal, & *essentialē*. Quare dico, quod Acci-  
Physicals & Logicam earum definitionem distin- dentia sint primo & per se causæ distinctionum internarum in corporibus naturalibus,  
xissent. Sed ut pervetus hæc, Formas esse Sub- atque definitionem corporum naturalium es-  
stantias (Animam rationalem semper exci- sentialē ingrediuntur, ut non opus sit, ultra  
pimus) Negantum opinio ab Affirmantibus Materiam & Accidentia, quicquam præterea impugnetur ulterius, ac Cl. Pembelium porro argumentorum iictus retundentem, vi- in corpore naturali anxie querere: quorum deamus.

II. 4. *Quod essentialiter distinguit unam speciem ab alia, illud est Substantia. Sed Forma essentialiter distinguit &c. Ergo &c. Resp. Solutio* hujus argumenti facilis est. *Major propositi fallit, quæ vult omnem essentialē distinctionem fieri per aliquod Substantiale:* nam etiam *Accidentia* distinguuntur inter se essentialiter, ut virtus & color: sed & in Substantiis res clara est. Essentialiter distinguuntur, quæ differunt definitione. In definitione corporum naturalium duo sunt; *Genus*, id est Materiam communis, in qua omnia corpora conveniunt; *Differentia*, consistens in Accidentibus materiam istam variantibus. Illud

impossibilem esse fatentur, sensu & experientia cogente, incuriosius se gesserint in contemplanda Accidentium natura, eorumque viribus & varietatibus indagandis, contenti scilicet, in quolibet corporis affectu effectu que paulo difficultiori, dixisse, *Est à Forma.*

III. 5. *Forma non suscipit gradus nec variatur. At Accidentia eorumque Temperatura* potest

poteſt variari & gradus fufcipere. Ergo Forma, non Accidens, non Temperamentum eſt. Major inde conſimur; Quia rei deſinio variari non poteſt, qua tamē variata Forma neceſſaria mutatur. R. Majorem plane negamus; & quamquam antiquo errore principii fere loco habeatur, tamen & convelli & refelli poſte non dubitamus: ejusque etiam probationem rejicimus; affirmantes, ut Formas, ita & rerum definitiones, conſtſere intra aliquam latitudinem, non, ut vulgo volunt, in puncto indi- viſibili: Quod in omnibus corporibus, tum ſimpli bus, tum mixtis, tam animatis quam inanimatis, oſtendit poſſet. Exemplum fit, elementorum & tranſmutatio in ſe invicem & mixtio, in corporibus oriundis ex iis: in utroque genere evincitur, illud, quodcunq; ſit in elementis, quod Formæ locum obtinet, neceſſario intentionis & remiſſionis gradus admittere. Terra gleba macerata in aqua, antequā in eam mutetur, variaſ & diurnas requirit prædiſpoſitiones & præparations, quibus omnibus peractis inſtat iſpum tranſmutationis inſtans. Quæritur hic, A Forma terræ poſt tot præparations maneat tamen integra & invariata uſque ad iſpſiſimum tranſmutationis momentū? Quis fanæ mentis affir- maverit? cum ſublati aut diminutis propriis accidentibus Formæ integritas ſibi conſtarē nequeat; &, ſi in tranſmutatione elementorum mutua, qualitatibus fractis, Formæ non frangantur, etiam tum, cum eis pereundum fit per tranſmutationem; cur in mixtione, ubi Formæ manent, neceſſaria tamen eſſet refractio euram? deinde in mixtione concur- runt quatuor elementa & manent in mixto: Manent igitur Qualitates an Formæ? Utræque. Si enim periſſent, unde queſo, & bone, reviſiſcent in resolutione mixti? At manent in integræ & in gradu intenſo? Minime gentium. Ambæ contusa & probe confuſe ad symme- triam & proportionem harmonicam redi- guntur: &, Formas quidem neceſſario ſic re- tundi, ajuſt, quia, qualitates ab eis proflu- entes imminutas & debilitatas eſſe, ſenſus ipſe teſtatur. At vero, num Forma remitti po- teſt, num ſubstantia fufcipiet magis & minus? Hic res in luto hæret. Nec quiſquam, qui verita-

tem ex puto extrahat, praeter Zabarella re- pertus eſt. Is expedit audacissimæ diſtin- cionis funculo: ſic. Subſtantia poſte variari cum mutatione ſpeciei, ſed non fine mutatione ſpe- ciei. Formæ elementorum variantur primo, non ſecondo modo. Nihil extra eſt in nuce durum, ſi quid aliud intra hujus diſtinctionis latibu- lum cernas quam caliginem & tenebras me- ras. Forma elementi in mixto remittitur cum variatione ſpeciei: i. e. Exempli gratia, Forma aquæ in mixto eſt minus Forma aquæ quam ex- tra mixtum, & tamen eſt Forma aquæ, quia aqua cum ſua Forma manet in mixto, & ta- men in mixto non manet aqua nec aqua dicenda eſt, quia mutavit ſpeciem, i. e. eſſentiam ſuam, & in aliud corpus tranſiuit. Quis tulerit crudi- das haſce contradictiones? Consultius tamen putavit Zabarella in obſcuriſſimæ diſtin- cionculæ ſpecum ſe recipere, quam videri velle principia ab antiquis poſita ad clariorem ve- ritatis lucem examinare. Nobis hoc piacu- lum non eſt. Quare omiſſis jejunis iſtis ſpe- culationibus, quæ intellectum veri cupidifil- um miſere ludificantur, aſſerimus, Formas elementorum recipere gradus, & intra latitu- dinem aliquam intendi poſſe & remitti, & quia ſic variantur, nullo modo eſſe ſubſtantias, ſed meras qualitates earumque in debito gradu mix- turam, ſupra vel infra quam proportionem elementa non ſunt. Fruſtra itaque fuit otio- ſæ illæ quæſtiones, de Formis elementorum, de earum integratate in mixto, de generatione & corruptione iſtantanea, ſeu de accessu & rece- ſu Formæ ſubſtantialis in momento. Aqua non in instanti aut fit aut definit eſſe aqua, ſed in tempore, per gradus perfecta aut corrupta qualitatum Temperatura. Similiter in Mixtis; in ligno, lapide, pomo, carne, & in pu- treſcentibus, ut corrugio procedit, per gra- dus, ita terminatur in temperamento: quod ſi ultra ultimum proportionis gradum vitie- tur, ſequitur mixti diſſolutio, ioluto unionis vinculo: & hoc, fatentibus Aristotelio, non Forma ſed qualitatum mixtura eſt. Atqui, oſgerunt, variabuntur rerum definitions, ſi variantur Temperamenta: illæ autem ſunt con- ſtanties. Resp. Pueriliter & abſurde. Nempe hinc error: Definitions rerum conduntur, rebus

rebus ipsis in sua perfectione consideratis, inde mentis operatione abstractæ habentur, velut æternæ & constantis veritatis. At si res, prout in natura non ut in intellectu sunt, speiemus, an non variante natura variabuntur Naturæ definitio? Notionalis illa & abstracta rei definitio manet, etiam re non existente, ut rosæ in hyeme: at realis aliqua applicatio fieri non potest, rebus autem non omnino aut altere se habentibus. Quam absurdum hoc est affirmare, flores flaccidos, rosam marcescentem, pomum putrescens, lignum ad cariem prounum, carnes foecidas, aut animal ægritudine & *duorum* tabescens, æque perfecte definiri, ac definiebantur in integritate sua? Hi somnia sua definiunt, qui res, non prout in natura existunt, describunt, sed pro suo ipsum conceptu & imaginatione. Nunquid mutatis qualitatibus mutabitur essentia, & tamen variatis non variabitur? Nobis certo constat: quicquid est in elementis mixtis Substantiale aut Materiale, illud invariatum manere: quicquid Accidentalē seu Formale, illud mutari, generari, corrumpi, per quosdam gradus, secundum quos rerum ipsarum definitio varianda est. Sed quia insolens videtur, Aniam vegetantem & sentientem, ad Accidentia & Temperamenta referre, quæ pro utriusque substantia produci possunt Argumenta, disolvenda sumunt speciatim Cl. Pembelius.

V. 6. Si anima sit Temperamentum, tum omne corpus erit animatum, quia in omni corpore est Temperamentum. Resp. Levissimum est argumentum: cui hoc responsum sufficiat: procedit ex meris affirmativis in secunda figura: itaque est feedus paralogismus.

V. 7. Temperamentum mutatur pro ætate, loco, vietiisque ratione. Anima non mutatur. Ergo non est temperamentum. Resp. Hoc argumentum ex parte thes. 3. attigimus, & de Minorē in genere ostendimus, Formas per gradus mutari & variari posse. Sed hic amplius duplex est error notandus argumenti hujus. Prior est, quod non distinguatur inter Totalem seu Essentialē & Partialeū seu Gradualeū Temperamenti mutationem. In totali non tantum mutatio aliqua sed corruptio Animæ ac-

cidit. Quare nihil est ad rem. In partiali, secundum Peripateticorum principia, Magis & minus non variant speciem. Esto exemplum in temperamento plantæ tenella & adultæ, in nativo & alieno solo confite. Hic temperamentum non mutatur in aliud aliquod diversæ speciei, sed variatio est in gradibus perfectionis eadem specie manente, & hoc non obstante, constat Formæ unitas, etsi non similis operationum vigor. Alter error est, quod ab homine ad alia viventia incommodus est, ut hic fit, trajectus: nempe, in homine, diversimode variato Temperamento corporis, Forma prorsus est invariabilis, quia alia est hominis & aliorum viventium Animalia: non sic in ceteris, ubi anima cum Temperamento coincidit.

V. 8. Si anima sit temperamentum, tot erunt in planta aut animali animæ, quot diversa conspicuntur temperamenta: alia ossis, alia nervi, alia carnis, alia corticis, alia ligni anima erit. Sed in vivente est unica tantum anima. Ergo anima non est Temperamentum. Respond. Minor propositio est fallax, etiam secundum doctrinam quam plurimorum Peripateticorum, docentium, duas ad minimum in planta, & tres in omni animali animas essentialiter distinctas reperi, formas vero inanimatas, five (ut vocant) Mixti, etiam multo plures. Quare secundum illos, pluralitas Formarum & animarum Substantialium in uno composito nihil absurdum continebit: quoad nostram vero sententiam, multo minus; qui pluralitatem Substantiarum in Mixto non agnoscimus, sed sub identitate Materie diversitatem Temperamentorum sic ponimus, ut omnia interim vivifica in plantis & animalibus esse fateamur.

V. 9. Si anima esset temperamentum qualitatum in humoribus & spiritibus, tum non posset frenum injicere corporis perturbationibus ejusque impetum cohibere, sed eum semper sequeretur. Atqui ipsa experientia docet, animam esse corporis moderatricem. Ergo &c. Resp. Hoc argumentum nihil aliud evincit, quam in homine quidem dari Substantiam aliquam à corpore distinctam, puta animam rationalem, quæ facultates inferiores Vegetativas &

Sensitivas pro arbitrio suo regat & aliquo modo coerceat. At in plantis &c brutis, ubi simile imperium plane non cernitur, illa Substantiarum diversitate non est opus. In his enim anima non solum sequitur, sed est ipsum, Temperamentum: in homine sequitur quidem ejus propensiones plerumque (*juxta tritum illud, Mores animi sequuntur temperamentum corporis*) sed cursum moderatur quando vult.

VIII. *A quo sunt nobilissimae illae operationes Percipiendi & Iudicandi de rebus sensibilibus, Imaginandi & Memorandi, illud Accidens esse non potest. At ab anima brutorum sunt istae operationes. Ergo &c.* Respond. Pro solutione hujus argumenti, notandum est breviter: Omnes istas operationes esse mere organicas atque in materiali aliquo subjecto fieri, & ab eo dependere: & propterea nullib[us] nec esse, nec esse posse, nisi ubi organum istud reperiatur: Organum vero illarum est *Spiritus animalis*, pura, clara illa, lucida, & agilis Substantia: hujus copia maxima & purissima est in capite, in hoc igitur & sedes est fensionis omnis. At queritur de Principio. Dico, *spiritum istum animalem, esse non tantum organum, sed, primum principium omnis fensionis: nempe in spiritibus duò sunt: Materia & Qualitatibus vivacissimarum mixtria: In qualitatibus est prima causa & origo, in Materia est primum subjectum & organum sentiendi: in utriusque conjunctis consistunt omnes Apprehensionis, Phantasiae, & Memoriae vires, quas in brutis cernimus. Dabitur hoc quidem, Spiritus hosce esse immediatum instrumentum omnis fensionis, siquidem in spiritibus solis species rerum sensibilium imprimuntur & inhaerent, per spiritus huc illuc deferuntur, & vel minima spirituum turbatio impedit, maxima corrumpt fensionem*

omnem: at vero nullam esse aliam substantiam in brutis, quæ his spiritibus utatur ut instrumentum sentiendi, ipsi vero sint prima sentiendi causa, *hoc non dabunt. Sed necessario dandum est: illa enim alia Substantia, quam animam vocant, erit vel materialis vel immaterialis. Si materialis, erit vel purior vel impurior spiritibus. Non prius, quia spiritibus nihil est purius in genere rerum materialium: nec posterius verum est, quia absurdum est adscribere principium sentiendi impuriori materia & negare puriori. Si immaterialis sit, recurrent omnia dubia disp. 35. allegata. Si instes, esse supra naturam purissimæ Materiae vel exquisitissimis Qualitatibus ornatae, Iudicare, Meminisse, Appetere, Fugere, &c. Dico, quod non; Neque id nobis magis mirum videri debet in perfectioribus animalium temperamentis, quam multa non minus admiranda effecta in ipsis inanimatis, quæ ab ipsorum temperamento procul dubio pendent, eti[us] sit imperfectius. Illud præterea Aristotelis axioma, *Nullum simile percipitur à simili*, hic locum non habet, cum talis sit spirituum, & puritas quoad materiam, & tempesies quoad qualitates, ut in omnibus sensibilibus, quæ bruta possunt percipere, nihil simile reperiatur: neque etiam ubique veritatem obtinet hoc axioma: siquidem nec oculus oculum, nec anima animam, nec intelligentia intelligentiam hoc pacto perciperet. Atque haec sunt quæ de Vegetante & sentiente, Animabus, ac de Formis, in genere, differenter vidimus Cl. Pembelium, qui inde ad Animam transit rationalem, quam immortalem esse & cælitus infundi porro docet. Verum, quia de ejus Origine & Ortu ex professo disputatum est, in selectarum harum disp. curriculo, disp. 6. & 18. labore reliquo supersedemus.*

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

T R I G E S I M A - S E P T I M A ,

D E

PRINCIPIIS CORPORUM NATURALIUM CON-  
STITUENTIBUS, ET PRODUCENTIBUS.

## T H E S I S I .

**D**estruximus receptam, sed contra *ratiōnēm* & contra *Aristotelem*, *Formarum doctrinam*, *disp. p̄cedentibus*, quod non aliquo contradicendi studio, non gloria aliqua cupidine, sed folius veritatis inveniendæ gratia, est factum: dux nobis fuit in hoc certamine Philosophico *Cl. Pembelius*, cuius sententiam de *Corporum naturalium constitutione* examinandum proponere, fuit visum, ut *avocatūlo* sequatur *narratōdū*: facile enim est, recepta rerum destruere principia; at veriora adstruere, hoc opus, hic labor est. Hæc igitur *Cl. Pembelii* fuit mens, quæ sequitur.

**I.** *Principia Corporum* tria sunt: *Constitutionis*, duo; *Materia* & *Subjectum*, & *Accidentia*; *Transmutationis* unum, *Accidentia contrarietas*.

**III.** *Materia* est, totum & omne illud, quod in corporibus naturalibus est Substantiale: estque indifferens ad omnia & capax omnium Accidentium, sed tamen non est simpliciter radix & fons eorum omnium: verum origo Accidentium est, quæ ipsius Subjecti, scilicet immediata creatio vel concreatio potius.

**IV.** *Accidentia Materiae* sunt duum generum. 1. *Alia consequuntur* illius essentiam & eidem coëxistunt ex interna naturæ necessitate, ut *Potentia passiva*, *Extensio seu quantitas*, *Locus*, *Tempus* seu *duratio successiva*. Atque horum Accidentium fons & radix dici potest *Materia*, quia proxime in illius essentia radicantur. 2. *Alia constituant existentiam illius* in certa aliqua specie, ut omnes qualitates primæ & secundæ; quæ in *Materia* non inerant primum ex necessitate naturæ, sed ex

arbitrio creantis; poterat *Materia* sine iis esse, sed inducebantur ad distinctionem illius in varias species: Utrumque genus Accidentis *Materiæ* imprimatur immediate, nec opus est substantia aliqua intermedia, qua interprete *Accidens Materiæ* societur. Ut vero qualitates inherent immediate in *Materia*, ita à qualitatibus immediate profluunt operationes & operandi vires.

**V.** *Cœli Materia* & *Substantia communis* est, cum *materia* & *substantia* omnium corporum inferiorum, & *Accidentia* primi generis communia possidet: sed in *Accidentibus secundi generis* differentia est inter *Cœlum* & *Sublunaria*, videlicet, in discrepanti copula primarum & secundarum qualitatum, lucis, caloris, levitatis, & tenuitatis. At de *Cœlo* nihil fere certi adhuc norunt *Philosophi*.

**V I.** *Elementa* sunt tria, *Aer*, *Aqua*, *Terra*; nec pluribus est opus ad mixtionem corporum: imo duobus forte res ista peragitur, *Aqua* & *Terra*. Hæc elementa essentialiter inter se distinguuntur propriis & peculiariis qualitatibus *et cœylis* à *Creatore* immediate *Materiæ* inditis: in *Terra* copulantur, *Frigiditas*, *Siccitas*, *Densitas*, *Gravitas*, & *Consistitia*: in *Aqua* uniuntur, *Frigiditas*, *Humiditas*, *Densitas* remissior cum *Gravitate* & *Fluore*: in *Aere* denique vincuntur, *Caliditas* remissa, *Humiditas* debilis, *Levitatis*, *Tenuitas*, & *Fluor summus*. *Ignis* nihil est nisi calor intensior, five in aliquo elementorum five in corpore mixto sit. *Calor* in *Aere* & in omnibus mixtis (in quibus calore opus est) est partim implantatus in primæva creatione, partim infusus à *Sole*, vero ac solo, si quod sit, Ele-

mento Ignis, & unico caloris fonte in inferioribus: implantatus verò calor sine infuso citò marcesceret.

VII. *Compositio* rerum est duplex: prima est ex Materia nuda & qualitatibus primis secundisque simplicioribus, ut in Celo & Elementis; secunda, ex Materia sic qualificata, & novis qualitatum Mixturis, oriundis ex prioribus, ut in omnibus corporibus Mixtis. Qualitatum in Elementis illa est Copula quæ esse potest simplicissima: quare in eam semper fit resolutio. At qualitatum in Mixtis mixtae sunt copulae ex simplicibus: quemadmodum de coloribus vulgo ajunt, Albedinem & Nigredinem fieri ex mixtura varia perspicui cum opaco; medios autem colores oriri ex mixtura albedinis & nigredinis.

VIII. Mensura modusque omnium *Temperamentorum*, & Simplicium & Mixtorum, datus est & fixus in prima creatione: à quibus primitivis exemplaribus si natura erret excessu defectu, monstrum & deformē quid sit.

IX. Generare sibi simile, non viventis solidius sed generaliter omnium qualitatum activarum est proprium, five simplices illæ & solitariæ sint, five copulatae in certa combinatione. Qualitates vero hæc ita sui diffusivæ & similiū generativæ sunt, ut necessario Materiali sibi proportionatam efficiant, quo liberum habeant suarum virium exercitium: itaque vis plastica seu formatrix immediate & primò in ipsis qualitatibus fundatur, quæ, quo sunt simpliciores, eo simpliciorem & magis uniformem materiæ configurationem possebant; quo autem pluribus qualitatum diversarum mixturas complicatae & compositæ sunt, eo magis variam & dissimilarem partium materialium effigiationem requirunt & producunt. Mixtio, quo longius descendit à simplicitate, eo exquisitor est & subtilior, quia magni est artificii, tot qualitatum & combinacionum differentias in una *spām* vincere: at qui tanto infirmior est mixtura, quanto magis composita est, quia pluribus constat qualitatum contrarietatis: hoc in metallis, plantis, animalibusque inter se invicem comparatis, cernitur.

X. In *viventibus* est reciproca tempera-

menti propagatio, ex Semine, Viventis; ex Vivente, Seminis. Vis prolificæ & vivifica in semine, non est ab aliqua substantia immateriali & spirituali, quæ femini adhæreat vel in hæreat, sed à solarum qualitatuum ingeniosa & subtili temperatura in Materia pura & spirituosa: Hæc vis actu inest in semine sed tamen sopita est, nec actu agit, nisi admoto paciente aut potius coagente, in & à quo virtus ista excitetur; perinde, ut piper calidum est in se, urit tamen non nisi saliva admixtum; atque copiosi & fortes spiritus, qui in hordeo, tritico, aut quovis alio grano femineve latent, facile extrahuntur arte stillatoria, si aquam pauculam admisceas ignemque admoveas.

XI. In *Plantis*, Terra feminibus foturam veluti in Matrice præbet, tum calorem à sole acceptum, tum humorem aptum suppeditando; quibus calidi humidique semen spiritus acountur, & inflati tangent, materiamque extendentes partibus & proportionibus idoneis virtute sua effigurant.

XII. In *Animalibus Oviparis*, eti sit opus Mare & Fœmina ad generationem Ovorum fœcondorum (nam subventanea fiunt à sola fœmina) ad generationem tamen Pulli sufficit quivis calor, five animantis cujusquam, five pulvis, fimi, solis, fornacis: quia enim in Vitello Humoris est satis ad Nutrimentum, opus tantum erit calore externo ad excitandas spirituum & Caloris vires generativas in albumine.

XIII. In *Viviparis*, opus est utroque sexu ad efficiendam unam feminis massam generationi idoneam: & mas & fœmina active concurrunt, ille magis, hæc minus; copulatis & exquisite mixtis utriusque seminibus, spirituissima mixtis utriusque seminibus, inflata per calorem uteri & humorem menstruum varie se commovet, dilatando, condensando, effingendo reliquā materiam ignaviorē, pro qualitatū & operationum necessitate.

XIV. Ad generationem Viventis absolute & simpliciter semine opus non est: sed sufficit Qualitatum Vivificarum mixtura & concursus, etiam in alia materia, ut patet in plantarum propagatione, in earum, & animalium, ex materia putri genitura.

XV. Sum-

X V. Summatim, *Anima*, *Vegetative* in *Plantis*, & *Sensitiva* in *Brutis*, five Generales illæ, quibus Plantæ & Animalia sunt, five Speciales, per quas in species certas distinguuntur, sunt tantum Temperamenta nobiliores. Qualitatum actuofiorum in Materia subtili, pura & spirituosa, five illa semine propagata, five alio modo conflata. Atque hæc est *C. Pembe-*  
*lii de principiis Corporum naturalium sententia*: quam eandem tenent *Hollandi Fratres Boottii in Philosophia Naturalis reformata, Academia Lugduno-Batava ante sexennum inscripta*, c. 2. sect. 2. & *Gorlaeus Ultrajectinus in Exercitationibus Philos. Exerc. 14.* Verum quia charta supereft, placet in aliorum quoque Philosophorum sententias circa naturalium corporum principia inquirere.

X VI. *Telestus in lib. de Natura rerum, & Campanella in Reali Philosophia Epilogistica, Calorem & Frigus una cum Materia faciunt prima omnium corporum naturalium principia, ex eorumque actionibus omnia in Physicis derivant atque explicant. Afferunt. Deum in medio spatii vacui posuisse Materia, i. e. corpus inconstrunctum, aptum ad constructionem recipiendam, eique apposuisse duas causas agentes, Calorem & Frigus, quæ in communem Maslam, ut suam efficerent, agentes, duo Mundi corpora prima effecerunt, Calor, sc. Cælum ex Materia devicta & attenuata, Frigus Terram ex portione correpta & condensata: quæ sunt duo prima elementa, ex quibus secunda, Aerem & Aquam, & deinceps reliqua omnia pro sua sapientia considerit rerum omnium conditor Deus. Quærat aliquis, quid de horum Italorum *Telesti & Campanellæ* sententia statuamus? Nos, ut *Materiam*, quæ omnium Philosophorum consensu Principium est, nec negari ulla ratione potest, quamvis non talis, qualem finxit *Arist.* libenter admittimus, *Formamque rejicimus*, nisi quis velit *Logico* secundæ notionis vocabulo hic esse contentus, ita non acquiescimus in solo *Calore & Frigore*, ut altero cum Materia principio utroque, rati, non sufficere illa, corporum naturis, proprietatis, & operationibus explicandi, nec esse prima, ut decet esse principia.*

X VII. *Franciscus Patritius in Nova, quam*

condidit 1588, *Philosophia, sic philosophatus est.* Philosophia, studium est sapientiae. Sapientia est Universitatis cognitio. Rerum universitas constat ordine. Ordo priore constat & posterior. Si quis à posteris philosophari cooperit, rerum ordinem confuderit, eil que sibi que te nebras offuderit. A primis ergo philosophandi initium nobis esto. A primis; cognitio an ab incognitis? si ab incognitis incipiamus, sequentia incognita erunt omnia. De incognitis nulla nobis condetur Philosophia. A cognitis ergo initium sumendum. Cognitio omnis à mente primam originem; à sensibus exordium primum habet. Inter sensus, & naturæ nobilitate, & virium præstantia, & actionum dignitate, *Vitus* est primarius. Vitui prima & primo cognita, sunt; *Lux* & *Lumen*, Eorum ope & opera plurimæ patescunt rerum differentiæ. *Lux* & *lumen* statim natis se ferunt. Per haec prisci homines, sublimia & media, & ima conspexerunt: conspecta sunt admirati: admirando sunt contemplati; contemplando sunt philosophati. Philosophia ergo, luminis, admirationis, contemplationis, proles est verissima. A *Luce* ergo, ejusque prole *Lumine*, rerum sensibilium præstantia omni primis, primarioque sensui primo cognitis, *Philosophiae* nostræ prima jaciamus *Fundamenta*. *Lux* in Corporibus quibusdam cernitur, in aliis non cernitur: corpora ergo distinguenda. Corporum igitur alia sui natura lucida sunt, Sol, Stellæ, Ignis. Alia sui natura sunt opaca, Luna, Terra, Nubes. Alia neque lucem habent neque opacitatem; utramque tamen in se recipiunt, neutram vero retinent, Æther, Aer, Aqua. Lucida, luce sua plena, alienis tenebris sunt impervia. Opaca, tenebris plena suis, alieno lumini non sunt pervia. Diaphana, propriis, & lumine & tenebris, carentia, alienis, & lumine & tenebris, permeantur, &c. Hęc fufius porro persequitur, qui præter *Materiam* corporum nullum aliud agnoscere principium videtur, quam *Lucem, Patritius*. Sed vero nobis non placet, qui *Lucem* pro substantia non agnoscimus, multo minus pro *Forma* substantiali, multo adhuc minus pro incorporeorum & corporum æque simulachro & imagine, ac natura media corpora inter & substantias incorporeas

corporeas, uti eam facit *Patritius l. 1. Par-*  
*naugia.*

XVIII. *Comenius* in sua *Physicæ synopsis*, Principia Corporum naturalium facit, *Materiam, Spiritum, Lucem*. Materia ipsi definitur, substantia corpulenta; per se bruta & tenebri-  
cosa, corpora constituens, *Spiritus*, Substantia subtilis, per se viva, invisibilis & insenilis, corpora inhabitans ac vegetans. *Lux*, substan-  
tia per se visibilis, & mobilis, ac lucida, ma-  
teriam penetrans, eamque recipiens spiritibus p̄p̄parans, atque ita corpora efformans.  
Ergo, quo quid plus habet Materiæ, eo plus  
habet corporis, opacitatis, & immobilitatis,  
ut Terra: quo quid plus habet spiritus, eo plus  
habet vigoris & durabilitatis, ut Angelus: quo  
quid plus habet Lucis, eo plus habet Formæ &  
mobilitatis, ut Sol. Materia in Mundo est pri-  
mum ens: *Spiritus* primum vivens: *Lux* pri-  
mum movens: & sic omne Mundi corpus est  
ex Materia, per Lucem, in Spiritu. Materia est  
Principium Passivum mere: *Lux*, activum;  
*Spiritus*, anceps: respectu enim Materiæ est  
activum, respectu Lucis Passivum. Hæc *Co-*  
*mennii Philosophia*, præterquam quod Lucem  
faciat substantiam, quod tamen destructum  
præter alias vide à *Wendel*. in *Phys. General.*  
*Spiritum* insuper facit vivum, univerfalem  
Mundi corporumque in Mundo formam at-  
que animam, quod à *Wendelino* in *Cosmologia*  
refutatum, nobis quoque improbatum.

XIX. *Basso* in *Philos. naturali* sua l. 1. in-  
tent. 1. art. 3. & 5. ad Corporis naturalis ge-  
nerationem ac constitutionem nihil requirit  
aliud, quam minutissimas Particulas diversæ  
naturæ, ex quarum conjunctione res constru-  
antur & fiant, & segregatione destruantur & in-  
tereant; has *atomos* vocat art. 6. & à Deo po-  
nit creatas, ne fortuitum hic earum absque  
Dei providentia concursum quis singat. At-  
que ex iisdem, tanquam solis principiis cor-  
porum producentibus ac generantibus, inter  
se motis, varioque modo agitatis, conjunctis,  
segregatis, proprietates omnes naturæ atque  
operations explicant, *Basso*, recentes duo,  
sed nobilissimi *Philosophi*, *Ioh. Chrysostom. Ma-*  
*gnenus Acad. Ticinenſis Professor Medicus* in suo  
*Democrito redivivo*, & *Claudius Berigardus*

*Lycei Patavini Philosophus in Circulo Pifano.*  
Atque hæc sententia, vel vera est vel veritati  
proxima.

X. Sed enim, quæ causa est tot diffen-  
sionum & tantæ incertitudinis circa Corporis na-  
turalis principia? Resp. Radix & fons mali est  
(ut verbis utar *Gerardi de Neuville* in p̄fatione suæ *Physicæ generalis*) quod homines, qui  
veritati in *Physica* inquirendæ operam navant,  
non satis adhæreant sensui atque experientiæ,  
mediaque ab istis iniis rite scientiam excitandi  
non recte adhibeant, sed, vel auctoritatibus  
aut p̄concepis opinionibus p̄occupentur, vel  
loco certorum principiorum vanas atque invalidas  
ratiunculas settentur, quæ ut plurimum nu-  
mero non pondere affimantur: Accedit ignava  
quædam in iis sui *Dissentia* & stulta *Credulitas*, ex quo *Aristoteli* nimium suspexere, &  
rerum naturalium principia ab ipso inventa  
supposueré: unde credentes omnia uni *Aristote-*  
*li*, nihilque aliud, quam quod ipse noverit,  
nosse volentes, dum hoc tyrranicæ servitutis  
jugum non excutiunt, spem sibi p̄scindunt  
optimorum inventorum, & quod dolendum  
est serio, optima sape ingenia à veri invenien-  
di studio & via abstrahunt, atque soli *Aristote-*  
*li* (atque utinam *Aristoteli* tantum, ac non ine-  
ptis & rerum omnium imperitis *Scholasticis*,  
vocabulorum, terminorum, ac distinctionum  
Magistris) adhærescere compellunt, & aliquid  
ultra eos sapere prohibent, quod ipsi ultra non  
sapient. Verum enimvero tollendum hoc est  
malum, idoneo medio ac remedio, quod fiet  
si ad *sensuum*, *rationis*, ac *scripturæ dictamen*,  
*philosophemur*, & *Philosophiam* Peripateticam  
ac Scholaticam, multis partibus defectam,  
multis modis intricatam, multa vocum bar-  
barie feedam, multis ambagibus prolixam,  
multis opinionibus erroneam, multis asser-  
tionibus infrugiferis repletam, reformemus,  
emendemus, restauremus, quod faciendum  
esse & quomodo, præter *Comenium* in p̄fatione  
suæ *Physicæ* & *Prodromo Pansophicæ* at-  
que illustrem *Verulanium* in *Insuffuratione magna* & *Augmentis* scientiarum, nobiliora hodie  
ingenia clamant, probant, tentant. Et cur  
hic non Patres potius antiquiores, qua La-  
tinatos, in *philosophando* imitamur, quam fe-  
quieris

quioris & vi nugaces, ac modernos Scholasticos? Sancti Patres, inquit *Fremondus in Anatomia hominis c. I.* Philosophiam Platonis prætulerunt Aristotelis: & cur Veterum ante Aristotelem circa principia rerum naturalium opiniones non magis inquiruntur & sola Aristotelis placita ut oracula accipiuntur? Patres antiqui, dicit *Claud. Berigardus, Circ. Pis. 3. in lib. de Ort. & Inter.* Arist. Philosophia Aristotelis non utebantur, antequam Carolus Magnus eam in scholis explanandam proposuisset: & quia haec in omnes scholas est invecta, usus obtinuit, ut ejus principiis utamur in philosophando, sed tanquam hypothesi, quemadmodum Astronomi, ad motus celestium corporum explicandos, utuntur hypothesi circulorum, concentrici, excentrici, epicycli, &c. at vero nemo Astronomorum hoc exigit, ut hifce hypothesibus Astronomicis fidem adstringamus: sic nec necesse est, ut hypothesibus Aristotelicis fidem obligemus, & cæca credulitate accipimus pro principiis veris, quæ, vel non examinavimus, vel vera esse nondum deprehendimus aut clare perceperimus. Quæ enim lex, quæ ratio, legis anima, hoc præscribere valeat? quidni liceat Aristotelis principia examini subjecere nobis, ut ipsi licuit Veterum ante se examinare principia? atque utinam examinasset tantum; ac veteres ante se Philosophos ratione vicislet, non imperio, non contemtu: quod cum fecisse integrō libro ante sexennum demonstravit *Paganinus Gaudentius, Pisanus Professor*, in quo, Aristotelem passim contemtissime de *Antiquis Sapientibus* fuisse locutum, in capita eorum dicta ac convitia projecisse, fallas opiniones affinxisse, quo solus in regno Philosophico imperaret, per varias Philosophiae partes fuisse probat: atque hic Veterum contemtu causa est, cur hodie illorum opiniones, circa Naturalium corporum Principia, inquirere, vix opera videatur pretium; & inquisitæ ac deprehensæ fere repudientur, quia ab Aristotele sunt rejectæ: quæ Aristotelis dictatura, si intra Philosophiae cancellos fesse continuisset, lenius ea ferri posset: at vero Theologiae etiam fines perrupit; quod ex sequenti annexo liquet.

## A N N E X U M.

**A**ristotelis Philosophia, si ex solo hauriatur Aristotele, & Philosophi dogmata ex Greco ejus contextu, propriisque verbis ac sententiis, colligantur, non ex mala saepè ejus versione aut ineptis Interpretum, præsertim Scholasticorum, commentis, multum continet bona frugis, nunquam tamen ejus Authoritas Rationi est præferenda, multo minus divine Authoritati adæquanda, aut ei preponenda, ne dum ut ejus paganis vii SS. Theologiae immisceantur, quod factum esse à Thoma Scholasticorum principe, reliqua Barbarorum caterva, scripta eorum testantur: atque adeo invulnerat Aristotelis in Theologia Authoritas seculis istis caliginosis, ut pro axiomate haberetur, Nemo fit Theologus sine Aristotele, & qui Aristotelii contradiceret, Theologiam crederetur enervare: quod Petro Ramo suo tempore fuit objecatum, adhuc ante seculum: unde factum est, ut magnus Lutherus Theologiam reformaturus initium fecerit à minuenda & infringenda Aristotelis in Theologiae autoritate, quod epistolæ variae Lutheri adhuc Cœnobitæ, ad socios Johannem Langum, Georgium Spalatinum, Jodocum Insenacensem, &c. annis 1516. 1517. 1518. datæ, satis superque significant, & præclara illa apud Augustinianos inlyta Heydelbergæ, 6. Kal. Maii 1518. ab ipso habita disputatio, in qua inter 40. positiones, tum Theologicas tum philosophicas, 29. hæc extat: Qui sine periculo velit in Aristotele philosophari, necesse est ut ante bene stultificetur in Christo. Videatur torus quoque primus Operum lat. præsertim in explic. 8. precepti, ubi hæc ejus sunt verba. Millerum est genus hominum quod fesse per Philosophiae Aristotelis falsissimum nomen decipit & fatigat, cum Aristotelem neque intelligent ipsi neque doceantur; falsis interim & fictis commentariis piis in Christo animas occupant & onerant; imo illudunt potius, dum hoc esse Philosophiam prætendent quod non est, merasque lectantur nugas. *Quin non Lutherum solum, sed ex Pontificis ipsis non paucos, commovit nimia Aristotelis Authoritas. Vid. Melch. Canum, Episc. Canarienf. in loc. Theol. edit. Col. 1574.*

I. 10. Campanellam Monachum Ord. Præd. in prologo Instaur. Scient. Parif. 1637. Caravuelm Lobcowitz. Abbatem Melrosensem in Praefatione Philosoph. rationalis & realis, edit. Lovan. 1642. Ludovic. Vivem, in septem de corruptis artibus, & quinque de tradendis disciplinis libris Lugd. Batav. recusis, 1636. Franciscum Patritium in discussio-

nibus Peripateticis, Bafilex 1581. Johannem Picum Patruum & Johannem Franciscum Picum Mirandulæ Comites in operibus editis Bafil. 1601. præsertim in Examine vanitatis doctrinæ Gentium. Laurentium Vallam in sua reconcinnatione Dialeticæ & Fundamentorum universalis Philosophiæ. 1509. Apud Ascensium.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

TRIGESIMA-OCTAVA,

DE

## DEFINIT. FORMÆ ARISTOT.

## THESES I.

**D**ixit præcedens circa finem Disputatio, Aristotelis Philosophiam, si ex Graeco eius textu propriisque proponatur & exponatur verbis, multum continere bonæ frugis. Quare, tres Definitiones *Formæ*, quas diversis habet in locis *Philosophus*, ex ipso, misfis Scholasticorum interpretationis, explicatas dare nunc est animus, quo ejus hic mens planior fiat. *Definitiones* ista tres extant; *Prima*, 2. *Post. Analy. c. 3.* Forma est,  $\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$ . *Secunda*, 2. *Physic. c. 3. & 4. Metaphysic. c. 2.* Forma est,  $\lambda\gamma\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$ . *Tertia*, 1. de Gener. Animal. cap. 1. Forma est,  $\lambda\gamma\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$ . Quia omnes tres definitions sensu convenientiunt, sed tertia est omnium clarissima: in qua duæ occurruunt voces explicande,  $\lambda\gamma\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$  &  $\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$ . De singulis agemus singulatim, ac primum de posteriore,  $\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$ .

**I. O**riginæ ab  $\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$  descendit, uti Latinum vocabulum, quod Graeco respondet, *essentia*, ab esse: ita ut  $\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$  proprie vi vocis significet *essentiam*, quamvis Aristoteles c. 5. *Categ.* & alibi non semel vocem  $\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$  restringat ad significandam  $\tau\pi\alpha\tau\pi\alpha\tau\pi\alpha$  *Substantiam*: & sic Accidentium non esset  $\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$ : verba ejus cap. cit. sunt. *O*vicio d'esi in  $\tau\pi\alpha\tau\pi\alpha\tau\pi\alpha$  re,  $\tau\pi\alpha\tau\pi\alpha\tau\pi\alpha$  *accidentis*,  $\tau\pi\alpha\tau\pi\alpha\tau\pi\alpha$  *huiusmodi*,  $\tau\pi\alpha\tau\pi\alpha\tau\pi\alpha$  *mutari*,  $\tau\pi\alpha\tau\pi\alpha\tau\pi\alpha$  *inveni*, &c. & paulo post,  $\tau\pi\alpha\tau\pi\alpha\tau\pi\alpha$  d'

$\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$  *deinde*  $\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$  *non* *convenire*. Quæritur, *Vt* *sensu* *vox*  $\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$  *sunt* *debeat* *in definitione Formæ*? Resp. Utrovis sensu sumas, nihil peccatur, neque aliquid exculpitur, ad formas afferendas Substantias à Materia distinctas. Si vocem  $\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$  reddas per *essentiam*, cum Forma dicitur *ratio essentiae*, eo non significatur, formam esse substantiam à materia distinctam; immo eo potius contrarium significatur: quomodo enim Forma dici queat ratio essentiae ipsius materiae, si habeat essentiam propriam à materia & ejus essentia distinctam? potestne fieri, ut ex duabus rebus diversa & distincta essentia præditis una res dicatur ratio essentiae alterius rei? potestne leo dici ratio essentiae equi? Si per vocem  $\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$  intelligas *Substantiam*, cum forma dicitur  $\lambda\gamma\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$ , idem est ac si dicas, *forma est ratio substantiae*: quandoquidem vero forma est materia forma, eo ipso materia ponitur esse substantia, non forma: nisi quis rem ac substantiam cum substantia ac rei ratione &  $\lambda\gamma\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$  confuderit: sicut ratio entis, *essentia*, ipsa non est *ens*, ratio hominis, *humanitas*, non est *homo* (aut daretur progressus in infinitum) ita ratio substantiae, sc. *Forma*, ipsa non est substantia. Sed hæc omnia clariora erunt ex iis, quæ de  $\lambda\gamma\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta\tau\delta\pi\eta$  dicemus.

**III. A**lways varia significat apud Graecos, & ne

& ne omnes significaciones recenseamus, interdum sermonem significat, eumque vel  $\alpha\sigma\phi\alpha\gamma\nu$ , foras prolatum & externum, vel  $\alpha\lambda\beta\delta\eta\epsilon\nu$ , intus conceptum & internum, interdum rationem. Ratio ista vel in mente nostra est vel in rebus ipsis. Ratio five  $\lambda\delta\gamma\circ$  in mente nostra vel significat ratiocinandi aut intelligendi facultatem, veluti cum homo dicitur  $\xi\delta\sigma\lambda\delta\gamma\circ$ , vel ipsum  $\lambda\delta\gamma\circ$  seu intelligendi ac ratiocinandi actum. Ratio five  $\lambda\delta\gamma\circ$  in rebus sumitur tripliciter. 1. pro argumento seu termino medio in syllogismo, veluti cum Arist. c. 29. l. 2. Post. Analyt. dicit omnem scientiam esse  $\alpha\sigma\lambda\delta\gamma\circ$ , intelligentiam seu assensum principiorum esse  $\alpha\sigma\lambda\delta\gamma\circ$ . 2. Pro  $\chi\tau\delta$  aliqua entis fine ulla vi inferendi aut probandi, veluti cum ab Euclide l. 5. Elem.  $\lambda\delta\gamma\circ$  five ratio dicitur, duarum magnitudinum ejusdem generis quedam secundum quantitatem habitudo, & Analogia rationum similitudo. Quid ab Euclide de quantitate, hoc de omnibus omnino rebus dici potest, ut ratio five  $\lambda\delta\gamma\circ$  sit omnium rerum mutua quedam habitudo, & Analogia sit rationum in rebus similitudo. 3. Pro modo quo res unaquaque menti objicitur cognoscenda. Hæc postrema acceptio vocis  $\lambda\delta\gamma\circ$  latissime patet, & priorem suo ambitu comprehendit: diversa enim rerum habitudo efficit, ut aliter atque aliter res ab intellectu nostro concipiuntur atque intelligantur. Forma, ut hæc omnia applicemus, non est  $\lambda\delta\gamma\circ$  &  $\varepsilon\circ\alpha\iota\alpha\circ$ , prout  $\lambda\delta\gamma\circ$  significat sermonem, nec prout notat rationem quæ est in mente, nec prout indicat argumentum tertium, sed prout indigit habitudinem variam materia, & modum, quo pro varia habitudine varie objici potest menti. Et sic forma nihil est aliud ex hac definitione Aristotelis quam Barbarorum Formalitas, quidditas, ratio formalis aut quiditativa. Atque hinc liquet, quam inepte, ex hac formarum & rationum formalium multiplicatione, multiplicaverint totidem entia totidemque substantias, easque à materia diversas, Scholastici. Sed paulo adhuc ulterius de Formis &  $\lambda\delta\gamma\circ$ s &  $\varepsilon\circ\alpha\iota\alpha\circ$ s est philosophandum.

I V. Quæritur, Vnde hi  $\lambda\delta\gamma\circ$ s &  $\varepsilon\circ\alpha\iota\alpha\circ$ s, tam

varii, in re una, oriantur? Resp. Ex humanae mentis imperfectione, quæ cum tanta sit, ut nequeat mens uno conceptu distincte intelligere, quod in se unum est, fit, ut intellectu objectum suum, illud distrahat, & quod unum est, quamvis unum sit, pluribus sibi que invicem dissimilibus conceptibus intelligat. Quid magis est simplex, quam Deus? & tamen Deum concipiimus, ut Deum, ut immensum, ut æternum, ut sapientem, ut misericordem, ut justum, &c. & concipiimus, non solum pluribus, sed & dissimilibus multumque inter se se diversis conceptibus: conceptus enim divinae justitiae multum differt à conceptu, quem facimus de divina misericordia; estque alter alteri proorsus dissimilis: & sic in aliis divinae essentiae attributis concipiendis, conceptus sapientiae differt à conceptu omnipotentiae, &c. Atque hæc omnia sunt totidem  $\lambda\delta\gamma\circ$ s &  $\varepsilon\circ\alpha\iota\alpha\circ$ s in Deo: unde & dicuntur in Deo ab ipso distingui & inter se  $\tau\delta\lambda\delta\gamma\circ$ , ratione, quia licet in se & Deo omnia sint unum, sunt tamen objecta distinctorum conceptuum nostri intellectus, qui  $\lambda\delta\gamma\circ$  seu rationes appellantur, quasi dicas, rationes concipiendi. Hinc & ipsa illa objecta, quatenus ratione differunt, externa denominatione, rationes entium,  $\lambda\delta\gamma\circ$  &  $\varepsilon\circ\alpha\iota\alpha\circ$ , vulgo conceptus objectivi vocantur, quia scilicet  $\tau\delta\lambda\delta\gamma\circ$  five rationibus concipiendi, id est conceptibus animi nostri, objiciuntur, indeque distinctionem capiunt. Atque hæc sunt formæ ac rationes essentiæ in re unaquaque.

V. Hæc Philosophia plane est Aristotelica: quippe Aristoteles non uno in loco docet, unius ejusdemque rei esse varias rationes &  $\lambda\delta\gamma\circ$ s &  $\varepsilon\circ\alpha\iota\alpha\circ$ s, seu &  $\varepsilon\circ\alpha\iota\alpha\circ$ s. Sic dicit l. Phys. materiam & privationem esse unum numero, distinguiri vero  $\tau\delta\lambda\delta\gamma\circ$  seu ratione, quia scilicet alius est conceptus materiae, ut est materia, & alius, ut est privata. Ex. gr. cum quis Musicus sit ex  $\alpha\mu\sigma\tau\omega$ , subjectum istius mutationis est homo, privatio  $\alpha\mu\sigma\tau\omega$ : homo enim ex  $\alpha\mu\sigma\tau\omega$  fit musicus: itaque licet homo &  $\alpha\mu\sigma\tau\omega$  sint idem numero,  $\varepsilon\circ\alpha\iota\alpha\circ$  tamen  $\tau\delta\lambda\delta\gamma\circ$   $\alpha\mu\sigma\tau\omega$  et  $\varepsilon\circ\alpha\iota\alpha\circ$ , id est alia est hominis, alia  $\alpha\mu\sigma\tau\omega$  seu musicæ imperiti, essentia aut ratio

*essentia. I. 1. Phys. §. 67.* Simili modo loquitur *Philosophus l. 5. Ethic. c. 1.* De Jusititia & virtute universa. *εἰ τὸν δὲ οὐκον, οὐδὲν εἴη καὶ τὸν τοῦτον αὐτόν, οὐδὲν τὸν τούτου τὸν οὐκον, οὐδὲν τὸν τούτου τὸν αὐτόν.* id est, illa eadem quidem est, sed essentia non est eadem sed quatenus ad aliud est, *justitia: quatenus talis habitus, absolute virtus dicitur.* Similia loca extant apud *Aristotelem* plurima, quibus nihil significatur aliud, quam ejusdem rei esse plures λόγοι seu rationes & cias. Etenim etiam eadē res est, quae subjicitur formis & quae iis privata est, ut homo & ἄνθρωπος: eadem qualitas est, atque idem habitus, qui & virtus & justitia universalis dicitur: *sed rationes essentiae λόγοι τῆς θεοτοκίας καὶ τῆς εἰρήνης* inter se fere differunt.

**V I.** Verum enimvero; Ulterius hic queri potest, *Vnde proveniat, ut quod in se est unum atque indivisum, pluribus iisque distinctis ac dissimilibus conceptibus concipi posse?* Resp. Id provenire ex comparatione unius rei cum alia: cum enim in illa comparatione apparet, quomodo unumquodque se habeat ad aliud, mens istos modos seu comparationis capita distinguit, & unumquodque seorsim confidrat, atque concipit. Singuli itaque isti modi, seu singula comparationis capita, sunt singulæ rationes, secundum quas una eademque res distinctis conceptibus intelligi potest: totidemque sunt λόγοι & στοιχεῖα vel εἴρηνα. In comparatione spectatur *Convenientia, Diversitas,* & *res pectus seu Relatio.* Quando ergo mens id seorsum concipit, in quo res cum aliis convenit, relicta differentia, vel id, in quo ab aliis differt, relicta convenientia; vel cum rem concipit cum relatione ad aliud, distinctos format unius & ejusdem rei conceptus, qui sunt totidem λόγοι εἴρηνα καὶ στοιχεῖα. Itaque

omnes rerum λόγοι, vel *rationes essentiae*, aut in *convenientia*, aut *relatione* sunt sive, quatenus res secundum eas à mente distingui & distinctis conceptibus intelligi possunt. Ex gr. Homo, vel ut animal, vel ut homo, vel ut Pater, considerari potest: quatenus consideratur ut animal, cum bestiis convenient; quatenus ut homo, ab iis differt: quatenus ut Pater, ad filium refertur: atq; hæc quidem sola ratione distinguuntur & λόγοι & στοιχεῖα: licet enim homo sit una eademque res, tribus tamen distinctis modis, *rationibus*, seu λόγοι, objicitur menti, & tribus diversis dissimilibus conceptibus concipitur: aliis enim conceptus est hominis, cum concipitur ut animal: aliis, cum concipitur ut homo: aliis, cum ut pater. Ista ergo tria, hominem esse hominem, hominem esse animal, hominem esse patrem, & similia, quid esse possunt, quam λόγοι & στοιχεῖα in homine, *rationes essentiae*, secundum quas homo dissimilibus notionibus ac conceptibus apprehenditur aut saltem apprehendi potest? Atque hi diversi in una eademque re λόγοι & στοιχεῖα, fundamentum distinctionis rationis ratiocinatae, quæ innititur non nisi cujusque rei cum altera comparatione: qua fit, ut in eo, quod unum est, apparent quasi multa, quæ à se invicem abstrahi per mentem & distinguiri possunt, prout cum alia re convenient, aut ab alia re differunt, aut etiam prout vario respectu ad rem aliam referuntur.

**VII.** Ex hisce omnibus hoc inferimus, toto celo errare illos, qui *formas quasdam substantiales, distinctas à materia, astructum* eunt ex definitione formæ *Aristotelica*, qua definitur λόγοι τῆς θεοτοκίας, aut ex alia simili. Sed absurditas istius illationis fatis patet ex iis, quæ jam differuimus.

## Disputationum ex Philosophiâ selectorum

TRIGESIMA-NONA,

DE

## LEGE IN COMMUNI.

## THEISIS I.

**N**ullum fecimus in harum disputationum curriculo ordinem : sed prout in manus incidit , nunc hæc , nunc illa materia , ita eam pertractavimus , ad arbitrium fere Respondentium : postremo nos exercuimus in *Formarum* explicatione ; quæ ad Physicam fere pertinet : jam ad *Politicalam* defletemus , & naturam indagabimus *Legum*, fine quibus nulla Respublica rite recteque administrari potest : Lex enim anima est Re-publicæ , cuius influxu vegetabili vivit , nutu-tuque gubernatur magnum hoc corpus . Sed legum necessitatem , dignitatem , majestatem , Rhetores eloquuntur : nos earum naturam *Philosophice* explicabimus , post ἐνοματολογίαν περιγραφαν subjiciendo , quod faciendo & de *Philosophis* , & de *Theologis* , & de *Iure Conflituis* bene merebimur .

**I I.** Οὐοραπτολογία legis absolvitur ejus *Etymologia* , *Synonymia* , & *Homonymia* . *Etymologiam* quod spectat ; lex derivatur juxta nonnullorum sententiam à *legendo* , id est , *deligendo* ; nam verbum *legendi* etiam significat *deligere* , teste *Varrone* . l . 5 . de *Ling* . *Lat* . vel quod fit multorum consultatione & consensione *de-lecta* , vel quod ex multis , quæ possunt consti-tui , una *Lex* fit ad id , quod factio est opus , *delecta* . Hæc *Etymologia* placet *Ciceroni* l . 1 . de *Legibus* & l . 2 . de *Nat. Deor.* Alii tamen legem dictam volunt à *legendo* , quatenus ab omnibus *legi* & cognosci debet : leges enim tabulis incisa parieti affigebantur , ut à populo legerentur . Sic *Iсидорus* l . 2 . *Etym. c. 10* . & l . 5 . c . 3 . Alii , ut *Scholastici* , & inter eos *Aquinas* l . 2 . quæst . 90 . art . 1 . legem derivant à *li-gando* , eo quod ad obedientiam vel poenam obliget *lex* ; & quod is , qui legem fert , subditos ita obstringat , ut agere cogat juxta id , quod

sua lege constituit ; nam *lege* condita tenentur , id est *ligantur* populi .

**I II.** *Synonymiam* quod spectat , *Lex græcè* dicitur νόμος ἡμέρα , à distribuendo , quod suum cuique tribuat : *Picolum. grad. 10. Philos. de Moribus* , c . 23 . notat νόμον ἡρών vel νόμον dici posse , vel quatenus lex à divina mente prodiens per humanam mentem in urbes emanat , unde & *mens urbium* dicitur , vel quatenus bona cum *mentis* observantia omnibus est tenenda : sed illa Græca vocis origo durior est & longius petita . Ebraicè dicta est נורוֹת , quod nonnulli derivant à נורָה , id est *ordinare* , *con-siderare* , *explorare* : נורָה enim est *ordo* , *ratio* , *ordi-natio* : nam exploratio prudenter rem indagat , cum ordinatissime procedit : sed rectius alii deducunt à נורָה quod est *docere* , quia sc . *lex doceat* , quid sit agendum , quid fugiendum , ut sit *doctrina* , *institutio* , *præscriptio* , *ratio* , *dispositio* , *judicium* , *statutum* , &c.

**I V.** *Homonymiam* quod attinet , *lex* vocabulum valde est *homonymum* . In *Scripturis* sumitur , nunc pro forma *Politiae Judaicae* , nunc pro tota scriptura V.T. nunc pro lege moralis , nunc pro secunda legis moralis tabula , nunc pro legis moralis rigore , nunc pro lege cere-moniali , nunc pro forensi , & multis adhuc aliis modis , de quibus consultantur *Theologi* . Apud *Philosophos* tribus fere sumitur modis : 1. significat quamvis doctrinam aliquid præscribentem , & quamlibet conventionem ac conditionem . 2. idem significat quod *jus* : unde sicut *jus* , ita quoque *lex* dividitur in *naturalem* , *divinam* , *humana* , &c. de quo postea . 3. Sumitur *lex* strictius , ut est idem , quod *jus scriptū* , differtque à *confuetudine* , quæ vulgo dieitur *scriptum jus* . *Lex* hoc modo sumta aliquando

accipitur ut est *quodlibet ius scriptum*, id est *jus* vel *ius* *cujuilibet Magistratus*, vel *Principis*, vel *alterius potestatem* *habentis*, sive *ius Canonicum & Ecclesiasticum*, sive *ius civile*: aliquando accipitur; prout à *canone*, id est *Ecclesiastica constitutione seu decreto*, distinguuntur, & *tum lex solum*; est *ius scriptum civile*: quo sensu *Legistas* vocat *vulgus Iuris Civilis Interpretates*, *Canonistas* *juris Ecclesiastici Enarratores*. *Jura civilia*, vel sunt *totius populi*, id est *Senatorium*, *Patriitorum*, & *omnium civium leges*; vel sunt *Plebiscita*, vel *Senatus consulta*, vel *Principum constitutiones* sive *Rescripta*; vel *Magistratum edicta*, vel *Prudentum responsa*: aliquando accipitur *Lex*, prout est *ius scriptum civile*, *distinguunt à Plebiscitis*, &c. Nos *Legem* hic *impræsentiarum accepimus sensu secundo*.

V. Περὶ μελέσων, post nomen excusum, proponet nobis *Legis definitionem & divisionem*. *Lex Arist. in Rhetorico ad Alexand. c. 1.* definitur, λόγος ἀρχη τῶν νομοθετῶν καὶ τῶν πολεμῶν; μηνιν τὰς δὲ ταραχεῖς ἔργα, id est, *Ratio communi consensu civitatis definita*, ostendens quomodo unumquidque sit *agendum*. *Ciceroni l. 1. de leg.* Certa ratio, que jubet ea quae sunt facienda, prohibetque contraria. *Aquinati l. 2. quest. 90. art. 1.* Regula & mensura, secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur: & art. 4. *Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata Papiniano IC.* *Commune præceptum, virorum prudentium consultum, delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coercitio, communis Reip. sponsio.* Nobis videtur omnium optimæ, brevissime & accuratissime definiri, *præceptum æquum superioris*, *subditum ad agendum vel non agendum obligans*. *Præceptum, quasi genus est: æquitas, excludit injusta imperia, quæ non nisi per abusum lege nominantur: obligatio, subditi promulgationem, aliaque includit*.

VI. Ut vero *Natura Legis expressa definitione tanto capiatur melius, observandum est, legem omnem variis quasi ex partibus esse compositam: namque in ea est, primo, judicium sive actus intellectus legislatoris, quo*

*judicat faciendum esse aliquid aut non facie dum, obligandumque esse subditum: secun decretum seu actus voluntatis, quo eum ob gare constituit: tertio, promulgatio, qua l subdito indicatur: quarto, intelligentia sedi, qua obligationem suam agnoscit, & sua culpa ignorat, si ignorat: denique est ipsa seu objectum, circa quod judicium ve luntasque tam legislatoris quam subditoru veratur. Hoc objectum, à Deo hominibusq cognitionum, vocatur *Lex*, terminusque c divinæ iussionis, & humanae obediitionis: quæ itaque vulgo hic disputantur, *Sitne le opus intellectus an voluntatis*, ea non sunt necessaria, quia lex utrumque complectit. Deus enim aut superior quicunque lege fert, intelligit hoc esse imperandum, ut imperare, & imperat: lex imperata & dem data intellectus simul & voluntatem hominis constringit ac dirigit & regulat: Ex hi manifestum est, Legem tribus spectari modis. 1. secundum se. 2. ut est in Legitatore. 3. ut est in subdito. Si *Lex* in se specatur, nihil est aliud quam quedam regula mensura, qua nos dirigit & obligat in no actionibus: ostendit enim quid agendum quid omittendum, & simul obligat, ut, qu agendum est, agamus, quod omittendum omittamus: itaque duo sunt officia legis: un est, dirigere seu illuminare, alterum, obligare: *lex enim dirigit vel illuminat, quatenus e regula humanorum actuum: obligat, quatenus tenemur eam regulam sequi ac servar* sive illa obligatio oriatur ex natura rei, ut legibus naturalibus, sive oriatur ex voluntate & potestate superioris, ut fit in legibus pativis, de quo negotio postea. Si *lex* specatur, ut est in legislatore, nihil est aliud, qu actus ille, quo Legislator judicat, vult, & perat, ut hec aut illa regula à subditis servet. Si *lex* specetur, ut est in subdito, nihil est al quam judicium practicum, quo subditus dicat hanc vel illam regulam esse servand a superiori aut legislatore datam. Quando tem dicimus legem interdum spectari secundum se, non debet illud ita sumi, quasi n modo sit in superiori vel inferiore (est en in illis objective seu per modum objecti c*

gniti & voliti) sed quod non consideretur, ut est in illis *subjective* per modum actus intellectus aut voluntatis, sicut consideratur 2. & 3. modo. Lex enim 1. modo spectata est proprie objectum intellectus practici voluntatis, non simplex, sed complexum: v. c. hoc complexum, *furtum est fugiendum*, est regula voluntatem dirigens in agendo, postquam intellectus eam percepit & judicavit esse sequendam itaque lex in se spectata fundamentaliter est in rebus ipsis, *objective* in intellectu & voluntate, *subjective* in voce, tabulis, scripturis, tanquam in signo.

VII. Definitionem Legis excipit ejus *Divisio*, quæ multis potest initium modis. Scholastici legem dividunt in *eternam*, *naturalem*, *humanam*, *divinam*. *Eterna* sumitur, aut fusiū & latius, aut pressius & strictius. *Latius* sumpta, est mens & ratio divina, quæ cuncta sapienter & recte disposita constanti & certo ordine gubernat, ut constitutos sibi fines assequantur; cui legi universa, quæ sunt ex nihilo condita, subiectiuntur; *pressius* vero, est ratio divina, recta & bona præcipiens, prava & mala prohibens; & ab hac una lege universæ aliae leges, sc. *naturalis* & *humana*, derivantur. *Naturalis* lex, est rectæ rationis præscriptum in bonis agendis & malis fugendis. *Humana* lex, est certi alicujus hominis potestatem habentis iussum, idque vel *Canonicum* five Ecclesiasticum, quod consistit in rebus ad bonam Ecclesiarum administrationem pertinentibus, vel *Civile*, quod consistit in rebus, quæ ad Civilem Reip. gubernationem attinent. *Divina* lex est, quam Deus per seipsum ad homines tulit: atque hæc duplex est, *Vetus* & *Nova*: *Vetus* triplicis generis præcepta continebat; *Ceremonialia*, de rebus sacris ad divinum cultum pertinentibus; *Iudicia*, de rebus civilibus ad rectam populi curam & administrationem spectantibus: *Moralia*, ad singulorum hominum mores componendos juxta rationis præscriptum. *Nova* continet præcepta fidei, & que Evangelica vocant *Scholastici*: Apostolo *Gentium* dicitur *Lex fidei*, ad Rom. 3. 27.

VIII. Alii, præter *Scholasticos*, legem dividunt, sicut & ipsum jus, in legem, *Naturæ*,

*Gentium*, & *Civilem*. *Lex naturæ* est id, quod ratio hominis (est enim ratio hominis naturæ) naturaliter (id est, ex principiis naturæ insitis & sua luce notis) præscribit, cujus tamen aliquod vestigium quasi, est etiam in animalibus, vel cæteris quoque rebus, qui est instinctus à natura insitus: qualia sunt hæc, quæ sequuntur. *Vim vi repellere, seipsum tueri, sibi salutaria querere & noxia fugere*, &c. *Lex gentium* est id, quod recta ratio naturali omnes gentes, id est homines omnes docet, præcipit vel prohibet: cujus vestigium nullum est in brutis animalibus rebusque aliis, qualia sunt, *religio & cultus Dei*, *honor vel obedientia parentibus praefanda*, ac cetera Decalogi precepta: Hac lege sunt introducta rerum dominia & bella, civitates fundatae, erecta foedera, instituta captivitates & servitutes hominum, constituti reges, creati magistratus, inita commercia, & contractus, depositi, mutui & commodati, locati & conducti, emptionis & venditionis, societatis, &c. *Lex civilis* est jus civile scriptum, quod constat sex partibus, nempe *Legibus*, *Plebisitibus*, *Senatus-consultis*, *Edictis Prætorum*, *Constitutionibus Principum*, *Responsis Prudentum*. vid. *Institut. Iuris Iustinian. l. 1. tit. 2.* Hic itemendum ac notandum est illud: *Iuris-consulter & Theologos*, si non in're, saltem in modo loquendi discrepare, circa legem naturæ & gentium. *Iuris-consulti* vocant legem naturæ, id quod homini commune est cum brutis: *gentium*, id quod hominibus solis inter se est commune: & sic præcepta legis moralis ad gentium, non ad naturæ legem pertinebunt, non enim sunt homini communia cum brutis: *Theologi* legem naturæ vocant id, quod instinctus naturæ docuit homines, quatenus sunt animalia rationalia (& hoc appellant alii, *jus naturale primærum vel primarium*) legem gentium, id quod natura docuit hominem quatenus est animal sociale (& hoc appellant alii, *jus naturæ ortum aut secundarium*) & sic ad legem naturæ pertinebunt præcepta legis moralis, quia obligant hominem simpliciter & in se consideratum, five in societate aliqua confituantur, five non: cum leges gentium non obligent hoc sensu hominem, nisi

nisi quatenus est ipsa. *Picolumineus grad. 10. c. 23. Philosophia de Moribus*, adhuc aliam habet legum divisionem; & alii forte adhuc alias. Sed missis omnibus, putamus communissime Legem generaliter dividi, in Aeternam, quae notat sapientiam & decretum Dei

de regimine rerum; *Naturae*, quae per generationem implantatur; *Humanam*, quae à superioribus & Magistratu fertur; *Divinam*, quae à Deo vel immediate vel per Mosem fuit mandata ac promulgata, juxta ea quae sunt dictath. 7.

---

Disputationum ex Philosophiâ selectarum

QUADRAGESIMA,

D E

# L E G E A T E R N A.

THEISIS I.

**D**ivisimus Disp. praeced. th. 7. & 8. legem in aeternam, naturae, humanam, & divinam; de quibus singulatim differemus in posterum, excepta lege divina, quae non Philosophici sed Theologici est fori; quare eam ad Theologos relegabimus. Atque ut ordine procedamus, impræsentiarum de *Lege aeterna* agemus; ac primum ambiguitatem removebimus, ne illa in ipsius rei tractatione negotium faceat.

II. *Lex aeterna* sumi potest duobus modis. 1. Pro quavis regula practica necessaria & aeternæ veritatis, ad quam naturaliter obligamur, ut, *Deum esse colendum, parentes esse honorandos, nemini esse faciendam injuriā, &c.* Hæ enim regulæ sunt leges omnino immutabiles, ac proinde aeternæ, & hoc sensu multæ sunt leges aeternæ. 2. Sumitur pro actu divinæ mentis, quo concipit & judicat illas regulas servandas esse à creatura cum voluntate eam obligandi. Hoc sensu legem aeternam acceptit *Thomas*, 1. 2. qu. 93. art. 1. cum ait, *eam nihil esse aliud quam rationem divinae sapientie, secundum quam dirigit omnium creaturarum motus & actiones in suos fines.* Ut enim in Deo est ratio rerum creandarum, quæ dicitur Idea, sic etiam est in ipso ratio rerum gubernandarum, quæ dicitur lex aeterna: & ticut ratio rerum creandarum nihil est aliud quam conceptus divinæ mentis, quo concipit rem & judicat, quomodo illa sit facienda, sic

ratio rerum gubernandarum, quam vocamus legem aeternam, nihil est aliud, quam conceptus divinæ mentis, quo concipit & judicat quomodo unaquæque creatura debeat suas functiones obire, adjuncta simul voluntate eam obligandi vel imprimendi inclinationem ad suam regulam servandam. Profecto, si in Rege aut Principe particulari, multo magis in Deo, Rege & Principe universali, oportet esse quandam gubernandi normam & regulam, vel aliquam rationem, secundum quam omnium rerum administratio instituatur: Deus enim est sapientissimus: quare nihil agit temere: ergo quoque omnia ab aeterno disposita, & in leipo modum concepit, quo cœconomia mundi instituere & præsertim actus humanos moderari ac dirigere vellet. Cum vero omnis gubernandi norma generali sensu *lex* dicatur, non male quoque aeternam istam, de Mundi regimine, rationem, in & à divina mente conceptam, Legem appellamus, & quidem aeternam, quia mens divina nihil novum in tempore concipit, sed aeternum habet de rebus omnibus conceptum; neque enim Deus primum post conditum mundum de ejus cœconomia cogitavit, sed ab aeterno, uti rerum creationem decrevit, ita creaturarum gubernationem dispositus. Hæc itaque ratio, in divina mente ab aeterno concepta, de modo regendi mundum & dirigendi omnes actus creaturarum, dicitur & est *lex aeterna*. Atque

Atque hinc liquet, *Legem eternam à providentia divina, non re sed ratione sola differre: Lex dicitur, quando ut norma gubernandi concipiatur: Providentia, prout est universalis cura Dei, res omnes conservantis, & omnibus prouidentis, de mediis, ad operandum & finem suum consequendum, necessariis.*

III. Cum *Lex eterna* sit ratio & norma divina gubernationis, facile liquet, quænam legi eternæ subjiciantur: scil. quæcumque di-vino regimini subduntur, ad legem eternam pertinent cinq̄ subsunt, quippe quæ tam late pateat atque ipsa Dei providentia. Versatur ergo lex eternæ circa res creatas omnes, rationales & irrationales, circa actiones in communi, specie, & individuo, necessarias & contingentes, bonas & malas: nihil enim huic eternæ legi est exemptum: ratio est, quia, cum omnia gubernentur à Deo & ad fines suos dirigantur, etiam modum concepit ab eterno, quo omnia gubernari & dirigi debeant: quod nihil est aliud, quam *Lex eterna*.

IV. *Lex eterna*, utecumque respectu Dei sit una & simplex, respectu tamen diversarum rerum, quæ diverso & alio atque alio modo gubernantur, multiplex dici & aliqua ratione dividi potest: nempe in generalem & specialēm. *Generalis* est ratio gubernandi creaturem omnes ut sunt creature. *Quarum si confideretur esse, oritur, ex lege eterna, conservatio: quæcumque enim creavit Deus, eadem ab eterno conservare constituit, atque in tempore conservat: si earum consideretur operari, oritur, ex lege eterna, concursus seu cooperatio, qua Deus ab eterno decrevit cooperari & in tempore concurrit cum creaturem operantibus, concursu tum prævio tum simultaneo, & ad agendum eas præmovendo & cum illis agentibus cooperando. *Lex eterna Specialis* est, ratio divina, aliquid in & cum creaturem efficiendi, vel aliquid simpliciter iis permittendi. Posset dici *Lex eterna effectiva & permissa*. Illa circa bona actiones, hæc circa malas est occupata. De actionibus bonis tria statuit lex eterna in Deo. 1. Præcipere eas ante opus. 2. Cooperari in ipso opere & coifficere. 3 Remunerari post opus. De actionibus malis tria pariter decernit. 1. Eas prohibere ante-*

quam fiant. 2. Permittere ut fiant & cum fiunt. 3. Punire postquam factæ sunt. Atque hæc eadem sunt cum iis, quæ de *Providentia Dei* vulgo traduntur, à qua, ut diximus, lex eterna non nisi ratione differt: est enim illa vulgo, *generalis & specialis*: atque hæc effectiva boni ac permisiva mali.

V. Quæri hic potest, *Quomodo lex eterna cognoscatur?* Resp. 1. In se cognoscitur à solo Deo. 2. In effectibus cognoscitur à nobis, quia lex eterna & temporalis executio in objectis convenienti: quando igitur observamus modum, quo Deus universum mundum omnesque creaturem actus gubernat, colligimus facile & intelligimus, talem ab eterno fuisse in divina mente conceptum: quæcumq; enim & quomodo in tempore Deus exequitur, ea & eo modo ab eterno exequi decrevit per rationes legis sue eternæ: unde, quæ in tempore refacit aut permittit, ea facere & permettere eterna lege constituit. 3. Cognoscitur per impressionem, mediante *lege naturæ*: Hæc enim partialis est expressio legis eternæ: quicquid enim requirit ὅμοιότητα, lex naturæ insta, illud quoque fancivit *vixit*, lex eterna. 4. Cognoscitur per revelationem ex libro scripturæ, in quo magna eternæ legis portio & ratio gubernandi res omnes patet. Sed hic modus cognoscendi Legem eternam, ut est omnium perfectissimus, ita ab instituto Philosophico ac nostro est alienus & ad Theologiam pertinet.

VI. Quæri etiam hic solet; *Vtrum omnes aliae leges deriventur ab eterna?* Resp. Affirm. cum Thom. 1. 2. quest. 93. art. 3. & ratio ejus est, quia ut virtus secundi moventis derivatur à virtute primi moventis, sic omnis ratio gubernandi, quæ est in gubernatoribus inferioribus derivatur à ratione gubernatoris supremi: sed lex eterna est ratio gubernationis in gubernatore supremo. Ergo ab ea derivantur reliquæ leges, quæ sunt rationes gubernationis in gubernantibus inferioribus. Et hoc speciatim liquet in legibus, naturæ ac positivis. *Lex naturæ*, prout in nobis est, derivatur à lege eterna, prout in Deo est: Est enim partialis expressio legis eternæ: Nam lex naturæ est dictamen recte rationis, quo judicamus

camus hanc aut illam regulam practicam æternæ veritatis esse servandam, ut, v. c. *Deum esse colendum*: at hoc dictamen derivatur ab æterno dictamine divinæ rationis, quo Deus ab æterno judicavit illas regulas practicas esse servandas, atque in hoc dictamine rationis divinæ consilis ratio æternæ legis. Ergo lex naturæ, prout est in nobis, derivatur à lege æterna, ut est in Deo. Omnes insuper leges positivæ derivantur à lege æterna, quia potestas humana, qua conduntur leges humanæ, est à potestate divina: & quid sunt humanæ constitutiones aliud, quam iniquæ ordinationes, nisi ab æterna lege deducantur?

VII. Quæri adhuc solet, *An lex æterna sit mutabilis?* Resp. Hoc ipso, quod lex æterna dicatur, immutabilis est: omne enim, quod æternum est, immutabile est. cum illa sit divinæ gubernationis norma, aliarum legum fundamentum & mensura, omnis boni fulcrum, si illa sit mutabilis, omnia pessum irent, omnis ordo, omnis salus universi, & verus *Ἐρώμενος νότης* tolleretur: nec tamen lex æterna dicitur, immutabilis ex parte objecti & rei, quam præscribit (quasi omnia, quæ per illam præscripta sunt, sint immutabilia) sed solum ex parte Dei, quia is ab æterno & invariabiliter præscribit, quod præscribit, etiam si id ad tempus tantum sit duraturum: etenim, ut scientia Dei est æterna, & tam non quicquid per illam cognoscitur est æternum, ita intelligendum quoque est, per legem Dei æternam aliquid nihilo minus temporale posse constitui: unde observationes veteris foederis quamvis ad tempus tantum essent duraturæ, fuerunt tamen per legem Dei æternam constitutæ.

VIII. Denique & istud quæri amplius potest, *An lex æterna contingentiam auferat &*

*necessitatem inducat?* Resp. Minime: etiam si enim ea, quæ lege æterna sunt præscripta, fiant, & eo modo fiant, quo sunt præscripta, non tamen hinc tollitur è mundo à rebus contingentia: quippe lege æterna non tantum actus sanctus est, ut fiat, sed & modus, quo fiat: Deus enim ab æterno statuit, non tantum conservare omnia ac gubernare, sed vero insuper statuit id facere, congruenter naturis rerum singularum: qualis itaque est rerum natura, ut & convenienter ei operetur, res, lex æterna sanctit, nimurum, ut necessaria agant necessario, libera libere, contingentia contingenter, & sic porro. Verum id quidem est, si id, quod fit, spectetur in ordine ad legem æternam, secundum quam fit, omnino fit necessario & eo modo quo lex æterna præscripta; sed illa necessitas est tantum immutabilitatis, quæ contingentiam non tollit, quia hypothetica est & non absoluta necessitas: at nulla necessitas hypothetica contingentiam minuit vel aufert. Et necessitas, qua oritur in rebus vi legis æterna est ejusdem plane generis, atque est ea, quæ oritur in rebus vi præscientiæ divinæ aut decreti. At neutra harum contingentiam aufert. Ergo nec eam tollit necessitas oriens ex lege æterna? Et quid multis est opus? *Ἄριστος Φίλος* hic situm est, quod putetur nulla necessitas stare posse cum contingentia: quo nihil est falsius: imo contra omnis necessitas hypothetica, sive ex hypothesi antecedente, sive ex consequente, sive ex concomitante, convenit optime cum contingentia. At necessitas in rebus & actionibus humanis ex lege æterna est necessitas ex hypothesi antecedente. Ergo concludimus, eam nihil impedire contingentiam in rebus & causis secundis, quæ harum etiam respectu tantum est estimanda.

Disputationum ex Philosophia selectarum  
QUADRAGESIMA - PRIMA,  
DE

## LEGENDA NATURÆ.

## THESES I.

**A**ternam legem explicatam Disputatione præcedenti excipit Lex Naturæ, quam hac Disputatione pertractabimus, primum vocem, mox rem, enucleatur. Due hæc sunt voces: Lex & Natura. De priori actum est satis Disp. 39. Vox altera, dupliciter accipitur, vel pro Natura Universalis, quæ est series & ordo communium cauſarum, vel pro Natura particulari, nempe humana, seu pro naturali hominis constitutione & conditione. Lex Naturæ universalis, sunt communia Naturæ universalis statuta, quæ ipsa in rerum naturalium productione obseruat: Lex Naturæ particularis, sunt principia juris, homini innata & implantata. Illa naturalium; hæc motalium operationum est norma: illa parit discrimen monstroſi & perfecti; hæc turpis & honesti: Illius exempla sunt: *Natura nihil facit fructus, non efficit per plura quod potest efficerre per pauciora, operatur quamdiu potest & quantum potest, &c.* Hujus exempla sunt. Honeste vivendum est; nemo laddendus; suum cuique est tribuendum, &c. Impræsentiarum Legem Naturæ sumimus, non Universalis, sed Particularis.

11. Quæritur primo, *An sit aliqua lex Naturæ eo sensu, quo diximus, per quam homo nonnulla de discriminis honesti & turpis absque prævia institutione cognoscat?* Resp. Nihil est decantatus in Philosphorum Scholis, quam generalia quedam principia homini per naturam esse nota, quæ vulgo appellantur *natura*, *veritas*, communes notiones, notitiae innatae vel naturales, prolepses, notiones anticipate, prima & communissima axiomata; atque hæc quidem duum statuuntur generum, quedam theoretica, alia practica, quorum illa *natura*, hæc *prædicta* humanæ fundamentum cepsen-

tur: Theoretica sunt, esse Deum, & quidem unum, justum, potentem, providum, &c. quodlibet esse vel non esse, totum esse majus sua parte, que sunt *æqualia* uni tertio esse inter se *æqualia*, causam præcedere suum effectum, &c. Præstica sunt, honeste agendum esse, Deum esse colendum, parentes honorandos, unicuique suum tribuendum, &c. Quamvis autem horum principiorum veritas & origo naturalis, prorsus indubitate esse debeat, reperti tamen fuere, qui ea pronunciata omnia, vel per experientiam & inductionem, collecta esse, vel ad nos per institutionem, famam, & traditionem hominum sibi perpetuo succedentium, pervenisse existimaverint. At plane aliter Cicero in Orat. pro Milone. *Est quedam, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripiimus, hauiimus, expressimus, ad quam, non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus.* Agnoscamus ergo & nos, homini principia quedam, theoretica, & practica de Dei cultu & honestorum discrimine, sine institutione prævia, innotescere, partim ex creaturarum adspicere & per usum rationis proprium (quam vulgo vocant notitiam naturalem acquistam seu objectivam) partim per impressionem naturalem & quedam imaginis divinarum reliquias, menti humanae à prima nativitate inhærentes & implantatas (quam vulgo dicunt notitiam naturalem instam seu subjectivam). Atque hæc principia practica sic cognita nobis, sunt lex Naturæ, quam esse, vel sola sufficienter probat naturalis peccatorum agnitione: omnes enim impii, etiam inter Gentiles, post perpetratum scelus, agnoscunt se esse deliquisse, & timore corrumpunt ac metu peccæ. Unde hoc, nisi quod legem aliquam esse sentiant? At

quam? non semper latam & scriptam: cum & illi timeant, qui vel hac carent, ut barbari, vel non curant, ut praefracti, vel in occulto peccant, ut doloſi: Neque Lex Mosaica hic allegari potest, cum Gentiles illa desituantur. Quare, sequitur omnino, legem aliquam dari connatam, cuius transgressio in sceleratis hominibus operetur istam anxietatem.

III. Queritur secundo, Quid sit hæc Naturæ lex? Rēsp. In tres fere hic abeunt sententias Philosophi. Nonnulli eam esse actum, quidam potentiam, alii habitum esse, existimant. Sed vero actus esse negunt, nudus ac merus: hic enim in fluxu confitit ac transit: at lex naturæ non est tale ens fluidum ac transiens, sed naturæ infixum ac permanens, & non minus inhæret in anima infantis quam adulti, dormientis quam vigilantis. At ab infantis & dormientis anima rationali nulli actus proveniunt. An ergo lex naturæ fuerit potentia? Sic quidem existimant nonnulli, qui notitias quædam naturales dici volunt, non quod menti realiter, ceu quiddam distinctum, impressæ sint, sed quod intellectus, ab objectis excitatus, facultate propria, illas eliciat, & sine præceptore, veluti formet. His lex naturæ nihil est aliud, quam *divinis rebus* circa principia ista generalia, quæ sece exerit, quam primum usus rationis accedit: quo tempore, quia nonnulla statim ut vera & bona apprehendimus, non aliter appetat, ac si animo ipsi naturaliter illa essent implantata, cum tamen, ut illi volunt, nihil ei insitaliud, quam *divinas illa regulas*, & vis apprehendendi ac colligendi. Verum enimvero nobis Lex Naturæ à facultate ista *regula* videtur esse distincta, & significare insuper connatum quendam & in generatum habitum, vel certe aliquid habitui *ādλογον*. Atque hoc sic probari potest. Quod fuit Lex Naturæ in protoplastis, id quoque est in nobis: neque enim ante & post lapsum differt *āia* sed tantum perfectione, quod ibi perfecta fuerit & distincta, hic imperfecta sit & obscura. At vero Lex Naturæ in protoplastis ante lapsum non fuit facultas intelligendi aut *κεπτη*, sed quiddam ab ea distinctum, & vel habitus, vel aliquid habitui *ādλογον*: nam fuit in iis pars imaginis, quæ nec in anima

nec in animæ facultatibus solis consistebat, sed in sapientia & justitia ac sanctitate, concreatis animæ: Ergo & in nobis Lex Naturæ, quæ imaginis illius rudera adhuc & superstites reliquias notat, non mera fuerit potentia, sed vel habitus vel aliquid instar habitus, in intellectu residens, quo facilitatur ad ascensum præbendum principiis istis practicis, de quibus ante fuit fermō.

IV. Queritur tertio, An Lex Naturæ diversa sit à lege morali Mosaica? Resp. Conveniunt; 1. Efficiente generali; utriusque enim author Deus est: 2. Materia; versatur enim utraque circa bonum honestum & morale: 3. Förmä; quod præcepta continet utraque, quibus honestum præcipitur & turpe vetatur. Differunt; 1. Tempore; Lex naturæ prior est, Mosis posterior: 2. Modo; Lex Naturæ non scripta, Mosis scripta est: 3. Subjecto; illa omnibus hominibus est lata, hæc solis Judæis: 4. Perspicuitate; Lex naturæ est nonnihil obscura & indistincta, Mosis perspicua & distincta: Hinc lex etiam Mosis, quia perfectior est, peccatores magis convincit & accusat, quam Lex naturæ. Hæc tamen utriusque ab utraque discrepantia nihil impedit, quo minus omnia præcepta legis moralis pertineant ad legem naturæ, licet non eodem modo, nec eadem claritate, de lege naturæ esse deprehendantur.

V. Queritur quarto, An omnes actus virtutum per legem naturæ imperantur? R. Actus virtutum considerantur, vel in genere, quatenus boni sunt, vel in specie, quatenus tales sunt: imperantur omnes à lege naturæ, quoad genus, non quoad speciem: lex naturæ suadet in genere, ut honeste vivamus, & turpia vitemus: ad speciales casus & particulares actus virtutum, pro varia ratione circumstantiarum, non descendit: nam quid opus fuisse lege morali & tot legibus humanis, si omnes actuum honestorum species à lege sola naturæ præscriberentur? 2. Actus virtutum sunt, vel morales simpliciter, vel Evangelici: illos lex naturæ imperat, hos plane ignorat: suadet v. c. fortiter esse pro patria pugnandum, cuique suum tribuendum, Deum naturaliter esse colendum; at, in Christum credere, non item: Quicquid enim ad nostram spectat redemtionem, illud tantum

tantum ex lumine, verbi revelati, non rationis naturalis, accipitur: ideoque *lex naturae neminem salvat*, & qui lege naturae quosdam Gentilium servatos aut fervundos volunt, legis naturae usum latius extendunt quam oportet.

VI. Quæritur quinto, *An lex naturæ apud omnes sit eadem?* Resp. 1. Aliud est, lex naturæ, aliud, legis usus vel applicatio. Lex ipsa quatenus est habitus animo innatus atque inhærens, apud omnes est eadem, tam enim huic, quam illi aut illi ingeneratur, tantum numero differt, specie convenit: ficut enim omnes & singuli homines habent eandem specie animalis, & eisdem specie facultates, non autem numero, ita & eisdem specie, non numero, notitias naturales æqui & iniqui, eundem principiorum habitum, eandem naturæ legem, omnes possident & singuli. Quod vero spectat legis usum & applicationem, magna hic est varietas: quia enim non omnes aequaliter educantur, nec omnes in virtutis studio pariter currunt, hinc sit, ut diversa sequantur judicia, actumque eundem, alii probent, alii improbent, non quod lex naturæ in se diversa sit, sed quia homines eandem naturæ legem non eodem modo applicant, & quia ex iisdem principiis diversas conclusiones eliciunt. 2. Circa usum legis naturæ duplices occurrent notiones; quædam sunt primariae, quas principia, quædam secundariae, quas conclusiones, appellant. Principia sunt per se nota & apud omnes immota axioma, ut *Deum cole, neminem lede, quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris*, &c. Conclusiones sunt, quæ ex principiis illis interventu rationis per discursum colliguntur, suntque, vel communes, quæ immediate fluunt ex principiis, vel speciales, quæ longiore discursu egent, nec ultro sequuntur. Ipsa principia & conclusiones communes non variant inter homines: conclusiones speciales, propter corruptam hominum naturam, & educationis pravitatem, aliiusve de causis, multum variant. Ut verbo absolvamus, *Lex naturæ apud omnes eadem est ratione sui, in quantum est habitus, & quod communia principia; eadem non est, ratione applicationis & quod conclusiones speciales ex ea educandas.*

VII. Quæritur sexto, *An lex naturæ mutari possit?* Resp. Tribus modis mutatio hæc intelligi potest. 1. Per additionem, ut, si aliquid addatur legi naturali, quo sensu, mutari & mutatam esse legem naturæ, nullum est dubium: nam addita est lex divina & humana. 2. Per sui desitionem, ut, si desinet obligare, & si non amplius legis rationem habeat: & sic mutari nequit, quia lex naturæ est particula voluntatis divinæ quæ immutabilis est: ut enim Deus essentiam non mutat, sic nec sententiam: at sententiam mutaret, si legem, quam naturæ nostræ inscripsit, ut esset norma operum nostrorum, abrogaret, & ab ejus obligatione nos liberaret: atque hoc est quod vulgo dicitur: *jus naturale non varia tur tempore, sed immutabile semper manet;* unde Aristot. lib. 4. Eud. c. 5. *anivator*, dicitur, seu immobile, quia ubique eandem vim habet, quemadmodum ignis & hic & apud Persas urit. 3. Per abolitionem & deletionem, quatenus lex naturæ ex mente hominis tollitur: hoc pacto, lex naturæ mutata est per lapsum primorum parentum, non quod in totum sit abolita aut deleta, sed quod perfectæ legi naturæ successerint scintillæ tantum aliquæ, quæ tamen amplius nec delentur nec abolen-  
tur, quia vult Deus in hominibus superscire legem, à qua semper ad mortem usque, si male agant, accusentur, si bene, excusentur: interim licet sic nunquam deleatur nec deleri possit, quoad principia & conclusiones communes, quoad speciales tamen deleri potest & sèpè deletur.

VIII. Quæritur septimo, *An circa legem naturæ possit fieri dispensatio?* Resp. 1. Nulla hic potest fieri dispensatio ab homine. Dispensare enim hic est, obligationem legis removere certo casu, extra quem alioquin obligaret. At ejus est tantum obligationem legis removere, cuius est legem ferre: nam destruere & astruere, figere & refigere, unius sunt ejusdemque. At lex naturæ non lata est ab homine, sed à Deo humanae menti insita & impressa. Ergo nullus hominum circa eam dispensare potest. Sed 2. Potestne id Deus? Respond. Dispensatio proprie dicitur aut improprie. Proprie, cum approbatur & præcipitur

actus, qui adæquate & secundum omnes suas circumstantias est contra legem: Et tali modo Deus non dispensat circa legem naturæ: quia sic Deus præciperet & approbaret peccata. Ex. gr. Lex naturæ monet, Deum esse colendum. Circa hanc legem si Deus dispensaret, posset omissionem cultus sui, actumque contrarii putare odium sui, præcipere atque improbare; quod est impium. *Improprie* fit dispensatio, cum præcipitur & approbatur actus, qui quidem videtur esse legi naturæ contrarius quoad materiale, non tamen est, si circumstantiae & conditiones omnes attendantur & examinentur: sic Deus interdum dicitur dispensare circa legem naturæ. v. c. Lex naturæ est. Non licet rem alienam accipere, quamdiu aliena est, invito Domino: attamen præcepit Israëlitis Deus, ut vasa Ægyptiorum auferrent; verum hic dispensatio facta

fuit non proprie circa ipsum præceptum legis naturæ, quod semper obligat, sed circa materiale ipsius actus: nempe, quæ vasa erant Ægyptiorum, ea Deus, omnium rerum dominus, voluit esse Israëlitarum ex donatione libera, & auferri ut mercedem debitam, quam non exolverant Israëlitis Ægyptii. Atque hæc est dispensatio *improprie* dicta, quæ vim obligandi à lege naturæ non tollit: pari modo respondendum est ad exemplum Abrahæ, cui contra naturæ legem, ut filium occideret, fuit à Deo mandatum: quippe, nec ibi fuit dispensatio proprie dicta, sed mutatio materiæ circa quam lex verlatur: & quæ vita Ishaici non erat subjecta potestati privatæ Abrahami, ea subjicitur ipsi ut instrumentum divini beneplaciti ab eo, qui vitæ necisque est arbitrator ac Dominus. Sed de lege Naturæ hæc nunc suffecerint.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

#### QUADRAGESIMA-SECUNDA,

D E

## L E G E H V M A N A.

#### T H E S I S I.

**E**xposita *Lege*, tum *æterna*, tum *naturæ*, sequitur exponenda *Lex humana*, quæ sic dicitur quod *ab hominibus* feratur in salutem Communionis, vel civilis, vel sacræ: illa, *Respublica*, hæc Ecclesia; illa Civijum, hæc Fidelium est complexio: utraque certis gubernatur *legibus*: legis enim nervi sunt, quibus dispersa hominum multitudo in unum quasi corpus ligatur: Atque hinc *leges humanae* oriuntur duplices, scil. *Politicae*, & *Ecclesiastice*, quarum illæ mundanum & civile, hæc sacrum & divinum spectant regimen. Nos, omissis *legibus Ecclesiasticis*, de solis agemus *civilibus*: illæ enim ad *Theologiam*, hæc ad *Philosophiam* ac *Politicam* pertinent.

11. *Legem civilem Jurisconsulti distingunt à Plebisctis, Senatusconsulis, Praetorum editis, Principum constitutionibus, &*

*Jurisconsultorum responsis*, quod liquet ex *Instit. Iur. lib. 1. tit. 2. ubi*, quid singulis significetur, fusius explicatur. Nos impræsentiarum vocem *Legis* tam stricte non accipimus, sed latiori sensu, pro omni constitutione humana à cibis observanda. Itaque definitur nobis *Lex civilis*, *confliccio* legi naturali *conveniens*, & habens publicam *authoritatem*, prescribens aliquid, quod sit à subditis necessario observandum in salutem & commodum communionis.

III. Quæri hic solet §. 1. *An leges civiles condere utili sit & necessarium? An non melius Resp. ab optimo Rege quam ab optima lege administretur?* Atque de hac questione acriter inter se digladiantur *Politici*. Nos censemus melius & tutius Remp. administrari si secundum optimam legem à Magistratu regatur quam si ab

*Si ab optimi Regis arbitrio sine lege ulla admini-  
stretur: nam per id tutius administratur Resp.  
quod affectibus caret, quam quod affectibus  
agitatur: at lex nullis affectibus est obnoxia;  
Magistratus contra: addit, quod Lex sit norma  
& regula justitiae, quovis Magistratu & Rege,  
etiam optimo, iustior: Denique, nullum for-  
ret jus firmum & certum; quod enim uni vi-  
deretur iustum, alteri non item, & sic jus atque  
æquitas varie perturbaretur. Quare omnino  
utile & necessarium pronunciamus, ut leges  
condantur civiles, ac sententia nostræ fidem  
facit communis omnium Rerum experien-  
tia, qua docet, nullam exflitis aut extare  
civitatem, qua non leges suas habuerit ac  
constitutiones particulares: & legum neces-  
sitatem loquitur diversitas civium, quorum  
non omnes ultro virtutem sequuntur, sed ma-  
xima plerumque pars vitiis indulget: legibus  
ergo, poenas minantibus, vel maxime opus  
est, ut improbi, si non virtutis amore, suppli-  
cii saltem timore à virtute deterreantur & in  
officio contineantur. Quin, ut mundus sine  
sole, corpus sine anima, ædificium sine funda-  
mento, non consistit, ita nec Respublica sine  
legibus.*

I V. Quæritur §. 2. *An decreta plebis pro le-  
gibus haberi debeant? Movet hanc quest. Aris.  
l. 4. Pol. c. 4. Et text. 32. 33. 34. 35. negati-  
vam concludit. Nos decreta plebis distingui-  
mus in *necessaria* & *non necessaria*: illa si vo-  
co, qua facit plebs, quando Magistratus dis-  
sentient & leges vel ferre vel exequi ex dis-  
sensione intermittunt: tali enim casu licet  
prudentioribus ex populo, reliquis consenti-  
entibus, decreta quedam ex tempore facere,  
& pro legibus ad tempus retinere: qua, si  
postmodum confirmentur à Magistratu ad u-  
nitatem reducto, tum & ipsa mutantur & in  
legum naturam abeunt. Non *necessaria* plebis  
decreta appello, qua legibus opposita & à po-  
pulo factio in Magistratus invidiam con-  
stituta sunt: qua sane pro legibus nullo modo  
sunt habenda: nam leges in certis & universis,  
decreta populi in incertis & singularibus ver-  
fantur; ideoque illæ firmæ sunt & immuta-  
biles, hæc infirma & continua mutationi  
obnoxia: præterea, vulgus imperitum est,*

& affectum plerumque sequitur ducem, non  
rationem: & per decreta sua, non salutem pro-  
movet & tranquillitatem publicam, sed domi-  
nium affectat tantum, & Magistratus po-  
tentiam studet infirmare. Quare *decreta plebis*  
*alia pro legibus non habentur.*

V. Quæritur §. 3. *An consuetudo obtinet  
vim legis? Resp. Per consuetudinem intelligi-  
tur, frequentia longi temporis similium actuum in  
Rep. Ea est, vel *vitiosa*, ac legibus & rectæ  
rationi contraria, vel *laudabilis*, legibus & re-  
ctæ rationi conveniens: illa vim legis non ob-  
tinet: neque enim multitudo errantium er-  
rori facit patrocinium: hæc si à Magistratu  
permittatur, neque claro quopiam editio tol-  
latur, paulatim vim legis acquirit, imo à lege  
tantum differt modo, quod *lex scripta* tradatur,  
*consuetudo usu* obtineatur. Duo interim  
hic extrema sunt vitanda. 1. ne *consuetudo ali-  
qua subito recipiatur*. 2. ne *recepta subito im-  
mutetur*. Utrumque enim cum periculo est  
coniunctum: si enim consuetudo populi cito  
approbetur, licentia fit deterior; si approbat  
mox mutetur, seditionibus ansa datur. No-  
tandum vero, consuetudinem nullam ex se  
habere vim legis, sed tum demum, si adit  
Principis consensus, si fit rationabilis, si longo  
tempore recepta: quantum vero temporis  
requiratur, ut vim legis obtineat consuetudo,  
definitum non est.*

V I. Quæritur §. 4. *An lex civilis ex ho-  
minis ratione prodeat, an vero ex nature de-  
ducatur fontibus? Resp. Duo hæc non sunt di-  
vellienda, sed conjungenda: & utrumque de-  
bet concurre in *lege civili*; & *naturalis æqui-  
tas*; & *humana ratiocinatio*: illa facit, ut lex  
civilis sit iusta; hæc, ut ad Reip. conditionem  
aliasque particulares circumstantias sit ac-  
commodata. Lex civilis iusta non foret nisi  
responderet legi naturæ: imo in tantum est  
lex & iusta, in quantum de lege naturæ deri-  
vatur: quod vero spectat ejus specialem deter-  
minationem, illa est à consilio & ratione ho-  
minis; hæc enim spectanda est conditio popu-  
li, cui fertur; attendendus finis, ob quem fertur;  
considerandæ circumstantæ aliae, ob quas  
fertur: omnia vero hæc expendere, rationis  
est.*

VII. Sed hic queritur §. 5. *An cujusvis hominis Ratio possit legis politicae esse effectrix?* Resp. Cum Thom. Aquin. 1. 2. quest. 90. & Scholasticis negando: & ratio duplex dari potest. 1. *A fine legis civilis:* hic non est alius, quam bonum commune, & salus totius Reip. Hinc sic argumentamur. Quibus finem legum procurare incumbit, iis & leges, ceu media finis obtinendi, ferre competit: sed finem legum, curam gerere boni communis & salutem Reip. procurare, est, non cujusvis privati, sed magistratus: alioquin discriben tolleretur inter Magistratum & subditos, ac mera existeret cofusio. Ergo & leges, ceu media ad istum finem, prescribere ac ferre, non est privati cujusvis, sed Magistratus. Sicut exercitus dispergitur, si quis miles gregarius locum suum deserere ceterosque instruere velit: ita Resp. brevi tempore nihil erit nisi dispersa multitudo, si cuiilibet civium leges figere liceat, & refigere. 2. *A proprio legum,* quod est vis coactiva: hæc enim si deest, & sua deest legibus authoritas: quis enim observet legem, siad servandam legem obligatus non sit, aut ab obsequiis cogi non possit? At vero, *obligare & ad observationem legis cogere, non est privati sed magistratus:* ergo & leges obligantes condere, non est privati sed magistratus.

VIII. Queritur §. 6. *Num ad legem humanam requiratur promulgatio?* Resp. Affirmando: nam qui secundum normam aliquam agere debet oportet prius ejus notitiam possideat: quomodo enim civis conformabit actus suos regulæ quam penitus ignorat? quomodo poenas dabit violationis, si lex neque sit proposita, neque ipsi cognita? non sane voluntatem Principis transgreditur subditus, cui ea numquam est manifestata: hic valet illa Maxima. *Vbi nulla legis, puta humanæ cognitio est, ibi nulla est prævaricatio, scilicet voluntaria & cum obligatione ad poenas coniuncta.*

VIII. Queritur §. 7. *An lex sc. humana ac civilis, etiam obliges Principem ipsum & non solum subditos?* Resp. Quin Princeps obligetur legi divina & naturali, nullum est dubium: illa Principem Deo, hæc rationi recte subjicit. Quod attinet leges humanas, ex sunt vel com-

munes vel *speciales.* *Communes* eas voco, quarum observatio non solis convenit subditis, sed cadere etiam potest in Principem, ut de affinitatis gradibus jure humano prohibitis, & similes. *Speciales* dico eas, quarum observatio cadit in subditos ut privati sunt, quales sunt leges, de nonnullis contractibus, de processibus, & id genus aliis. *Hicce legibus Principem solutum, afflerimus.* Princeps enim quorum servaret legem, quæ personam ejus non tangit sed tantum subditos, ut privati sunt? *Questio* igitur tota est de *legibus istis communibus humanis*, an Principem obligent? Hic vis duplex legis est discernenda: una *coactiva:* altera *directiva.* *Vis coactiva est,* cum rigore & metu poenarum facienda imperantur, ita ut, nisi quis obtemperet legi, gravem poenam & animadversionem incurrat: hoc modo, Princeps legibus dictis non obligatur, sed solutus est: quis enim à Principe poenas exigat? cum nemo sit eo superior aut potestatem in eum accepit. *Vis directiva est,* quando lex agenda præcipit & ad agendum obligat non per interminationem poenarum, sed eo quod se juri naturæ & rectæ rationi congruere ostendat, adeoque ad observationem sui civiliter invitat, non serviliter cogit. *Hoc sensu Princeps legibus humanis civilibus solutus non est:* quin bono potius exemplo ipsi præendum est suis subditis, qui tanto erunt obsequentiores legibus latissim, quo viderint, Principes ipsos earum esse observantiores. *Huc spectat illud Catonis.* Feras legem, quam ipse tuteris.

X. Queritur §. 8. *An leges humanæ obligent conscientiam?* Resp. Ardua est hæc queritio, & qua non sine explicatione potest decidi. Per conscientiam intelligimus, internum testimonium animi & sensum judicii de nostris vel bene vel male factis, quem perpetuo comitatur vel letitia vel metus. *Obligare conscientiam,* est, legem talern prescribere, cuius transgressio laedit ipsum internum cordis sensum, ut quis proprio iudicio oconvincatur se peccasse & poenas promeruisse. *Hæc obligatio conscientia fit,* vel propriæ sub metu offenditionis Dei, vel impropie sub metu offenditionis hominum. *Oblig. proprie dicta,* est vel generalis vel specialis. *Generali* voco, cum lex, non ratione sui & in specie, obligat

obligat conscientiam, sed mediante tantum generali precepto, quod consequenter violatur, si lex aliqua specialis non obseretur. Sic, qui particulari statuto Principis non obsequitur, ille transreditur legem generalem de honorandis Parentibus & obedientia Magistrati debita, & consequenter atque in genere suam laedit conscientiam. Speciale nuncupo, cum lex aliqua ratione sui & immediate obligat conscientiam, qualis est lex, de non assumendo nomine Dei in vanum, de sabbatho sanctificando, &c. Porro conscientiae obligatio est, vel *absoluta*, vel *hypothetica*. *Absoluta* est, cum lex simpliciter conscientiam obstringit adeo ut sine offenditione Dei nullo respectu nullum love in casu omitti queat. *Hypothetica* est, quando non simpliciter sed cum conditione obligat, nempe, si detur scandalum, si violetur ordo & decorum. Denique *obligatio conscientia* est vel *directa* vel *indirecta*. *Directa* est, cum legis prævaricatio in ipsum Deum fertur & cultui divino directe ac per se adverfatur. *Indirecta* est, cum legis transgressio per se & proxime Deum Deive cultum non attingit, sed remote tantum, quatenus generali ordinationi Dei resistitur, ejusque ministri contemnuntur: veluti, *directa* est *offensio*, cum ipsa Principis persona afficitur contumelia: *indirecta*, cum Legati persona, in qua Principes laeditur. Sed & *leges civiles* distinguendæ

veniunt. Quædam sunt *graviores*, de rebus arduis institutæ, & spectantes aut pacem publicam, aut conservationem societatis politicæ, aut defensionem puræ religionis, &c. Quædam sunt *leviores*, ut de purgamentis urbiuum, de modo emendi & vendendi, de non gerendis armis, de non agendis excubiis, &c. His præmissis, questionem sic decidimus. 1. *Leyes politice, sive sint leviores, sive graviores, specialiter, absolute, directe, & proprie non obligant conscientiam*; quia secundum speciem, & proxime atque immediate, nec à Deo sunt, nec de rebus agunt divinis; nec Magistratus, qui illas leges fert, ullam potestatem accepit in conscientias, qua iis dominari & per leges suas possit eas obligare cum comminatione mortis æternæ, nisi obedient: hoc enim est, *directe atque absolute obligare conscientias*. 2. *Leyes politice, præfertim vero graviores, generaliter, hypothetice, & indirecte conscientiam semper obligant*: quia Magistratus, leges ferens, est Dei ordinatio, minister, Legatus, cui propter Dominum & conscientiam est obsequendum: deinde, quia leges politice, si justæ sint (tales enim tantum accipimus) fundantur in lege morali ac naturæ, & sunt rivuli ex iis fontibus deducti: denique, ab iis pax publica & societas humana dependet: & hanc utramque qui turbat, scandalum præbet, legem Dei violat, adeoque conscientiam laedit.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

## QUADRAGESIMA-TERTIA,

DE

## ANIMÆ RATION. IMMORT.

## THESES I.

**D**E *Anima Rationali* frequens in Scholis ac Libris Philosophorum instituitur Disputatio; interdum de ejus *Essentia*; alias de ejus *Origine*, aliquando de ejus *Potentiis*: nobis nunc placuit in ejus inquirere *immortalitatem*, & eam probatam dare ac demonstratam *ratione naturali*. Qui hoc nego-

tium pertractarunt Philosophi, & multi admodum sunt & multa concessere argumenta, ex *sacris*, *metaphysicis*, *moralibus*, atque *authoritatibus* insuper *Genzilium*, tum *Græcorum*, tum *Arabum*, tum *Latinorum*. Videatur ex multis, *Marsilius Ficinus* in libris suis de *Animarum immortalitate*; *Hannibal Rosellius* in

X Asclepium

*Aſclepium Mercurii Trifmegisti lib. 6. Commen-  
to 1. Iohannes Cottinus de triplici ſtatu animae ; ex noſtris, Alſtedius in Encyclopaedia, Pneumatica parte 4. c. 2. Crocius Syntagm. l. 2. c. 3. qui fuſiſſime hanc rem fuit proſecuti : Imo Fortunius Sicetus volumen in folio conſcripti, quo, folius Aristotelis authoritate & ratiocinio, Anima Rationalis Immortalitatem demonſtrat: Nos Authores illos omnes, eorumque atque aliorum ratiociniorum, in ſuo relinquentes pre-  
tio, Anima Rationalis Immortalitatem, ex Physica ejus operatione, demonſtrabimus, ſi prius ambiguitatem hujus vocis [immortalis] re-  
moverimus.*

*I I. §. 1. Immortale, aliud eſt à parte ante, quod de novo non eſt productum, aliud eſt à parte poſt, quod, licet de novo incepit eſſe, in perpetuum tamē durabit: priori modo Deus dicitur immortalis, & quidem ſolus. 1. Tim. 16. ſecundo modo Anima hic quaeritur Immortalitas. §. 2. Immortale eſt, vel ſimpliſter, quod nullo proſrus modo definire potest, quicunque demum iſ eſt, & vocatur à quibusdam immortale per naturam, quatenus ejus nature repugnat ullo modo definiere, quo ſenſu ſoli iterum Deo immortalitas eſt tri-  
buenda; vel immortale eſt secundum quid, quod certo modo definiere nequit ex ſe, ſcil. vi na-  
ture ſuæ, ſed potest tamen definiere, ſi à Deo annihiletur, ac vocatur immortale per gratiam: hoc ſenſu Anima rationalis eſt immortalis.  
§. 3. Interdum dicitur immortale, per na-  
turam, quod intra naturam nullum habet cor-  
ruptionis principium; per gratiam, quod licet habeat intra ſe corruptionis principium; ſpe-  
ciali tamen Dei actione à corruptione con-  
ſervatur: ſic, anima rationalis eſt, immortalis per naturam; animal, mortale per naturam, quia non tantum ab extrinſeco ſed & ab in-  
trinſeco corrumpi potest: nempe, quia in eo eſt calor depaſcens humidum, ex temperie  
indita ac infiſta corrumpitur, etiamſi Deus inluxum ſuum non inhibeat, aut ab extrinſeco id corrumpat: quare ſi animal, v.c. equus conſervaretur in eternum, eſſet immortalis per gratiam. Status Controversiae noſtræ eſt:  
An anima humana eſt Immortalis, à parte poſt,  
& non per gratiam, ſed per naturam, ſenſu po-*

ſteriori ac §. 3. ſeit, ut in ſe non habeat principium mortalitatis, mortis, aut corruptionis?  
Affirmamus & probamus à propriis ejus ope-  
rationibus, & ſic procedimus.

*III. Quicquid eſt spiritualis & à materiæ contagio liberum, illud eſt immortale. Atqui Anima rationalis eſt spiritualis & à materiæ contagio libera. Ergo &c. Consequentia cla-  
ra eſt. Si enim Anima eſt spiritualis, non educitur ex potentia materiæ, nec ab ea de-  
pendet, non modo in fieri, ſed nec in eſſe, quia proprium & peculiare ſubſtendi modum fortitor: ergo separata à corpore conſervari potest: ergo non moritur extincto corpore, proindeque eſt immortalis: conſirmatur con-  
ſequentia: ſi anima eſt spiritualis, eſt expers contrarietatis, quia contrariae omnes qualitätes ſunt materiales: ergo nihil eſt, à quo ab intrinſeco corrumpi poſſit vel interire: deniq-  
ue, ſi anima eſt spiritualis, eſt ejusdem natu-  
ræ cum Angelis, proindeque omnino simplex & indiviſibilis in partes ſeparabiles, five eſſen-  
tiales, five integrales. At quod ita simplex eſt & indiviſibile, eſt immortale & incorruptibile. Ergo & anima erit talis. Angelus licet ſit compoſitus, ex potentia & actu, genere & differentia, non tamen ex partibus ſeparabilibus, five eſſentialibus, materia & forma, five integrantibus: ſic nec anima: porro, corrup-  
tio & mors fit per diſſolutionem unius ab alio; v. c. corrupcio ligni per diſſolutionem ac ſe-  
parationem formæ ligni ab ejus materia, & mors equi per avulsionem formæ equi ab ejusdem corpore; ergo ſupponit compositionem ex multis partibus ſeparabilibus. Quid igitur talibus partibus caret, id immortale eſt. At quod spiritualis eſt, talibus partibus caret. Ergo, quod spiritualis eſt, eſt immortale. Hac fuit Major, ac jam probata. Minor fuit. Atqui anima humana eſt spiritualis. Ergo & immortalis.*

*IV. Reſtat, ut nunc hanc Minorem pro-  
bemus, quod anima humana fit spiritualis. Id vero non melius probatur, quam ex ejus operationibus, que à posteriori indicant, quale fit principium à quo proficiuntur: quia, ſi haec ſint independentes à corpore & spirituali-  
les, etiam ſine dubio, & anima fuerit (à qua oriun-*

oriuntur) independens à corpore & spirituatis: si contra hæ sint materiales & à corpore dependentes, & anima talis fuerit. Atque hoc fundamentum sternitur ab ipso Aristotele lib. 1. de *Anima*, text. 13. Si est, inquit, aliqua animæ operatio propria, consinger utique ipsam separari: si vero nulla est propria ipsius, non utique erit separabilis. Hoc ergo est *zēvōμαρον*. An anima rationalis nullam habeat propriam sibi actionem & à corpore independentem? Nos affirmamus: Adversarii negant, & negationis suæ probationem instituunt ex alio loco Arist. l. 3. de *Anima*, text: 39. ubi dicit & docet, necessario intelligentem speculari phantasmata. Unde sic argumentantur. Si illa sit actio propria animæ & independens à corpore, erit intellectio: Sed illa non est. Ergo &c. Probat Minorem: Si intellectio non fit sine phantasia aut phantasmate, Ergo vera est Minor, quia phantasia est facultas corporea, & exercetur corporis adminiculo, sicut ipsum phantasma est corporeum. Sed verum est prius. Ergo & posterius.

V. Hujus argumenti solutio sic fatis exeruit Doctorum ingenia. Cajetanus, concessa majori, negat minorem, & inquit: *Animæ rationalis nullam habet actionem sibi propriam & à corpore independentem, dum est in corpore, verum est; extra corpus, falsum est: & sic à corpore potest separari*. Sed hæc distinctione, objectionem non solvit, sed eludit, nec ad mentem est Aristotelis, qui vult investigare, *An anima sit separabilis à corpore & immortalis?* atque utitur ejus operatione tanquam medio à posteriori, quia formæ ex suis actionibus dijudicantur. At, quæ, an animæ operatio potest esse aptum medium ad demonstrandam ejus separabilitatem, scil. ea, quam exercet à corpore separata? egregius sane demonstrandi modus! probabit Cajetanus, animam esse separabilem à corpore, quia separata à corpore operatur sine corpore: supponet separatam, ut probet separabilem: quin potius ea actione, quam anima exercet in corpore, tanquam medio à posteriori & nobis notiori, ad animæ conditionem indagandam, ut debuisset. Sed, quonodo talis actio elicita in corpore sit animæ propria & à corpore independens, hoc opus, hic labor est.

VI. Alii aliter ergo hunc nodum solvent, & ajunt, *actionem aliquam, puta intellectu- ném, aliunde, puta à corpore, dependere, vel tanquam à subiecto & efficiente, uti visio pen- det ab oculo, vel tanquam ab objecto & occa- sione, uti eadem visio dependet à pariete viso: addunt, animæ propriam dici actionem illam, quæ à sola anima efficienter fit, & in ea sola tanquam in subiecto recipitur, uti est intellec- tio, licet tamen ex accidenti, & ratione status seu unionis cum corpore, non possit illa insti- tuti nisi ad præsentiam alicujus materialis & occasione phantasmatis tanquam objecti: atque ita intellectio est propria animæ, quia ab ea sola, & non à corpore, efficienter elicetur, & in ea sola subjective recipitur, non autem in aliquo organo corporeo, licet objectivo dependeat à phantasmate tanquam objecto. Et talem actionem, puta intellectu- ném, esse actionem animæ propriam, inde liquet: 1. Qui talis operatio est communis animæ & corpori, quæ à corpore dependet quoque tanquam à subiecto: quemadmodum visio dependet ab oculo: at intellectio non dependet sic ab ullo organo corporis subjective. E. 2. Illa est operatio communis animæ & corpori, quæ fit cum corpore; illa fit cum corpore, per quam cor- pus patitur: per illam corpus patitur, quam in se recipit: Ergo illa est tantum communis corpori & animæ actio, quæ pendet etiam à corpore subjective: hinc, quæ non dependet à corpore subjective, ea non est corpori com- munis, sed anima propria. Atqui intellectio non dependet à corpore subjective, quia ab ea corporis non patitur, &c. Ergo &c.*

VII. Ad objectionis positæ th. 4. Minoris Resp. negando, Majore concessa: ad Minoris probationem dicimus, si intellectio fit à Phantasia & phantasmate absolute, i. e. opus phantasiæ tanquam causa efficientis, aut in ea tanquam in subiecto, intellectio non erit animæ propria nec independens à corpore, quia phantasia est facultas materialis. At vero (quæ est solutio minoris in probatione) intelligere non est actio à phantasia elicita efficienter, nec de- pendet ab ea ut à subiecto, sed efficitur à solo intellectu & in eo solo recipitur ut in subiecto, licet, propter unionem cum corpore,

anima non operetur per intellectum, quin prius operata fuerit per phantasiam, ita ut ex operatione per phantasiam, & ad phantasmatum praesentiam, excitetur ad operandum per intellectum: quæ mens est Aristot. dicentes, oportet intelligentem speculari phantasmata. Quare Minorem istam (*Intellectio non fit sine phantasia*) paucioribus verbis velim distinguere, initiative & conditionaliter, concedo: effective & subjective, nego: vel sic: intellectio non fit, nisi prius phantasia operata sit, ejusque operatio, sc. phantasma, est conditio, ad cuius praesentiam fit intellectio, circa res sensibiles externas, & singulares, concedo: circa alias, nego: nam anima sine conversione adphantasma seipsum, aliave sibi coniuncta, intelligere potest. Sed hoc ut intelligatur, ulterius progedimur.

VIII. Dicimus ergo, non tantum intellectuonem omnem animæ ita propriam esse in hac vita, ut non tantum à phantasia nunguam pendeat tanquam ab effidente vel subiecto, sed insuper quadan ne dependeat quidem à phantasia seu phantasmate tanquam ab objecto aut occasione: talis est intellectio Dei, & Angelorum, & sui, quæ sit ab anima: & pone, animam acceptissime per infusionem, aliarum rerum quoque species, & aliunde fieri objectorum propositionem, quam per fantasiam, an non poterit fieri intellectio? Ad prius excipiunt *Adversarii*: intellectum non percipere res spirituales, Deum, Angelos, seipsum, nisi ex analogia rerum corporearum & secundum objecta materialia, quæ in phantasia formantur, ergo non sequitur Animam intelligentem, quia intelligit res spirituales, esse spiritualem. Relpond. sequela est optima: & ratio est, quia cum cognitione nihil sit aliud quam rerum imago in animo cognoscente expressa atque percepta, fieri nequit, ut animus nostrus aliquid cognoscat spirituale, immateriale, incorruptibile, nisi ipse sit spiritualis, immaterialis, incorruptibilis: potentia debet habere sibi subiectum proportionatum: ideoque, si intellectus foret potentia, atque materialis, animus nostrus, ne intelligeret quidem immaterialia, & spiritualia: quod dicitur, animum intelligere res spirituales, ex analogia materia-

lium, & secundum objecta ac phantasmata corporea; illud aut gratis dicitur & non ita fit, quod quis deprehendet, si in animi suis res spirituales intelligentis conditionem penitus intueatur, aut si fit, hinc est, quod magno cum errore de rebus spiritualibus fere corporeos format mens humana conceptus. Quicquid fit: speculum, in quo reluet rei imago, oportet, cum ea re proportionem habeat, alioquin in ea exprimi non potest, sed intellectus noster, & animus cognoscens, instar speculi est, in quo imagines rerum etiam spiritualium imprimitur. Ergo &c. Qui fit, ut in speculo corporeo rerum tantum corporearum imagines resplendent, non autem spiritualium? neque enim imago animi nostri, speculo tali potest recipi, ut quidem recipitur corporis & faciei nostræ: ratio nulla est alia, quam quia non est proportio inter speculum corporeale & animum spiritualem. Unde fit, ut oculus tantum corpora percipiat non spiritus? quia corporeus est & non spiritualis. Cum ergo animus humanus substantias spirituales & immortales intelligat ac contempletur, recte eum quoque esse spiritualem & immortalem, concludimus.

X. Sed & ulterius demonstremus, intellectum animi, dum adhuc corpori alligatur, in intelligendo ne dependere quidem à phantasmate tanquam ab objecto: quid enim? an non potest abstractus jam & habitus speciebus intelligibilius, siisque apud se se conservatis, sine ullo phantasmatum interventu ullave conversione ad ea, clicere aliquam intellectionem, puta simplicem rerum, quas apud se obtinet, contemplationem, independentem à corpore, non solum, ut à subiecto, sed & ut ab objecto? Sane non video quid obstet: cum nec intellectus sit impeditus, & cum objectum sit praefens; sc. species intelligibilis jam diu abstractus & in intellectu existentes, in quibus objectum reluet. Præter hæc omnia, cum quispiam naturam universalem, genus aut species, intelligit: cum de uno aliquo universali aliud prædicat, ut homo est animal: cum contemplatur, ens dicaturne univoce an analogice de substantia & accidente: quodnam phantasma eo pertingit? quodnam est phantasiæ

phantasiæ hic ministerium? cum phantasiæ singularium, hæc sint universalia; Denique, cum animus noster intelligit seipsum, qua phantasmatum ope eget? quippe intelligens species immateriales in se existentes, intelliget sui ipsius naturam immaterialem; adeoque, cum sibi intime præsens sit, nullis eget ad sui intellectuonem phantasmatis. Atque hæc sola sui cognitio, nuda, clara & intuitiva, absque ullo phantasmatum adjumento facta, est sufficiens argumentum,

ad probandum, quod animæ rationali conveniat operatio propria & independens omni modo à corpore: unde & infero, spiritualem ei convenire essentiam, & consequenter esse immortalem, nam modus operandi sequitur modum essendi. Atque hoc argumentum præ omnibus aliis maxime urget in sua demonstratione de animæ immortalitate doctissimus Sirmundus, qui hoc egregie extendit, & ab exceptionibus Adversariorum solide vindicavit.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

## Q U A D R A G E S I M A - Q U A R T A ,

D E

## I N G E N I O .

## T H E S I S I .

**S**I quid pulchrum, si quid amabile, si quid magnificum, in rerum natura suscipiunt mortales, præclarum est & excellens *Ingenium*: quod tamen, quid sit, etiam ingeniostimi, qui eo sunt prædicti, vix explicare, sunt vel aggressi vel ausi. *Alexander Aphroditenensis*, Peripateticorum Princeps, per ingenium intellexit *Deum*, quem intellectum vocavit agen-tem, & immediate in nostro corpore operari voluit. A quo non abludit *Ovidius*, cum canit: *Eft Deus in nobis, agitante calescimus illo.* *Averroës Intelligentiam* five *Angelum* singulis hominibus afflisse ad intellectuonem promendam, ut nautam ad navim gubernandam, sensit. *Plato* existimavit, animam à Deo rerum omnium cognitione imbutam corpori alligari, quæ postmodum ejus deturpata commercio, obliscatur omnium, ac per ætatis gradus denuo reminiscatur. *Astrologi* vim infinitam cælestium corporum homini tribuere robur ad cogitandum statuerunt. Ex quibus omnibus palam fit, *Ingenium* supra naturæ fastigium ab illis *Philosophiæ* fuisse habitum & tanquam divinitatis particeps: Quare dignissimam judicavimus *Ingenii* contemplationem & in ejus naturam inquisitionem, licet illa in

obscuro sit posita & multis difficultatibus perplexa: sed difficultia, quæ pulchra: & difficultatem hic compensat utilitas: quid enim est utilius, quam naturam ejus, quo omnia cognoscimus, bene cognitam habere? Sed ad rem ipsam.

**I**I. *Ingenium* dicitur, quasi, *ingenitum*, Græce τὸ ἐμφύτευτον, quod venit à φύσει, nascor: unde τὸ περιφύτευτον, quod aptum natum, vocat *Ciceron* & *natura insitum*, quâle est *Ingenium*, quod est *Ingenitum*, ideoque sic quoque appellatum, transsumta quasi denominatione ex *Genio*, qui à Veteribus *Deus* habebatur, custodiæ hominum adstans, & cum iis genitus, imo & parens illorum ac genitor: unde & *Generales* *Dii* profluxere, qui, quod cura illis rerum gerendarum commissa putaretur, postea & *Geruli* sunt appellati: duplex vero singulis *Genius* apud illos fuit, fuit bonus ac malus, à quorum altero impelli ad virtutes hominem, ab altero ad scelerâ inflecti, existimabant. Ex his igitur translato nomine vocatum est *Ingenium*, vis illa, in hominibus infita, intelligenti, agendi, seipsum & alios regendi, virtutes vel vitia perpetrandi, quibus in rebus sœpe alter alteri multum præstat. *Hæc de voce.*

III. Quid sit *Ingenium* & in quo sit situm, tam est obscurum, quam clarum est, illud esse: & quia pauci admodum *Philosophi* ingenium, in ingenuo explicando, exercuere, tanto id explicatu est difficilius. *Arist. Ethic. Nicom. l. 3. c. 5.* ait illud esse vim eligendi ac discernendi recte, quod vere bonum est: alibi videtur vocare soleritiam, *l. 1. Post Anal. c. ult.* inquiens, eam esse virtutem inveniendi medium in tempore non perspecto. *Cicer. lib. 5. de Finibus*, docilitatem & memoriam uno *ingenii* nomine ait contineri. *Iulius Scaliger de Subtil. Exerc. 1.* ingenium statuit esse vim intellectus, qua difficultaria cogniti facile comprehenduntur. *Posservimus in Bibliotheca sua selecta lib. de Cultura Ingeniorum, c. 10.* defterbit illud, esse *Indolem*, qua facile aut difficulter res aut artes addiscuntur. In eo itaque videntur omnes convenire, ut *Ingenii* constat, in cognoscendi celeritate, promptitudine, & facilitate. Verum quot & que ad hanc facilitatem occurant, equidem difficultatum est explicatu: non enim satis constat, an haec facilitas soli attribui debeat intellectui, an vero alteri etiam cognoscendi facultati, ut phantasie? an dependeat ejus vigor ab organo, an a solo intellectu? &c. Ideoque explicandum videtur primo, quomodo fiat intellectio? ac tum secundo, quomodo fiat facilis intellectio, in qua *Ingenium* collocatur?

IV. Ut modus *intellecioneis* teneatur, *sensio-*  
*nis* modum prius explicatum dabimus: nam uti recte docet *Arist. l. 3. de Anima. text. 30.* Sicut sensus se habet ad sensile, ita intellectus ad intelligibile. Atqui sensus se habet ad sensile, ut potentia passiva; patitur ab objecto: visio v. c. non fit nisi color agat in visum, qui propterera dicitur à colore alterari, alteratione perfectiva non corruptiva, dum speciem coloris ad se transmissam recipit: eodem modo fit intellectio; nam & intellectus patitur ab objecto, & alteratur, alteratione perfectiva, dum speciem objecti in se recipit quoque: dif-  
fert tamen à sensu, quod sensus determinatum quoddam entis genus sentiat, vulgo sensibile vocant ac singulare & materiale, at intellectus & sensibilia & insensibilia percipit, & universalia & immaterialia: deinde sensus in sentiendo dependet à corpore tanquam ab or-

gano, & absque ejus adminiculo nunquam sentit; ita visus organo eget in videndo, oculi puta temperie: at intellectus in intelligendo, nec à corpore nec ab organo ullo ejusve temperie dependet: si enim intellectus in & cum organo intelligat, erit qualis, id est, cum aliqua corporis qualitate seu temperatura commixtus, que effet ei ratio & conditio recipiendi species intelligibiles, sicut temperies aquae oculi est ratio recipiendi species colorum in visu, qui in & cum oculo operatur: at vero sic intellectus esset commixtus corpori; nec omnia intelligeret: & *Aristot. merito 1. de Anim. text. 92.* ait, ne fingere nos quidem posse, quam partem corporis occupet intellectus.

V. Ut porro *intellecioneis* facilitatem explicemus, iterum ad *sensionem* recurremus: hæc recta est & facile perficitur, cum & objectum in debita se habet ad sensum distantia, & medium est bene dispositum, & organo est bene temperatum: eodem modo si & intellectus medio uteretur & organo, intellecioneis facilitas ex utriusque habilitate desum debet; nunc cum careat utroque, sola remanet intelligendi facultas & objectum, ex quibus intelligendi facilitatem possimus arguere: quando sc. ea maxime sibi invicem sunt proportionata, facillima etiam emergit intelligendi actio seu cognitio: ex parte quidem objecti, ingens ad intellectuonem accedit facilitas si illud ita fuerit affectum ac dispositum, ut ex ejus obtutu statim poslit intellectus cognoscere ejus essentiam: in illa tamen objecti aptitudine, ut quam facillime cognoscatur, non est proprium situm *Ingenium*, sed in aliqua insuper eminentiori etiam intellectus virtute, quod ex th. 3. ubi *Ingenium* collocatum fuit in intelligendi facilitate, sic probari potest.

VI. Si *ingenium* sit vis facile comprehen-  
dendi ac discurrendi, oportet eam vim ab anima ipsa pramanare, quia vis seu virtus & potentia idem sunt: at potentia animæ ab ipsa anima pramanat: si igitur *ingenium* sit talis animæ intellectivæ potentia, etiam ab illa emanabit, ut effectus à causa: ergo optimum *ingenium* à perfectissima anima intellectiva. Ergo *ingenii*, ac præstantis, causa non est sola objecti intelligibilis aptitudo, sed ipsius animæ

animæ atque intellectus eminentia & præstantia. Si dicas: ergo inter animas rationales ejusdem speciei una erit perfectior altera essentialiter, habebitque in uno individuo perfectiorem intellectum quam in altero, quia ingenium non est in omnibus idem, sed in uno præstantius in altero minus. Resp. Nihil hic est absurdum; & hæc sententia est præstantissimorum inter Scholasticos, Magistri Sent. in 2. l. distin. 17. & Thomæ Aquinatis, 1. part. quæst. 85. art: 7. Sum. Theol. quos sequitur ex recentioribus Ruytius l. 2. de Anim. c. 3. quæst. 3. & nos cum ipso.

VII. Ex iis, quæ sunt dicta, patet, Ingenium in hominibus nasci, non acquiri: est enim ingenitum; & excellentia intellectus ab ipso Deo, authore naturæ, ipsi animæ à prima creatione indita & concreata: ideoque differt ab intellectu in habitu, ut vocant, qui conficit in habitate quadam frequentatis intelligendi actibus comparata, quam intellectus antea non habebat: intellectus enim frequenter intelligendo contrahit sibi habitum atque aptitudinem intelligendi, qua deinceps multo citius ac promptius circa rerum notitiam ac contemplationem versatur: sed hæc acquisita intelligendi celeritas differt ab indata, in qua ingenium conficit.

VIII. Sed hic queritur, *An ingenium sit solius intellectus, an non etiam sit phantasie?* Resp. Quamvis intellectus ejusque connata in intelligendo celeritas, quæ ingenium dicitur, in quibusdam intellectuonibus, rerum putata universalium, & immaterialium, Dei, Angelorum, ac sui, nullo modo à corpore dependeat, nec tanquam à subiecto nec tanquam ab objecto, ut superiore *disp. de Anima immortalitate* est demonstratum; quia tamen in cognitiones singularium ac materialium speculatur phantasma, & sic aliquo modo dependet à phantasie & à cerebri ac spirituum animalium imo & sensuum exteriorum recta dispositione, dici potest, hactenus *Ingenium* etiam pertinere ad Phantasiam, quatenus in iis rebus intelligendis, quorum phantasmatis prius eget, multum celeritatis atque agilitatis conferit recta organorum dispositio: nisi illa celeritas intellectui allata & illata ex bonitate phantasmatum, phantasie, & sensuum exte-

riorum, magis facere ad intellectum in habitu quam ad ingenium dicatur.

IX. Utut sit, sedulo cavendum est à sententia Galeni, ne ita *Ingenium Phantasie* alligetur, ut à temperamento fluere & constitui dicatur: sic enim & intellectus & anima ipsa rationalis à temperie pendebit: quod quomodo non constat cum ejus immortalitate, *disp. præced.* est probatum. Galeni sententiam tenet Iohannes Huartes Hispanus, Vir subtilis, in Scrutinio ingeniorum, qui omnem ingeniorum naturam ex organi temperie vult pendere, cap. 2. imo proprio intellectum organo potiri posse ad operandum, salva tamen ejus immortalitate, demonstrare conatur, cap. 10. sed vero intellectum nulli organo adstringi posse, salva immortalitate, satis evictum est *disp. superiori*. Hoc impræsentiarum addimus: quod omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti: non debet intellectus esse immersus & immixtus materiæ, nec alligatus organo corporeo: quia sic corporea & materialia non intelligeret. Excipit Huartes, negando consequentiam: quia idem sequeretur de parte animæ sensitiva, quod organica cum sit & annexa qualitatibus materialibus non possit objecta percipere materialia: at, inquit, falsum est id in tactu, cuius licet organum conflatum sit ex quatuor qualitatibus, calore, frigore, humiditate, secuitate, optime tamen singulas percipere valet: idem ostendit in oculo, qui licet coloratis sit præeditus particulis, colores tamen omnes indistincte cognoscit: ergo pariter intellectus, licet sit alligatus organo, nec denudatus à materia, per hoc tamen non recte infertur, quia materialia possit intelligere. Resp. ad excepe. 1. de tactu: quod in qualitatibus primis duo fint consideranda, ipsarum puta mediocritas & exuperantia: tactus organum consistit tantum in quadam ipsarum mediocritate, quam propterea nequit sentire, quia sic recipiens permixtum est cum natura recepti: earum igitur exuperantiae duntaxat à tactu percipiuntur, ut quibus organon ejus est denudatum, quippe quod sola illarum mediocritate perficiuntur; quæ est ipsa *Arist. solutio, 2. de An. sex. 118.* Ex tactus igitur actione manet in suo robore assumentum illud ex *Aristotele*: *Omne recipiens, debet*

debet esse nudatum à natura recepti. Sed nec infringitur exceptione 2. qua dicitur, oculum, qui coloratus est, nihilominus recipere & percipere colores. Resp. Oculum à prædominio esse aqueum & diaphanum, & ejus coloratio ab aquo & diaphano tamen est debilis ac tenuis, ut negare quis possit, esse colorationem, & oculum coloratum; quemadmodum multa dicuntur insipida, quorum sapor fere imperceptibilis est, non quod omni plane destituantur sapore: sic ipse Arist. l. 2. de Anim. t. 71. inquit, illud vocari in visibile, quod videri vix potest. Oculi itaque partes sunt tam debiliter coloratae, ut exterorum colorum perceptio & receptio, ab ipsarum colore removeri nequeat, aut impediatur.

X. Sed videamus, quomodo Huartes probet c. 10. intellectum gaudere posse organo, ut corruptioni tamen & mortalitati non sit obnoxius. Summa quidem probationis vis in hoc argumento conficitur. Sicut Dæmones quibusdam se subiiciunt qualitatibus materialibus, per quas in corporibus degunt & agunt, nec tamen ipsarum temperamento destruto corrumperit substantia Dæmonum; ita etiam anima rationalis, licet adstricta temperamento & organo, quia, instar Dæmonis, spiritualis est & incorporea, minime, aboli hujusmodi organo, corrumpetur. Resp. Hoc de Dæmonibus assumptum simile, dupli de nomine indignum est hominis Philosophi acumine. I. Quis ignorat, Dæmonem, cum propter infanda hominum

fclera, & arcana, sed justa Dei judicia, permittitur ipsorum corpora obsidere, præviis nullas requirere dispositiones, quia est forma assistens & supernaturalis, diverso modo se habens ab anima rationali, que est forma informans & naturalis: quare à forma assistente, ad informantem, nulla est sequela. 2. Dato, quod Dæmon, qui est forma assistens, obfusurus hominem, tales apparatum materiae requirat, qualem exigit anima, quæ est informans, cuique tamen vel leviter eruditio patet, quod aliud sit, existentiam formæ, aliud, operationem considerare: pro illa requiritur in materia apparatus necessarius, pro hac organum: Dæmon & anima, etiam si indigent illo, non tamen hoc; quia ille refertur ad totum corpus in quo existunt, hoc unam tantum notat corporis partem qua operentur: sed hoc organo, hac parte corporis, ad operandum non eget Dæmon, quia ne anima quidem, quod ex Disp. priore notum est, quia sic nulla ratione, vel Dæmonis, vel animæ mortalitas vitaretur. Citavimus disp. præced. dictum Aristotelis l. 1. de An. t. 13. Si contingit animam operari sine corpore, est separabilis: si non contingit, est inseparabilis: & ratio est: quia dum anima utitur corpore seu organo, destruto organo cessat ipsius animæ operatio: ergo vel ipsa etiam destruitur, vel manet otiofa: neutrum rerum natura admittit. Ergo. Sed hæc ad argumentum Huartis sufficerint.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

### QUADRAGESIMA-QUINTA,

DE

### C O G N I T I O N E.

#### T H E S I S I.

**A**ctum fuit disp. præced. de Ingenio, quod constitutum fuit in facilitate cognoscendi, nunc de ipsius cognitionis ratione, modo, ordine, certitudine, incertitudine, evidentiâ & perfectione, quedam proponere fuit

visum, methodo arbitraria & tumultuaria: nulli enim ordini in hoc selectarum disputationum curriculo nos adstrinximus: ideoque nunc per Jérôm & Cœlîus procedemus, cum alias per quæstiones fere incedamus.

**II.** §. 1. *Omnis cognitione fit per similitudinem.*  
**¶ 2.** Id est: nulla potentia cognoscens aliquod objectum cognoscit, quin aliquam similitudinem de illo in seipsa formet: est enim cognitione nihil aliud, quam representamen rei cognita in potentia cognoscente, seu assimilatio potentiae cognoscens & objecti cogniti: quae tamen assimilatio non est naturae (nam intellectus immaterialis cognoscit res materiales, quoad naturam sibi dissimiles) sed intentionis secundum speciem: *Scholastici* suis terminis ajunt intelligi, similitudinem objectivam & intentionalem, non entitativam aut physicam. Nonnulli distinguunt inter cognitionem positivam & negativam: illam volunt solam fieri per assimilationem, hanc per dissimilationem: Alii similitudinem faciunt, unam essentiale formae ad formam, quo pacto homo unus convenit cum alio qui habet formam similem, & talis similitudo facit univocationem: aliam imitationis vel representationis, quae non causat univocationem, & talis sufficit ad cognitionem: quemadmodum inter imaginem pietam & hominem est similitudo imitationis aut representationis, nec tamen sunt univoca: & ita Deus creaturam, intellectus humanus materialia cognoscit: licet isti cum hisce non convenientia uno voce. Denique & illud hic noto; cognitionem non tam fieri per similitudinem, quam esse ipsam actuellem similitudinem rei, quae cognoscitur: quo sensu optime 3. de Anim. tex. 37. dixit Aristoteles; intellectum intelligendo fieri omnia.

**III.** *Intelligere est quoddam pati.* **¶ 3.** Hæc thesis desumpta est ex Aristotele, I. 3. de *Animā*. text. 12. & 1. illud pati debet capi non proprie sed aequivoce: non enim intelligere est motus physicus (qui est actus imperfetti) sed intentionalis: patitur ergo intellectus, dum species recipit: unde 2. patet, thesin non esse intelligendam de qualibet intellectu, sed de eo, qui est in potentia ad intellectu, & speciem recipit, quæ objecti est similitudo: ninc, Dei intelligere, non est pati, cum intellectus diuinus non sit in potentia ad intellectu, & non intelligat per speciem. Licit vero intellectus non solum patiatur sed etiam agat, ipsum tamen intelligere, magis sonat

causalitatem passivam quam activam, & magis vel materialem vel formalem quam effectivam. Nam intellectus denominatur intelligentis, non quatenus elicit, sed quatenus recipit intellectu, sicut paries non dicitur albere, nec aqua calere, qua efficiunt, sed qua recipiunt, seu quatenus habent alborem & calorem: & ob eam causam *Philosophus* non intelligere magis per pati quam per agere descripsit. Videantur interpretes ad textum Arist.

**I V.** *Contingit multa scire, non tamen cogitare.* **¶ 4.** Dictum est Aristotele. I. 2. Topic. c. 10. l. 32. quod varias subiit explicationes. Hurtadus de Mendoza disputat. 5. de *Animā*. set. 7. §. 55. sic exponit: ut *scire* ipsi habitum significet & *cogitare* actum: itaque comparat Aristoteles actus habitibus: non tamen negat plures actus simul, neque unum actum de pluribus objectis, sed ait in nobis existere plures habitus simul & de pluribus objectis, quam actus. Sic ille Ruvius dicit testimonium Aristotelis esse intelligendum de pluribus ut plura sunt, hoc est, ut diversa & nullo modo convenientia. Ex utroque juncto hæc interpretatione posset conflare: ut *scire* referatur ad habitualem cognitionem, *cogitare* ad actuellem, &, illud sit plurimum, quia intellectus habitualiter cognoscit plura: hoc non sit plurimum ut plura sunt, quia, si quando contingit plura simul cogitari, cognoscuntur ut in aliquam unitatem coēunt, vel ratione habitudinis, vel ratione ordinis, vel ratione convenientie, vel alio aliquo modo, qui unitatem secum conferat: ut vero cognoscuntur, ut plura, deberent uno actu attingi prout plura. Alii simpliciter dicunt, non contingit plura simul cogitare diversis actibus, verum est, quia simul esse non possunt plures actus: at uno actu plura cogitari possunt objecta. Sed simplicissima videtur expositio, si dicamus Aristotelem. hoc tantum velle probatum, quod *scire* & *cogitare* non sit idem, quia contingit multa scire, nec tamen multa cogitare: nam potest quis scire omnes conclusiones *Euclei*, nec tamen omnes cogitare simul: non tamen negat Aristoteles, quin aliquando plura cogitare possimus, præsertim si in unum coēant. Atque sic inter *scire* & *cogitare* idem

erit discriumen, quod inter *imaginari* & *simpliciter intelligere*, est nonnullis. Simpliciter intelligo & scio, chiliogonum mille lateribus constare, sed non possum mihi imaginari & ut præsentia cogitare illa mille latera; sicut possum triangulum & scire & intelligere quod tribus constet lineis, & imaginari omnes tres lineas & ut præsentes cogitare. Aut *scire* idem fuerit *Aristoteli*, quod *Scholasticis* est *apprehendere*, & *cogitare*, quod *comprehendere* est illis: contingit enim plura apprehendere, sed non eadem semper comprehendere.

V. *Qui rem intelligit aliter, quam est, eam non intelligit:* & *Qui rem intelligit aliter, quam est, intelligit falsum.* *cub.* Utraque thesis falso sensu vera est: prior, si n*on* intelligit sumatur de apprehensione simplici: posterior, si de complexa: nempe, qui rem aliter intelligit, quam est, eam non intelligit, quia, dum aliter intelligit, aliter repræsentatur; dum aliter ea repræsentatur, non ipsa intelligitur, sed aliquid aliud intelligitur: nam id intelligitur, quod intellectus repræsentatur: porro, qui rem intelligit aliter, quam est, falsum intelligit, quando rei intellectæ attribuit quod in ea non reperitur. Hoc est, quod vulgo dici solet: *prima mentis operationi nunquam subesse falsum, sed quidem secundæ.*

VI. *Cognitio intellectiva certior est quam sensitiva.* *inx.* 1. Non tam respectu potentiarum (quia ita certo adhæret sensus suo objecto sensibili proprio, quam intellectus intelligibili) quam quidem ex parte objectorum: objectum enim sensus est multipliciter variabile, at vero objectum intellectus est magis invariabile, quia universalia intelligit & spiritualia, sensus cognoscit tantum singulare & materialia: quin & respectu subtantiae singulare, sensibilis, ac materialis, cognitio intellectus est certior quam cognitio sensus, quia hic solum extrinseca & accidentia attingit, ille vero intrinseca & intimam rei essentiam penetrat. 2. Si ipsa etiam potentia, qua tales, spectentur, non in ordine ad objecta, adhuc intellectiva est simpliciter certior sensitiva: quia haec in cognoscendo multis de causis impeditri potest à certitudine, ne eam obtineat, nempe, vel à medii distantia, vel ab ejus pro-

pinquitate nimia, vel ab organi indispositione, &c. intellectus vero, licet decipi possit, non tamen tot de causis, nec tot deceptionibus subjet: ne nunc dicam, nos per intellectum scire, id est, cognoscere ~~πράξεις~~, cognitione certa, infallibili, evidente, non item per sensum; de quo vide egregium c. 31. l. 1. *Poët. Anal. Arist.* Atque hinc sequitur, certiorem esse in nobis notitiam necessariorum quam contingentium: cum enim certiora sint necessaria quam contingentia, cognitione, quæ est necessariorum, erit etiam certior, quam quæ est contingentium; quia cognitione proportionatur objecto; & certitudo *Mentis* seu *subjectiva* dependet à certitudine *ensis* seu *objectiva*.

VII. *Certius cognoscitur, de quo non potest dubitari, quam illud de quo potest dubitari.* *inx.* Certitudo & dubietas privative opponuntur & se mutuo excludunt: sicut ergo, quando omnis dubietas excluditur, cognitione est maxime certa: ita, quo magis excluditur, magis est certa, quo minus, minus: sicut enim unum oppositorum magis tale sit, quo minus de opposito suo participat, ita & certitudo cognitionis est major, quo minus permiscetur dubietati, & illa maxima, quæ omnis dubitatis est expers. *Scholastici* hoc sic extulerunt. Certior est cognitione, quæ minus formidinis habet: quia formido repugnat cum certitudine: at dubitatio conjuncta est, cum formidine partis oppositæ: qui enim dubium assensum præbet conclusioni, formidat, ne pars opposita sit vera.

VIII. *Dubitare est ignorantis.* *inx.* Ideo enim dubitamus, quia nescimus rei certitudinem, & ignoramus, an ei subdit falsitas: hinc, quia in Deum non cadit ignorantia, nec dubitatio: & ubi non est ignorantia, nec dubitatio est potest: nihil minus dubitatio participat ignorantiam, non absolutam & secundum omnem gradum, sed secundum aliquem minimum assensus aut firmitatis in assensu gradum: nam dubitatio supponit aliquam cognitionem de illa re, de qua dubitatur; non enim dubitamus de eo, quod plane nescimus; hinc significanter dicimus, dubitationem participare ignorantiam aliquam, quia non omnem cognitionem excludit: hinc illud tritum,

tritum. *De quo nihil scitur nihil dubitatur.* Vid. Arist. l. 3. Met. text. & interpretes.

X. *Ad id, quod est supra naturam, intellectus humanus non habet aliquod medium ad illud evidenter cognoscendum.* i.e. Quia illa evidenter cognoscuntur, quorum causa videtur: at, que supernatura lunt, causam in natura non habent, qua cognosci possent: sic enim non essent supernatura l. Unde nulla mysteria fidei evidenter cognoscuntur, attamen certo, firmiter, & infallibiliter; quia omnis erroris & dubitationis expers est revelatio divina, per quam cognoscuntur, cui falsum subesse nequit: præterea, si evidenter mysteria fidei cognosci possent ab intellectu humano, etiam ab infidelibus cognoscerentur, nec fides esset necessaria, atque adeo non esset ~~conveniens~~ ~~in~~ ~~in~~ βλεπομένων sed ~~in~~ ~~in~~ βλεπομένων, contra naturam & descriptionem fidei ab ipso Deo in sacrifici litteris reliquam.

X. *Tunc cognoscitur res perfecte, cum, sicut est, attingitur.* i.e. Perfecta cognitionis consistit in perfecta communione ipsius cum objecto; idcirco cognitionis debet in se habere repräsentative etiam modum essendi ipsius objecti: nam rem cognosci, sicut est, nihil est aliud, quam repräsentari, sicuti est; tunc autem repräsentatur sicuti est, quando intellectus repräsentative continet esse objecti; unde tunc cognoscitur perfecte, quando, sicuti est, cognoscitur: quod ut plenus intelligatur, non requiritur, ut intellectus aut scientia habeat modum existendi, quem habet res; nam qui cognoscit lapidem, non habet modum existendi, quem lapis: itaque illud sicut similitudinem significat, non proprietatem: uno verbo: oportet, ut res ita se habeat, quoad esse reale, sicuti se habet cognitionis in esse repräsentativo.

XI. *Nihil cognoscitur nisi secundum modum, quo est in cognoscente.* i.e. Quia ea, quæ cognoscuntur, non secundum sui naturam cognoscuntur, sed secundum cognoscientium facultatem: cognitionis itaque non dicetur finita aut infinita à re cognita finita aut infinita: sic licet Deus ab intellectu creato cognoscatur, non ideo tamen objecto infinito cognitionis correspondens infinita est, quia cogno-

scientis facultas & vis finita est: &, quodcumque recipitur, ad modum recipientis recipitur: cognitionis est receptio rei cognoscendæ secundum esse intentionale in cognoscente. Ergo, &c.

XII. *Cognitionis, an est, presupponitur ad, quid est.* i.e. Vulgatum est Axioma ex Arist. l. 1. Post. Anal. possumus: & ratio est, quia quæstio, an est, est fundamentum omnium, quæ de re aliqua cognosci possunt: presupponitur cognitionis, an est, vel in se vel in sua causa: nec enim scire, quid est, semper presupponit rem esse in propria existentia, cum de rebus etiam non existentibus sciri possit, quid sunt; sed tunc presupponitur cognitionis existentiæ, si non praesentis saltem vel præhabitæ, vel futuræ, si non actualis, saltem possibilis. Nunquam tamen Axioma illud extendendum est ad quid nominis: in eis enim, quorum natura occulta est, prætquam sciat, an sint, oportet scire, quid sit, quod significetur per nomen: hoc autem provenit, quia conceptus significantur per nomina; cumque res in medium proferre nequeamus, earum loco verba substituimus; idcirco mediis nominibus in rerum cognitionem deducimur: unde & oportet nominum ac verborum scire notiones, antequam, an & quid sint res, cognoscatur.

XIII. *Prius cognoscuntur magis universalia quam minus universalia, prius communia quam particularia.* i.e. Utrumque verum est, sed diverso genere cognitionis & vario respectu. 1. Si singulare comparetur ad universale, prius ipso cognoscitur, quia intellectus assuevit fere sequi cognitionem sensuum, qui versantur circa singulare; ideoque & intellectus prius ordine intelligit singulare quam universale: quod confirmatur; quia universale fit ex præsupposita cognitione singularium, à quibus universalia abstrahuntur; ergo prius debent cognosci singularia quam universalia. 2. Si rationes universales individuatæ seu particulariatae comparentur inter se in ordine ad cognitionem distinctam, prius percipiuntur minus universales: ratio est, quia primo ab intellectu percipitur, quod primo ex via cognitionis sensitivæ repräsentatur: sed primo repräsentatur gradus insimilæ speciei, ergo

& prius cognoscitur: hinc, cum videmus Perrum, prius cognoscimus esse hominem quam esse substantiam. 3. Si rationes universales individuatae & particularisatae comparentur in ordine ad cognitionem confusaam, prius cognoscuntur magis universales, quia, quo magis est cognitionis confusa, eo mi-

nus distincta representat objectum, ergo representabit secundum rationes magis universales, quia cognitionis distincta tendit prius in rationes minus universales: ergo quoad cognitionem confusaam prius cognoscuntur magis universalia, quam minus, & communia quam particularia.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

### QUADRAGESIMA - SEXTA,

DE

## CAVSA LIBERA.

### THEISIS I.

**D**isputatur de *Causâ Libera*, primum vocis ambiguitates enarrabimus, mox rem ipsam explicabimus. *Liberum* dicitur, 1. quod non est subditum subjectivitate alteri, libereque agere potest quod libet: quæ vulgo *libertas* vocatur à servitute. 2. *Liberum* est, quod à nemine pendet, vel, quod liberum est à cura & inspectione ac gubernatione alterius; quæ vulgo *libertas independentia* vocatur: his duobus modis solus Deus absolute est liber: unde ens liberum, plane *autreßtor* est ac dicitur, utpote supra quem nihil est, qui supremus omnium est Dominus, à quo creaturae pendent, cuius maiestati atque imperio & gubernationi omnia penitus subjecta sunt. *Huic libero seu libertati geminae opponitur servum, subditum, servitus*. 3. *Liberum* dicitur, id, quod licite fieri potest, quod libere admitti potest vel omitti, *nißor*, quo libere uti vel frui possumus, quod non est interdictum, à quo non arcemur aut impedimur, quod in arbitrio nostro constitutum, permisum, concessum, licitum est: *huic tertio generi libertatis, opponitur interdicendum, prohibitum, illicitum*: hæc etiam libertas, qua quis legibus est solitus, non cadit in creaturam. 4. Accipitur *Liberum* pro immuni & vacuo, ut cum quis dicitur liber pavore, metu, &c. *huc referenda est, libertas à culpa & miseria, quæ vulgo dicitur libertas gratiae & gloria*, quarum

illa est, qua quis vacat culpa, criminibus, & peccatis, hæc, qua quis immunis est à penitentia: sed nec hæc est libertas, quæ causam hic denominat liberam. 5. *Liberum* dicitur, quod est indifferens subjectivum, seu quod ad nullum oppositorum est determinatum aut definitum; sed quod se eque habet ad utrumque & utrumque recipere valet: *hujusmodi libertate praedita dicitur materia prima, & vocatur vulgo libertas atque indifferenta passiva*, quæ hic causam liberam non facit: *causa enim libera est causa efficiens, non subjectum patiens*. 6. *Liberum* dicitur, quod est *avaykaotv*, incoactum, non-violentum, spontaneum, quod non cogitur, sicut se habet omne, quod per & secundum naturalem inclinationem & principium intrinsecum agit vel patitur: *vocatur vulgo libertas à necessitate*, verum improprie, quatenus necessitas sumitur pro coactione: sed enim hæc improprie est necessitas: tale genus libertatis convenit non tantum hominibus, sed & brutis, imo & rebus inanimatis, ut quidem vulgo loquimur, adeoque necessitatem omnem non excludit, nedum naturalem, sed coactionem tantum a violentiam, cui opponitur. 7. Sumitur *libertas*, prout opponitur necessitas naturali, & liberum sic dicitur, quod non est definitum ad agendum, sed quod per se est indifferens, ut possit & differre & varia re actionem, id est, ut possit agere & non agere.

agere, & aliter atque aliter agere, quia agit ex deliberatione & certo confilio: quæ libertas est hujus loci, & causam denominat ac constituit liberam: & hæc est libertas, quæ vulgo dicitur *libertas à necessitate physica & à bruta determinatione*. Hæc de voce.

II. Rem quod spectat, *Libertas à necessitate physica* has duas requirit in causa libera conditiones. 1. Ut causa libera sit indifferens ad varias actiones & effecta, non determinata ad hoc vel illud. 2. Ut, quicquid & quomodo cunque agat, semper agat præente mentis judicio & consentiente voluntate: itaque *causa libera* bene definitur, quæ *consulto causat*, seu, quæ potest agere, quando, quantum, & quomodo libet. Quæ definitio ut intelligatur, paulo plenius de *Libertate* est philosophandum.

III. *Libertas, à libido dicta, est facultas agendi quod libet.* Facultas, non Ethica, qua legibus aliquid alicui indulsum est, quomodo quis habet facultatem navigandi mare (hoc enim nulli est vetitum) sed *Physica*, qua quis aliquid potest, vel animi, vel corporis administricu, vel ope illorum bonorum, quæ fortuna vulgo, licet male, vocantur: sic homo robustior facultatem habet occidendi hominem minus robustum, non *Ethicam*, neque enim hoc legibus est permisum, sed *Physicam*, quatenus corporis robore alteri prævaleret. Hæc autem *Physica facultas* est, qua libertatem constituit, & qua *causa libera potest agere, quantum, & quomodo libet*: estque in homine adeoque omni creatura rationali tenuis admodum & valde imperfecta: in solo Deo amplissima & perfecta, ideoque summa libertas in Deo est summum ejus omnipotentiae argumentum. Homo quicquid facit libere facit, quia pro libitu facit, sed, quia non potest omnia, imperfectam habet libertatem: agit tamen, ex iis quæ agere potest, quod libet, quando & quantum & quomodo libet. Deus quoque, quicquid agit, libere agit, sed quia potest omnia agere, perfectam habet libertatem: homo tamen, et si minus sit liber Deo, vere tamen est liber, quia vere dominium habet in suas actiones & vere ad agendum sese determinat; quod quomodo fiat, explicandum est perro.

IV. Duobus modis homo sese determinat, ad agendum vel non agendum, & ad agendum hoc vel illud: quod enim est determinatum, est indifferens ad plura, quæ inter sese opponuntur, vel contrarie, vel contradictorie: & ad utrumque sese determinat causa libera, sicut ut ad utrumque oppositionis genus est indifferens: indifferens circa non agere & non agere solet vulgo vocari *libertas contradictionis seu exercitii*, quia agere & non agere opponuntur contradictorie, sc. ut exercere actum & non exercere: indifferens circa non agere hoc vel illud, solet dici *libertas contrarietas seu specificationis*, quia contraria sunt, agere hoc & agere aliud oppositum, ac specie differunt: ita est in homine potestas amandi objectum propositum vel non amandi, quæ est libertas contradictionis, quia potest homo amare vel non amare, id est, cohibere actum amoris, potest exercere actum amoris & non exercere: sed præter potestatem amandi & non amandi objectum propositum, etiam homo potest odire objectum: est ergo in ipso etiam potestas objectum vel amore prosequendi vel odio persequendi, quæ est libertas contrarietas, quia potest homo actus contrarios amoris & odii elicere, non quidem *in sensu composito*; quasi simul poslit & amare & odire objectum, quæ Scholasticis vulgo dicitur *potentia simultatis*, sed *in sensu diviso*, quia homo, qui nunc amat objectum, etiam tum, cum amat, potentiam habet idem objectum odio persequendi, cum lubebit, cum mens dictabit, quæ Scholasticis vulgo dicitur *similitas potentiae*: & ista *similitas potentiae*, id est, potestas agendi vel non agendi, agendi hoc vel contrarium, *in sensu divisorio*, cum mens præscribet, est vera ac mera libertas, quæ non est in brutis aut ullis rebus, quæ agunt ex necessitate naturæ, sed in solo homine creaturisque rationalibus, quæ sola, istam similitatem potentiae, & indifferentiem utramque cum rationis præscriptione, possident.

V. Scholastici solent hanc indifferientiam & libertatem, tum contradictionis, tum contrarietas, speciatim explicare *in actibus voluntatis*, qui sunt vel contrarii, ut velle & nolle, vel contradictorii, ut velle & non-velle,

*nolle & non-nolle*: differunt vero multum *nolle & nolle*: non velle enim nudam tantum dicit negationem volitionis, nolle præter negationem volitionis dicit insuper actum positivum contrarium volitioni: in quantum itaque voluntas potest velle & non velle, habet libertatem exercitū, in quantum potest velle & nolle, habet libertatem specificationis: Sed non est putandum, istam libertatem utriusque generis tantum reperiri in voluntate, quin reperitur quoque in intellectu, adeoque & facultatibus inferioribus: intellectus non tantum potest intelligere vel non intelligere, judicare vel non judicare, sed vero & intelligere hoc vel illud, judicare hoc vel illud: sic & locomotiva, inferioris animæ facultas, potest ambulare, vel non ambulare, & potest ambulare versus orientem vel versus occidentem, aut ambulare vel actum contrarium elicere: hoc facit actionum causæ liberæ usitata Ethicis distinctio in *elicitas & imperatas*: aliud enim est ambulare, actio imperata, aliud judicare aut velle ambulare, actio utraque elicita: actiones elicite, sunt propriæ, intellectus & voluntatis, imperatæ, aliarum facultatum. In utrisque & elicitis & imperatis actionibus est libertas atque indifferentia ad utrumque oppositorum, sive contrarietas, sive contradictionis: atque amplius *libertatis subiectum*, non est sola voluntas, ut vulgo statuunt, non intellectus, sed totus homo, licet interim libertas homini non foret tribuenda, nisi intellectus & voluntas esset prædictus: itaque intellectus & voluntas, sunt libertatis subiectum primariū, quia primo iis inest, reliquæ facultates, secundarium, quia hisce libertas inest beneficio priorum. *Totus ergo homo liber est & Causa Libera*, non vera hæc aut illa facultas, sed vero totum suppositum: quia totus homo dominium habet in suas actiones, totus se determinat, cum ante esset indeterminatus: *Quod adhuc ulterius est exponendum.*

V I. Distinguendum hic est accurate, inter dominium, quod causa libera exercet ab obiecto in quod dominium exercet: item, inter actum determinaudi causæ liberæ & id quod determinatur. Imperium aut dominium, quod causa libera exercet, est actio elicita intellectus

præctici ac voluntatis: obiectum, in quod dominium aut imperium exercetur, est actio imperata. Actio quoque eadem est & intellectus præctici & voluntatis, qua causæ libera ad agendum fæse determinat: actio imperata est id, quod determinatur. Sed hic scrupulus oritur non levis de ipsa actione voluntatis elicita, de ipsa volitione, quid sit statuendum? An in ipsam quoque voluntas exercet imperium, fæseque ad eam determinat? an vero actio voluntatis elicita aliunde determinatur? sic ut ipsa dominium non exerceat in suam actionem, sed vero alia facultas, puta intellectus præcticus? Prius quidem, nempe voluntatem determinare seipsum, ad volendum & non volendum, ad volendum hoc vel illud, & sic ipsam dominium exercere in suas actiones elicitas, statuerunt omnes illi, qui causam liberam definiverunt tantum per indifferientiam & non etiam per lubentiam cum ratione, qui causam liberam definiverunt simpliciter, que positis omnibus ad agendum requisitis indifferens manet ad agendum vel non agendum, ad agendum hoc vel illud, hoc vel illo modo, &c. & sic omittunt præcipuum partem libertatis, in definiendo, quæ est, ut ut agat ex prævia deliberatione rationis, cum lubet. Sic Suarez, Fonseca, Lessius, Molina, & Iesuitæ omnes philosophantur, qui libertatem causæ liberæ collocant in sola ista indifferencia, qua positis omnibus ad agendum requisitis, posito etiam intellectus præctici judicio ultimo, voluntas tamen potest agere vel non agere, & agere hoc vel illud, adeoque potest seipsum determinare: & hinc solam voluntatem formaliter liberam faciunt, actionesque ejus solas formaliter liberas dicunt, facultatum aliarum adeoque ipsius intellectus actiones vocant liberas per denominationem extrinsecam. Verum enimvero hæc sententia tam gravibus urget incommodis, ut facile defendi nequeat; quod alias ostendimus Collig. Ethic. disp. 10. de Motivo voluntatis, & natura causæ liberæ hoc modo male explicatur: quo circa statuimus, voluntatem non determinari à seipso, sed vero à dictamine intellectus præctici, ab ultimo ejus judicio, ad actiones elicitas, & tum denum causa erit vere libera, cum

eum aget quantum libebit, id est, cum volunt, quantum ex rationis præscripto est statutum: at si stante rationis judicio voluntas posse non velle, jam causa libera non aget, quantum libet, quia non aget ex præscripto rationis, lubentia enim (ut sic loquar) respectum dicit ad rationem: Atque in hac lubentia rationis primario ac formaliter libertas est sita: illa enim cum adeat, jam adeat libertas, sive accedit indifferentia, sive minus. Quare cum th. 2. diximus duo esse, quæ libertatem causæ liberae constituant, indifferentiam & lubentiam rationis, hoc sic capi volumus, ut lubentia rationis per prius & magis quam indifferentia libertatem constituant, cum indifferentia in rationis lubentia indeterminata, qua quod lubet intellectus dictaminis agimus, fundata sit, & à causa libera abesse possit, rationis lubentia non item: potest enim intellectus esse determinatus, ut non possit non judicare, imo ut non possit non judicare hoc objectum esse prosequendum, & tamen potest esse causa

libertatis in agenti libero, & facere potest causam liberam, quemadmodum sese habet intellectus Angelorum & Animarum Beatarum: Angeli enim & Beatæ Animæ non possunt non judicare, Deum esse amandum, & ex judicio determinato non possunt non amare Deum, & tamen libere Deum amant, quia plenissima rationis lubentia amant: nam amant, quia lubet: lubet, quia intellectus dicit, licet vi gratiae confirmantis in isto statu glorificationis non possit non dicere. Ergo, ut concludamus libertas non consistit propriè in ista indifferentia, in qua vulgo collocatur, sed præcipua ratio libertatis est sita in spontaneitate seu lubentia cum ratione, secundaria est in indifferentia, quæ tum locum habet, cum judicium intellectus est indifferentes: at hoc non semper est indifferentes, non sene circa finem ultimum, qui tamen libere expetitur. Ergo à libera causa abesse potest indifferentia, non autem lubentia cum ratione.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

QUADRAGESIMA-SEPTIMA,

D-E

## CAVSA LIBERA.

## THEISIS I.

**N**aturam causæ liberæ exposuit Disputatio præcedens, camque absolvit docuit spontaneitate seu lubentia rationis & indifferentia judicii, magis tamen illa quam hac. Sed quandoquidem de libertate hominis potissimum sumus philosophati, videndum restat, an sub hac causa libera etiam comprehendendi valeat Deus? Quod Deus agat ex ratione, nulli est dubium, cum sit ipsa sapientia: & haec tenus agit libere, non quod deliberet aut consultet ad modum hominis, sed vero: sine deliberatione aut discursu, ac simplici potius apprehensione, sapienter, & rationabiliter agit. Verum enimvero, an Deo etiam convenit altera pars libertatis, sc. indifferentia;

Certe hic difficultas est aliqua, ac satis gravis. Cavendum enim est sedulo, ne indifferentia aliqua adscribatur. Hoc igitur hac disputatione explicatum dare conabimur, quæ indifferentia Deo competit, quæ causis liberis creatis, & Angelis & hominibus. Quod ut præstemos, ante omnia oportet, indifferentiam, quæ libertatem causæ liberae facit, distinguere, & distingue de Deo ac causis creatis libens enunciare.

II. Duplex est indifferentia, altera negativa, altera privativa. Indifferentia negativa indifferentia dicitur illud, quod secundum se non est magis determinatum ad hoc objectum quam ad illud, ad operandum quam ad non operandum: & hoc modo Deus aut voluntas

divi-

divina, antequam statuisset creare mundum (ut secundum signa rationis pro nostro concipiendi modo hæc distinguamus; nam de prioritatetemoris hic non loquimur, qui sciimus Dei decreta non minus esse aeterna quam ipsum Deum) in illo priori signo rationis antequam quasi statuisset actu creare mundum, erat Deus secundum se indifferens ad hanc partem vel illam, ad creandum vel non creandum, aut etiam ad creandum alium mundum quam hunc, quia non magis determinata erat divina voluntas secundum se ad unum quam ad aliud, decernendum de mundo creando, & sic creando, quam ad non decernendum. Hec autem indifferentia non importat in Deo aliquam imperfectionem aut privationem aliquius perfectionis: nam Deus non perficitur in seipso per hoc, quod se determinet ad producendum aliquid extra se, sed tota perfectio ponitur in creaturis, quæ per divinam voluntatem ponuntur in eßè. Et hinc Deus libere produxit creaturas, libere dilexit creaturas, quia creatura non habent necessariam connexionem cum bono divino, sic ut bonum divinum salvari possit ac salvetur citra creaturas: & sic recte dicunt Scholastici, *Voluntas divina, quæ ex se necessitatem habet, quatenus naturaliter ac necessario determinata est ad amandum bonum divinum, libere determinavit se ad objectum ad quod habet habitudinem non necessariam.*

**I II.** *Indifferentia privativa* dicitur indifferens illud, quod est aptum perfici ac determinari per aliquem, sive determinetur ac perficiatur a seipso, sive ab alio: & hujusmodi indifferentia presupponit in ipsa potentia aliquam imperfectionem seu potentialitatem: unde & hæc indifferentia soli potentiae creatæ convenire potest. Invenitur vero hæc indifferentia privativa in potentia creata, aut passiva tantum, aut activa simul & passiva. Indifferencia, quæ adjungitur potentia passiva tantum, est sicut indifferentia, quam habet materia prima ad hanc formam substantialem vel illam, aut quam habet subiectum respectu albedinis vel nigredinis, quam recipit: hæc enim indifferentia est solum passiva, eo quod nec materia prima concurrat effectiva ad pro-

ductionem formæ substantialis, nec subiectum concurrat active ad productionem albedinis, sed solum in genere causæ materialis, recipiendo ac patiendo. Indifferentia adjuncta potentia, quæ partim est activa, partim est passiva, sic dicitur, quod potentia sit indifferens, passive seu patiendo in ordine ad unum, active seu agendo in ordine ad aliud: sicut intellectus in ordine ad speciem intelligibilem ab objecto productam habet rationem potentiarum & indifferentiarum passivarum, quia recipit in se speciem illam, & indifferens est ad recipiendam speciem hanc vel aliam: idem intellectus in ordine ad actum intelligendi habet potentiam & indifferentiam activarum, quia potest intellectum exercere vel non, & exercere hanc vel illam: similiter voluntas, quatenus producit actus liberos volendi & non volendi & nolendi, habet potentiam & indifferentiam activarum; quatenus eosdem aeternis immanentes, quos producit, recipit, habet potentiam & indifferentiam passivarum, quia potest recipere & non recipere, & recipere hunc vel illum. Nam hæc applicemus.

**I V.** *Indifferentia privativa*, quæ dicitur passiva, non est de ratione formalis causæ liberæ, si causa libera consideretur analogice secundum rationem communem, ut Deo tribuitur simul & creaturis intellectualibus, esse causam liberam: nam in Deo reperitur, quicquid est de ratione formalis causæ liberæ: at ista indifferentia privativa passiva in Deo non reperitur, sicuti nec in eo reperitur indifferentia privativa, quæ partim est activa & partim passiva, ob eandem rationem, quia in indifferentia passiva, uti & activa ac passiva simul, potentialitatem, quæ perfici potest, includit, quæ imperfici est quædam: at omnis imperficiatio à Deo longissime est removenda: sc. si in Deo daretur indifferentia, aut passiva tantum, aut passiva simul & activa, Deus non foret purus actus; & sic non esset infinite perfectus: interim tamen est in Deo vera libertas, quia libertas est perfectio simpliciter, ac per consequens formaliter in Deo, sicut sapientia est formaliter in Deo, quia est perfectio quoque simpliciter: formaliter vero nihil est in Deo, nisi quod pertinet ad Dei formalem, essentialē,

lem , & intrinsecam rationem : cum ergo indifferentia passiva non sit in Deo , nec passiva quoque & activa simul , in quo tamen Deo formaliter est libertas , ulti sequitur , neutram esse de ratione formalis libertatis ac causa liberae .

V. Præter indifferentiam negativam , & privativam , quæ vel est passiva tantum , vel passiva & activa simul , utraque imperfectio nem involvens , datur *indifferentia* quedam *activa tantum* , sicut est indifferentia , quam habet artifex aliquis ad faciendum opus aliquod artificiale vel non faciendum , & ad faciendum hoc opus artificiale vel aliud . Hæc indifferentia activa , quæ importat posse agere & non agere , & posse agere hoc vel illud , ut & indifferentia negativa , nihil imperfectionis ex natura sua involvunt , & sunt de formalis ratione libertatis & causa liberae , quando & quoties illa est in differens ; neque enim causa libera semper est indifferens , licet omnis aliquando circa quedam objecta sit indifferens , quod disputatione præcedenti fuit ostensum . In Deo , ut causa libera , reperitur *indifferentia negativa & activa* , in creaturis rationalibus *super passiva* , quia creature sunt ; nam omnis causa libera creata , cum non sit purus actus , nec sit libera per essentiam , sicut est Deus , verum per participationem , habet aliquam potentialitatem , quæ potest perfici per diversos actus ; sed omnis potentialitas , quæ potest perfici per diversos actus , habet aliquam indifferentiam passivam in ordine ad eosdem actus . Ergo in omni causa creata libera , est præter indifferentiam activam aliqua indifferentia passiva , in Deo non est . Sed qua ratione , effo causam liberam , & libertas , atque adeo indifferentia , Deo debeat tribui , & Angelis , & Homini , speciatim videamus .

VI. §. i. Deus , ut solus est perfectissimæ intelligentia , ita solus est perfectissimæ libertatis , nec ab ulla alia causa dependet : Angeli & homines ita sunt liberi & actionum suarum domini , ut nihilominus à Deo dependant , ejusque nutu regantur ac flestantur : unde creaturis quidem liberis , Angelis & Homini bus τοιχεστοι , Deo autem foli τοιχεστοι competit : libere igitur agere in creaturis ra-

tionalibus , non est , independenter seu ex nullius gubernatione agere , aut esse primum sui movens , sed est *in auctoritate* agere , motu voluntatis spontaneo , secundum rationem , ex prævio consilio & judicio : at in Deo libere agere , est independenter agere . §. 2. Liberima Dei voluntas ex perfectione naturæ suæ , quæ volendo , eligendo , à vero bono aberrare non potest , ab eterno immutabiliter ipsa se se determinavit ad unum genere , puta bonum tantum : ad unum vero specie aut individuo , h. e. ad hoc vel illud bonum , contingenter quidem , ita nimirum , ut ex libertate sua ad aliud vel aliud bonum se se determinare potuerit , ex hypothesi vero æterni consilii , immutabiliter ejus voluntas est determinata : unde in Deo cum absoluta libertate consistit absoluta immutabilitas : in creaturis vero quibusdam invenire est quoque aliquam necessitatem immutabilitatis stantem cum libertate , sed non in omnibus nec semper : sc. Angeli boni ex perfectione gratia ac gloria , in qua sunt confirmati à Deo , immutabiliter voluntates suas bonas determinant ad unum genere , hoc est , ad bonum tantum ; licet ad unum specie vel individuo contingenter se habeant : contra Angeli mali ex perfecta & completa malitia immutabiliter voluntates suas malas determinant ad unum genere , i.e. ad malum tantum ; contingenter vero ad unum specie vel individuo , i.e. ad hoc vel illud vel aliud malum : liberrime igitur illi bene , hi male , volunt & agunt ; atque in utrisque libertas cum necessitate immutabilitatis est conjuncta . Quantum ad Hominem , de eo distinctor respondendum est , pro distinctione status illius ; ante lapsum , qui creationis , integratatis , & innocentiae dicitur ; post lapsum , qui defectionis , peccati , ac corruptionis dicitur ; post regenerationem , qui gratiae & refectionis , post resuscitationem , qui vel gloriæ vel condemnationis dicitur : pro hoc , inquam , diverso hominis statu , libertas ejus subiecta fuit necessitati immutabilitatis & non fuit : in statu creationis & gratiae non est ulla in eo necessitas immutabilitatis , quo vel bonum tantum , vel malum tantum , utrumque immutabiliter velit : sed in statu peccati ac condemnationis est necessitas im-

mutabilitatis ad malum tantum ; in statu gloriæ ad bonum tantum. Verum quandoquidem hoc negotium de natura causæ liberae recte intellectum est fundamentum gravissimarum in Theologia questionum de natura Liberi Arbitrii recte decidendarum, age, distinctissime per classes, utrumque libertatis atque indifferentiæ modum, tum quoad exercitium seu contradictionem, tum quoad specificationem seu contrarietatem, de Deo, & Angelis, Hominibus, enunciemus.

VII. De Deo observandas sunt hæc propositiones. 1. Quod libertatem aut indifferentiam contradictionis seu exercitii, non fuit, nec est voluntas Dei ad actum volendi, quatenus est actus absolute & in genere sumitus, indifferentes, nec illum suspendere potuit : Deus enim nunquam esse potuit sine actu volendi. 2. Nec fuit, nec est, ad actum volendi, indifferentes Dei voluntas, quatenus notat ordinem ad objectum Dei intrinsecum & absolute necessarium, puta illius essentiam, sapientiam, bonitatem, &c. nam Deus, nec potest, nec potuit, hæc non velle. 3. Quod libertatem aut indifferentiam specificationis seu contrarietatis, h. e. velle & nolle, eligere & repudiare, prout velle & nolle & similes actus Dei notant ordinem ad objectum externum, sc. creaturas, earumque existentiam, hi actus Dei non sunt absolute necessarii, sed indifferentes : potuit enim absolute res, quas voluit, nolle, &c., quas noluit, velle, quas elegit, potuit repudiare, quas repudiavit, eligere ; quamvis ex hypothesi, postquam & quatenus eas semel voluit vel noluit, propter immutabilitatem suæ voluntatis, non posset non velle, non posse non nolle. 4. Quod contrarietatem aut specificationem in ordine ad actus malos vel bonos, circa hos non est voluntas Dei indifferentes uno eodemque actu, quia Deus, qui est summum bonum, tantum potest moraliter bona & justa velle, sicut moraliter mala & iusta tantum potest nolle, & quidem utrumque tantum bene : quamvis ad hæc vel illa bona facienda vel non facienda, ad hæc vel il-

la mala impedienda vel non impedienda, absolute indifferentes sit ac fuerit.

VIII. De Angelis hæc propositiones notande veniunt. 1. Ratione libertatis atque indifferentiæ, tum contrarietatis, tum contradictionis, circa bonum & circa malum, Angelii boni ante confirmationem in gratia, & mali ante confirmationem in malitia, fuerunt indifferentes, tam ad velle quam ad non velle aut nolle, tam ad eligendum quam ad repudiandum, tam mala quam bona, tam male quam bene. 2. Post confirmationem, in gratia quidem, Angelii boni amiserunt indifferentiam contrarietatis circa bonum & malum : nam determinantur ad bonum tantum ; in malitia vero, Angelii mali amiserunt quoque indifferentiam contrarietatis circa bonum & malum : nam determinantur tantum ad malum : retinent vero utrumque hactenus indifferentiam contradictionis, quatenus boni ad hoc vel illud vel aliud bonum in specie & individuo, mali ad hoc vel illud vel aliud malum in specie & individuo, indifferenter se habent.

X. De homine sunt tenerande hæc propositiones. 1. In statu creationis & gratiae seu regenerationis, voluntas hominis quoad utramque speciem indifferentiæ & contrarietatis & contradictionis, circa bonum vel malum, indifferentes est, & indeterminate se habet. 2. In statu peccati, item condemnationis, indifferentes non est ejus voluntas circa bonum & malum, sed determinata ad malum : similiter in statu gloriæ indifferentes quoque non est ad bonum & malum, sed determinata ad bonum ; & hactenus amisit indifferentiam contrarietatis. 3. At retinet eandem contrarietatis indifferentiam, quatenus in statu peccati & condemnationis, ad hoc vel illud vel aliud malum in specie atque individuo volendum, in statu gloriæ ad hoc vel illud vel aliud bonum in specie atque individuo volendum, indifferenter se habet. Sed hæc de natura Causæ Liberae, hac & praecedenti disputatione, differuisse sufficiat.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

QUADRAGESIMA-OCTAVA,

DE

## ENTE REALI.

## THESES I.

**N**ihil est tritus vox *Ens*: nullus in Philosophia terminus uitatorum, quam *Ens realis*: & tamen quid sit *Ens* atque *Ens realis*, quid vocibus istis debeat intelligi, tam est obscurum quam quod est obscurissimum. Videtur fere nihil esse notius ente atque adeo ente reali: & tamen nihil fere est ignotius. Edidit de Ente & Essentia tractatum Thomas Aquinas: in hunc, commentarium conserpuit Thomas Cajetanus: in hujus commentarios alios iterum commentarios evulgavit Raphael Rypa: agunt de Ente & Ente reali, Suarez, Fonseca, & qui ex hisce duobus omnia solent compilare, moderni Metaphysici initio Metaphysices, cum de objecto Metaphysices philosophantur, agunt item de eo multi ex Logicorum filiis, cum objectum Logicae utentis remotum docent esse *Ens* & non *Ens*: & tamen, si dixeris, neminem haec tenus ex isto Philosophorum vulgo exposuisse clare & distincte, quid ens & ens realis sit, quid sub istis vocabulis concipi debeat, fortassis à veritate non aberraveris: Et, si dicendum est, quod res est, quia clarus ac distinctus *Entis* atque *Entis realis* conceptus ex receptis hodie Philosophia haberi nequit, id in causa est multarum & confusiorum & tenebrarum in Philosophia. Nos *vocem* primum, mox rem ipsam more nostro, quantum poterimus, perspicue explicabimus.

II. *Ens*, ut hinc ordinar, deductum est à verbo *sum*, ad imitationem Græcorum, apud quos & deducitur quoque à *εἰσιν*: Sæpe autem sit, ut & & reliqua significatione participii induat usum ac rationem *nominis*, ac præcipue in Philosophia: veluti cum *Aristoteles* ait, Scientiam quandam esse, quæ speculator *in* *εἰσιν*, *η* *εἰσιν*. *I. 3. Met. c. 1.* sic dicitur *lib. i. Eth. c. 6.*

Tάχαδέ τοις λέγεσθαι ὅτι *ὄντα*, bonum tot modis dici, quot ens. Et Plutarchus lib. 1. de Piac. Philosoph. άρα γνώντος τὸν τέλειον ἀριδέα τὴν θεωρήσειν τοῦ οὐλαρκοῦ προτελέαντας. Oportet perfectum virum, i. e. Philosophum, ea contemplari quæ sunt & facere quæ facienda sunt. Ad istum modum factum est, ut Latini Philosophi, invita Latinitate, à verbo *sum* participium *Ens* formaverint, quod tantundem fere valet atque existens, idque postea quoque, relictâ significatione participii, usurpari coepit ut nomen, pro eo, quod *Res* latine dicitur amplissimo significatu, sub quo etiam Personas, actiones, & id genus alia includit: nam alias, *res* à personis & actionibus distinguitur, ut in *Iure* & passim alibi. Sed, dicat aliquis, si *res* idem significat, quod *ens*, quid attinebat vocem hanc fingere invita Latinitate? *Re/p.* Fortasse, quia minus ambiguatis est in voce barbara *Ens*, quam in voce latina *Res*. Et licet hæc ratio non sit satis urgens, ut ego quidem existimo, nunc tamen fieri non potest, ut hac voce *Ens* abstineamus, quandoquidem apud omnes hodie Philosophos usu recepta est: & notum est illud, *Verba valent usu*.

III. Cum *Ens* sumitur, ut participium, non est idem significatione, ac cum sumitur, ut nomen: nam cum sumitur, ut participium, pertinet ad questionem *Quid sit*: at cum sumitur, ut nomen, referendum est ad questionem *Quoniam sit*, *quid sit*: cum enim quippiam dicitur *Ens* notionē participii, nihil aliud dicitur, quā illud esse sine existere, quo solvitur quæstio, *an sit*: at si vim habeat nominis, *esse ens*, non significat esse aut existere, sed *non esse non-ens*, quod ad questionem *quid sit*, referendum est: Cum autem definitio tribui possit etiam iis, quæ non sunt, h. e. quæ non existunt,

Z 2 sequitur,

sequitur, ens positum pro nomine latius patere, quam quando acceptum pro participio significat id solummodo, quod actu existit.

IV. Porro, cum ens sumitur notione participii, ea solum entia dici possunt, quae actu existunt: at cum sumitur ut nomen, iis etiam tribuitur, quae non actu, sed potestate atque in suis causis tantum sunt; & quae ita se habent, ut rosa tempore hyberno & mundus antequam esset conditus: Ea enim entia sunt, sumta voce *Ens* ut nomen, quae intelligi quaequedefiniri possunt: At rosa tempore hyberno intelligi ejusque essentia concipi ac definiri potest, & Deus mundum nondum conditum cognovit ab aeterno: Ergo entia etiam tunc, cum non sunt actu, dici quoque possunt, ac revera quoque sunt entia, licet revera actu non sunt.

V. Hic tamen observandum est illud, cum ea, quae actu non sunt, entia dicuntur, enunciationes ejusmodi, etiam si forma sint categoricae, sensu tamen esse hypotheticas: cum enim dicimus, *Rosa aut Mundus est ens*, propositiones istae habent hunc sensum: Rosa aut Mundus, si sit aut cum sit in rerum natura, est ens: atque hoc modo judicandum est de omnibus enunciationibus *Ḡ uāθ w̄n̄*, five fint primi, five secundi modi: quæstio enim, qua queritur, *an res sit*, prior est ea, qua queritur, *quid aut qualis res sit*, ut docet Aristoteles lib. 2. Post. Anal. cap. 2. Itaque nihil potest pronunciari de quopiam, quod pertinet ad quæstionem *quid sit* aut *qualis sit res*, nisi constet aut saltem supponatur *rem esse*: ideoque cum ens pertineat ad quæstionem, qua queritur *quid res sit* (distinguit enim rem ab omni eo quod non ens est) non potest illud de quopiam affirmari, nisi quod actu sit aut supponatur *esse*: at si ens, quod non actu sed potestate tantum est, in se consideretur, atque ut sit in potestate, haud magis dici potest ens absolute, quam cadaver hominis dici absolute homo. Qui enim dicatur ens, quod non est, & quidem tunc atque eatenus, quando & quatenus non est? Atqui, quod non actu sed potestate est, revera non est: esse enim absolute & esse potestate, opponuntur, ut esse & non esse. Ergo quod non actu sed potestate tantum est,

quatenus consideratur, ut est potestate, non potest dici ens absolute, sed tantum ens in potentia.

VI. Et hoc insuper notandum est, vocem *Ens*, cum nominis significationem habet, interdum *late sumi* pro eo omni quod non est omnino nihil, ita ut etiam entia rationis, rationes entium, privationes, corruptiones, & id genus alia, entia dicantur istuc significatus accipitur lib. 3. Metaph. c. 3. ubi *Philosophus* sic ait. Τα μὴ ϕόνοι, ὅπερ εἰσί, λέγεται, Καὶ οὐ ὅπερ πάθη εἰσί, Καὶ οὐ τὸν ὁδὸν εἰς τὰ σταύρων, η̄ φροντίδα, η̄ στρεψίδα, η̄ ποιώματα, η̄ ποιητικά, η̄ γενελαῖς, η̄ τὸν αὐτὸν τὸν βούτην λέγεται, η̄ τρεπτικές διπλάσιες, η̄ επίστας, id est, *Quædam dicuntur entia, quoniam substantiae sunt, quædam, quoniam sunt affectiones substantiae, alia quoniam via sunt ad substantiam, aut corruptiones, aut privationes, aut qualitates, aut quia vim habent efficiendi vel gignendi substantiam, aut ea, quae ad substantiam dicuntur, aut quia horum aliquis negationes sunt, vel etiam ipsius substantiae*. Interdum vox *Ens* strictius sumitur, pro eo, quod vere est in rerum natura, quod veram, realem, ac sibi propriam essentiam habet; vulgo *ens reale* dictum: atque hoc sensu, entia rationis, rationes entium, privationes, corruptiones, generationes, & id genus alia, entia dici nequeunt. Atque eundem fere ad modum de Ente philosophatur Aquinas lib. de Ente & Essent. c. 1. & præsertim Summ. Theol. p. 1. quæst. 48. art. 2. ubi cum quæsivisset, *Vtrum malum inveniatur in rebus?* & sibi objecisset. *Ens & res convertuntur*. Si ergo malum est ens in rebus, sequitur, quod malum sit res quædam: *Quod est contra prædicta*, sic respondet. *Ad secundum dicendum, quod sicut dicitur in 5. Metaph. Ens dupliciter dicitur: uno modo, secundum quod significat entitatem, prout dividitur per decem prædictamenta: & sic convertitur cum re, & hoc modo nulla privatio est ens, unde nec malum. Alio modo dicitur Ens, quod significat veritatem propositionis quæ in compositione consistit, cuius nota est hoc verbum, EST. Et hoc est Ens, quo responderetur ad quæstionem, An est: Et sic cæcitem dicimus esse in oculo vel quamcumque aliam privationem, & hoc modo etiam malum dicitur ens.*

ens. Propter hujus autem distinctionis ignorantiam, aliqui considerantes, quod aliqua res dicuntur male, vel quod malum dicitur esse in rebus, crediderunt, quod malum esset res quædam. Hæc Thomas: sed de Voce satis, nunc ad Rem ipsam accedamus.

VII. Ens stricte sumtum seu reale, non est unicum quid, quemadmodum id statuisse Parmenidem & Melissum docet lib. I. Phys. c. 2. Aristoteles: qui contra, ens reale multiplici varietate est diversum: atque hoc tam est manifestum, ut nesciam an aliquid dici possit manifestius. Quid enim? si omnia sint unum, nec quicquam à quopiam diversum est, nullus erit ortus aut interitus, nulla mutatio, nullæ cause, ac proinde nulla quoque scientia. Deinde sic argumentatur Aristoteles. Ens est ex eorum numero, quæ dicuntur *πολλαχός* (nam vel substantiam significat, vel quantitatem, vel qualitatem, vel aliud quid eorum, quæ de substantia prædicantur) ergo non potest ita unum esse, ut caret omni multitudine: Qui enim dicunt omnia esse unum, aut intelligent omnia unum esse nomine tenus, aut quoad rem. De nomine non est controversia, sed de re ipsa. Si ergo ens velint esse ipsa unum; vel intelligent unum genere, vel specie, vel numero: priora duo non tollunt multititudinem, siquidem utrumque dicitur de multis. Si omnia velint esse unum numero, vel substantiam intelligent sine accidente, vel accidens sine substantia: non substantiam sine accidente, quia quædam substantia, scilicet finita, nunquam est sine accidente: non etiam accidens sine substantia, quia nullum accidens potest existere sine substantia; Si vero intelligent substantiam accidente vestitam, jam erit quædam entium multitudo ac diversitas. Hæc est sententia fere Disputationis, quam Aristoteles instituit contra Melissum Parmenidem que lib. I. Phys. c. 3.

VIII. Verum enimvero non deest forfasse, quod reponi posset, si quis Melissum Parmenidem causam susciperet ac patrocinium. Dici enim posset, omnia substantiam esse, accidentia non esse entia, sed modos tantum, aut λόγια aut σχέσεις substantiarum. Et certe mihi vix dubium est, quin quantitas eadem sit rei-

psa cum substantia corporum & sola ratione ab ea differat. Qualitates motus dici possent substantiæ, vel extensa, vel intelligentis, & utrobique modi operandi: Relationes, actiones, passiones, & quæ sequuntur rerum in categoriis classes, jam diu à multis Philosophorum ex censu & numero entium sunt remotæ ac proscriptæ. Itaque τὸ πολλαχός λέγεται, quod enti ab Aristotele tribuitur, non videatur satis firmum argumentum ad probandum entium multitudinem: nam τὸ πολλαχός λέγεται, significant quidem multa: sed probandum erat porro, illa multa re ipsa & non sola ratione distingui. Ut igitur argumentum firmum sit, probandum est, aut accidentia esse entia vera & re ipsa à substantiis diversa. (quod & ante Aristotelem olim & nunc temporis à multis negatur) aut ipsas substancias re ipsa à se invicem esse diversas. Quod posterius quidem tam est manifestum, ut multa probatione non egeat: nam, ut accidentia præteream (quæ an sint entia distincta à substantiis, jam nunc disputare non libet) substantiae saltem aliae ab aliis sunt diversæ: alia est substantia intelligentes, spiritus; alia est extensa, corpus: aliud est Deus, & aliud sunt res à Deo factæ: aliud est homo, aliud lapis: quid enim? an homo non est ens? an non & lapis? & tamen homo non est lapis: an non Deus est ens? an non & spiritus? an non creatura est Ens? an non & corpus? attamen Deus non est creatura; & spiritus non est corpus: nec vice versa. Est ergo aliqua entium multitudo.

X. Sed si hoc tam manifestum est, dicat quispiam, quis credat veteres illos sapientes ac Philosophos, Parmenidem Melissumve, similesve heroas, cordatos mehercule mortales, tam pueriliter inepiteque philosophatos fuisse, ut omnia ens unum esse statuerint? Me quidem quod attinet, non tam finistre sentio de viris tam præclaris, iisque assentior, qui existimant Aristotelem non satis candide veterum dogmata recensuisse, & adversus verba potius quam adversus sententiam eorum disputatione. Quid ergo voluerunt, cum dixerunt omnia esse unum tantummodo? Nihil aliud profecto, quam quod verissime dici potest,

esse, unum tantummodo *ESS E*, idque semper pternum, immutabile, ac divinum; cætera que omnia in perpetua generationum ac corruptionum vicisitudine esse posita, ideoque nunquam proprie dici posse *esse*, sed semper fieri, gigni, interire; indeque concludebant, non posse ea proprie dici *entia*, siquidem *Ens* ab *esse* dicitur; nihilque vere *ens* dici potest,

nisi quod potest dici *esse*. Sed quicquid sit de Veterum sententia, de qua videatur inter Græcos Aristotelis Interpretes Simplicius ad cap. 2. & 3. l. 1. Phys. illud constat, & jam evictum est, ens non esse unicum, sed vere dari in Ente reali diversitatem & multitudinem. Cætera de ente reali sequens absolvet disputatio.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

#### QUADRAGESIMA-NONA,

D E

## ENTE REALI.

### THEISIS I.

**Q**Uæ præcessit Disputatio, ea *Ens non unicum*, sed *Entia esse plura*, demonstravit: multa enim sunt quibus nomen & natura Entis convenient: sed videndum nunc est, in quo sit sita illa communis natura & ratio Entis, qua plura sub suo complexu continet ac comprehendit, & quomodo ad inferiora contrahatur: quod quidem explicatum tam est difficile, quam quid est in universa Philosophia: hic enim omnia sunt plena caliginis, ut vix videre detur, ubi pes figi possit, & fundamen-tum solidum ponit. Nos in re obscura perspicuitati pro virili studebimus.

**II.** Ante omnia statuendum est, Entia realia omnia, modo revera sint talia, uno conceptu ac notione comprehendi posse, quæ non repræsentet certam entis realis speciem aut certum ens in specie, Deū aut creaturam, substantiam aut accidens, sed quæ repræsentet aliquid, in quo hæc omnia convenient. Atque hoc nobis notissimum est; ipsa enim nos docet experientia, audita voce entis mentem nostram à multitudine retrahi & ad quandam unitatem reduci, intellectumque nostrum formare unum communemque omnibus entibus conceptum, ac repræsentan tem ens, non ut tale est aut tale in specie, sed ut est ens simpliciter. Præterea voces istæ, & ens, primum sunt adhibitæ, non ad significandum substantiam aut accidens, aut aliam

naturam determinatam vel contractam, sed ad significandum id, in quo omnia entia conveniunt. Quare cum voces sint σύμβολα τὸν ψυχὴν παθημέτων, i. e. notæ affectionum, five conceptionum, que sunt in anima, ut loquitur Aristoteles cap. 1. de Interpret. omnino sequitur, hisce vocibus respondere unum conceptum in mente, quo intelligitur id, quod proxime atque immediate per hasce voces significatur. Si dicas, voces hasce ambiguas esse; ideoque non unum quippiam sed multa simul significare, ac proinde non esse necesse, ut iis unus respondeat conceptus: id quidem facile confutari potest. Demus enim eas voces esse ambiguas: hoc solummodo obser-vandum est, eas non fuisse adhibitas primum ad significandam hanc vel istam entis speciem, mox ad significandam entis speciem aliam, & sic forte fortuna totum entis ambitum hisce vocibus fuisse comprehensum: sed vero statim atque hæc voces, & ens, in usu esse coepiunt, harum vocum primo usu, quicquid est, fuit designatum: quod fieri non potest, si mens unum conceptum communem omnibus entibus non formaverit.

**III.** Porro, quod si mens nostra non dividatur nec distrahatur in conceptus plures, concepto eo, quod nomen & notio entis importat, sed unum ac communem omnibus entibus formet conceptum, facile videre est, quod

quod omnia ergo entia aliquo modo inter se conveniant; quippe uni conceptui necesse est ut respondeat unum objectum: debet enim esse proportio ac convenientia inter conceptum & objectum quod concipiatur: ideoque si *nō ens* uno conceptu concipiatur, quo aliquid representetur omnibus entibus commune, utique oportet à parte entis aliquid dari in quo omnia entia convenient & unian-  
tut, alioqui representatione falsa foret. Sed verum est prius, *ex thes. præced.* E. & posterius. Hanc nostram rationacionem tali tibicine fulcit *Vir Cl. præceptor ac prædecessor noster*, *D. Fr. Burgerjæ. Metaph. l. 1. c. 2. th. 10.* Aut enim, *inquit*, communis illius omnium entium conceptus objectum, erit communio quedam omnium entium *inter se*, aut aliquid ex propriis particularium entium, *puta, Substantiæ & Accidentiæ, Dei & creaturarum, rationibus, collectum, & aggregatum*: Hoc posterius mani-  
festo falso est: nam cum objectum ex multis particularibus objectis aggregatum est, *sc. absque aliqua communione aut unione*, conceptus quoque mentis aggregatus est debet ex multis conceptibus, quorum singuli singulis objectis respondeant: *conceptus enim debent objectis suis esse similes, eaque sic repre- sentare, ut sunt, & non aliter quam sunt*. Ergo concedenda est quedam omnium entium communio ac convenientia, secundum quam uno aliquo conceptu promiscue possint ab intellectu apprehendi.

*I V. Suarez, & vulgus Philosophorum*, qui ipsius vitula arant, hanc doctrinam sic effe-  
runt. Ajunt, dari *unum conceptum entis*, tum *formalem*, tum *objectivum*. *Conceptum formale* vocant ipsum mentis actum sive notio-  
nem, qua rem objectam apprehendit atque cognoscit: *conceptum objectivum* appellant rem ipsam, quæ conceptu formalis cognosci-  
tur, atque in mente representatur, & quidem quatenus menti obiectitur atque ab ea concipiatur. Ex. gr. si quis hominem concipiatur certe quodam modo, *puta*, *qua animal est*, illa notio, quæ in anima formatur, cum hominem concipi, ut animal, est conceptus formalis: homo vero ipse, quatenus ut animal concipi-  
tur, vocatur *conceptus objectivus*. *Quamvis*

autem res eodem redeat; & sententia no-  
stra à nobis *th. 3. exposita* non sit diversa à sen-  
tentia *Suarezii* aliorumque, sub ista tamen terminis eam non proposuimus, quia absti-  
nendum judicamus, quantum fieri potest, ab  
ineptis vocibus & insulsis loquendi modis,  
quibus *Philosophia* recepta tota est deformata:  
in illo sane numero est illa conceptus distinc-  
cio: omnis enim conceptus est conceptus  
formalis, h. e. forma quedam mentis, qua res  
sibi objecta immateriali modo refert ac re-  
presentat: res objecta nullo modo conceptus  
est, nec conceptus dici potest, ne externa qui-  
dem denominatione: denominations exter-  
nae dicuntur de rebus oratione obliqua & *παρεργίων*, non autem oratione recta & *αντιστοιχίων*: non enim dicimus, *miles est vestis aut gladius*; sed *est vestitus aut gladiatus*. Ad istum  
quoque modum, res objecta menti non potest  
dici conceptus, sed concepta *παρεργίων*, h. e.  
id quod concipiatur. Sed pergamus.

V. Constat ergo, dari omnium entium quandam communionem atque convenientiam in eo, quod sint entia: hic nunc queritur, In quo hæc communio & convenientia omnium entium sit sita? Errant, qui eam ponunt in sola communione nominis, quod *nō est* & ens de omnibus entibus prædicetur: nam hæc nominis communio non sufficit ad effor-  
mandum unum conceptum omnibus omnino-  
entibus communem: Nec melius sentiunt,  
qui entis naturam communem collocant in  
aliquo, quod sit extra rationem entis: nam  
quod extra rationem entis est, id nihil est, aut  
certe non ens; at entia non possunt in nihilo  
aut in non ente convenire: nam si sumas ens  
late acceptum, illud & nihil opponuntur con-  
tradictorie, tanquam ens & non ens: si ens  
sumas stricte pro ente reali, quemadmodum  
nos impræsentiarum sumimus, etiam ens reale  
& non ens reale contradictrorie opponun-  
tur. Restat ergo, ut omnium entium realium  
convenientia & communio generalis in  
ente, collocetur in proprio entis actu, per  
quem ens reale revera est ens & tale, per quem  
distinguitur non solum ab eo quod est nihil,  
sed & ab eo quod non est ens reale: nam dari  
quippam, quod, tametsi non sit revera ens  
reale,

reale, non tamen est nihil, quod medium vocant negationis inter ens reale & nihil, evincent relationes, denominaciones externæ, entia rationis, rationes entium, modi existendi & operandi, actiones omnes, &c. Consistit ergo communis ratio entis realis in proprio ejus actu: hic est *ESS E*: *ens* enim & *esse* sunt conjugata: Sed cum duplex sit *esse*, vel *essentia*, vel *existentia*, entis realis actus proprius consistit in *τὸν esse essentia*: potest namque Ens reale abstrahi ab esse existentiæ, ab esse essentia non potest, ideoque omne Ens reale est secundum esse essentia, & quicquid est secundum esse essentia, illud est Ens reale: sicuti ē conversō, non Ens reale, non est secundum esse essentia, & quod non est secundum esse essentia, illud est non-ens-reale. Notandum vero hic à nobis intelligi, *esse* secundo adjectum, veluti cum dicimus, Deus est, Homerus non est sed fuit: nam esse tertio adjectum, nihil est aliud quam copula prædicati cum subjecto, quæ etiam non-enti reali & *τὸν nihil* competit: veluti cum dicimus, nihil est non-ens, cæcitas est privatio, & id genus alia.

VII. Sed hic scrupulus oritur gravis. Si esse secundo adjectum in solummodo conveniat, que actu sunt in rerum natura sive quæ existunt, non est ratio communis entis realis quod ab existentia abstrahi per mentem potest. Sed verum est prius. Ergo & posterius. Prob. min. Quia non recte dicitur, Rosa est, cum nulla rosa existit: certa Logici docent, quod esse secundum adjectum sit idem quod existere: Ergo, si diceretur rosa esse, cum non existit, diceretur esse, cum non est: jam vero ens reale non tantum comprehendit ea quæ actu sunt, sed & ea quæ sunt potestate, b. e. quorum natura non repugnat, actu esse. *Essere* secundi adjetti, ut loquantur vulgo, non videtur esse ratio communis, in qua omnia entia realia convenient. Ista objectio sic solvi potest: *τὸν εἶναι* esse, secundo adjectum idem sane est quod existere: nec tribuitur iis, quæ non sunt actu seu quæ non existunt; & que actu non sunt, solemus vulgo vocare non entia, id est non existentia: eadem tamen, quæ non existunt, possunt dici *esse*, id est entia realia, ex hypothesi; quia tunc sunt entia realia, cum actu sunt, aut cum fuerunt, aut cum erunt. *Ens*

igitur *reale*, & proprius ejus actus, *esse essentia*, abstrahi quidem potest ab esse existentiæ abstractione precisionis, sed non item negationis: at quæ sunt non entia realia, abstractione negationis abstrahuntur, & ab esse existentiæ & ab esse essentia: illud autem esse seu esse essentia, in quo entis realis actum ponimus, nihil est aliud, quam quo Ens veram habet essentiam & est in rerum natura; tale autem est, quod est extra mentem, nec situm est in respectu, voce aut modo.

VIII. Communis illa natura & ratio entis realis, in qua omnia entia realia convenient, determinatur & contrahitur ad inferiora, & in suas quasi species dividitur per convenientes differentias: quæcumque enim inter se in communi aliqua natura convenientiunt, si ea inter se quoque distinguntur, per differentias distinguuntur debent, quæ communis naturæ adjiciuntur: ista differentia entis realis non sunt entia realia, neque communem rationem entis realis includunt: *Genus non attribuitur differentiis, sed iis, de quibus differentia dicitur*, ut docet Aristoteles l. 6. Top. c. 6. Ideoque cum ens reale sit, quod dividitur, differentiæ dividentes non possunt esse entia realia. Et certè, si differentiæ entis realis sint entia realia, in eo quod sint & quatenus sunt entia realia, inter se convenient: in quo ergo inter se differunt? aut si non differant, quomodo possunt ens in species dividere? si entia sint realia & tamen differant, per alias differentias differre, debent, & illæ rursus per alias, atque ita vel in infinitum est progrediendū, vel dandæ erunt differentiae, quæ entia realia non sunt. An ergo differentiæ illæ nihil omnino sunt? Ne hoc quidem: nam quæcumque inter se convenient, non possunt à se invicem distinguiri per illud, quod omnino nihil est. Quæ enim distinguuntur *τὸν nihil*, ne distinguuntur quidem, sed sunt re ipsa unum: superest ergo, ut entis realis differentiae, cum ipse nec sint entia realia nec nihil, sint aliquid medium, & quidem negationis, inter ens reale & nihil. *Si dicas, tale medium non dari;* Resp. ergo non tantum nullæ erunt entis realis differentiae, sed nullæ quoque communes ejus affectiones, nulla ejus principia, quibus affectiones de ente reali de-

mon-

monstrarentur: quinimo tota evertetur Metaphysica, ac verborum tantum erit scientia, non rerum. Verum quia non nemini fortasse paradoxa videbitur haec opinio, una atque altera ratione eam confirmemus.

VIII. §. 1. Una affectio entis realis differt ab alia; puta unitas à veritate, veritas à bonitate: nam licet verum sit, quicquid unum est, & bonum sit, quidquid verum est, unitas tamen veritas non est, nec veritas bonitas, nec illa prædicatio identica est, qua dicitur unum esse verum, aut verum esse bonum. At qui unum, verum, bonum, non distinguuntur per id, quod revera est ens reale (nam ens reale in iis omnibus & ex aequo includitur, in coequo inter se conveniunt) non etiam distinguuntur eo quod nihil est (nam quæ distinguuntur eo quod nihil est, omnino non distinguuntur.) Ergo concedendum est; aliquid includi in affectionibus entis realis, quod nec ens reale sit, nec nihil. Neque vero solum in rebus Metaphysicis, sed & Mathematicis & Physicis sic est philosophandum.

I X. §. 2. Mathematicæ scientiæ versantur circa definitam quantitatem: haec subiectum est. Affectiones, quæ de quantitate demonstrantur, ab ipsa quantitate aliquo modo distinguuntur: non sunt ipsa quantitas, neque nihil omnino; nec tamen entia sunt realia ab ipsa quantitate diversa, nam si essent entia realia, vel substantiae forent vel accidentia: atqui substantiae non sunt affectiones accidentium, imo ne substantiarum quidem: si sunt accidentia, quantitatibus inhærebunt, quia acci-

dentis esse est inesse illi, cuius accidens est: at qui affectiones quantitatis non inhærent quantitatib; quia accidens non inhæret accidenti: quantitas autem accidens est, ex communi sententia. Si respondeas, quantitatem non distingui à re quanta; ex eo inferam, affectiones quantitatis quoque non distingui respæta à quantitate: ac proinde non esse entia realia à quantitate diversa; nec tamen nihil sunt. Ergo concedendum est quippiam, quod non sit nihil omnino, nec tamen ens reale, quod erat demonstrandum. Simili modo licet argumentari ex Physicis; sed charta velet, & haec sufficerint.

X. Totum hoc negotium, cœu in tabella, sic representari potest. *Ens*, ut nomen, *significatione late*, est idem quod *aliquid*, & opponitur contradictione *nihil*, quod idem est ac non *ens*; neque hic datur medium negotiorum. *Ens late* sumtum, subdividi potest, in ens *strictæ sumtum*, vulgo *reale*, & *aliquid* quod non est ens reale sed ei oppositum, nec tamen nihil, quod impræsentiarum vocamus *medium negationis* inter ens reale & nihil, aut non-ens reale. Atque hoc non est unius conditionis, sed multipli varietate diversum; adeo ut difficultius sit hanc non-entium realium, quam verorum entium realium multitudinem ad certas classes revocare; præfertim cum in entibus digerendis habeamus, quos sequamur, at in explicandis & distinguendis hisce non entibus per invia sit eundum. Sed de iis alias agere licebit: nunc de *Ente reali* gemina disputatione haec discussisse satis esto.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

#### Q U I N Q U A G E S I M A,

D E

## E N T E R A T I O N I S.

#### T H E S I S I.

**D**isputationem geminam de *Ente reali* non incommodè videtur exceptura una de *Ente rationis*, quod à ratione nomine habet, quia ad rationem, h.e. mentem seu intellectum nostrum dicit aliquem respectum

& habitudinem, non quod à ratione affectione aliqua reali fiat, nec quod rationi ut subiecto insit, sed quod rem consequatur in quantum rationi nostræ cognoscenda proponitur: nam ens rationis trifariam dicitur, prout trifariam

A a

pendet

pendet à ratione. Quædam enim entia rationis dependent à ratione *effective*, sive tanquam à causa efficiente; qualia sunt, quæcunque ab aliquo mentis actu vel habitu proficiuntur: hoc pertinent primum, omnes res artificiosæ: deinde, quæcunque ad mores pertinent, ut virtutes & vitia moralia, eorumque effecta: his opponuntur ea, quæ necessitate naturæ eveniunt, aut casu: hæc enim non à ratione, sed sine ratione, vel etiam præter aut contra rationem, fieri dicuntur. Alia dependent à mente sive ratione *subjective*, seu tanquam à subiecto, ut discipline aliquæ similes habitus, & qualitates, que menti ut proprio subiecto inhærent. Alia denique dicuntur à mente dependere *objectiva*, nimirum, quia rebus competunt easque consequuntur, quatenus & quoties menti seu rationi cognoscendæ objiciuntur. Si entia rationis sumantur prima ac secunda significatione, quæ vel *effective* vel *subjective* dependent à mente, sunt entia realia, vere ac proprie sic dictæ: nam & *τὸν ἅπανταν* proprius entis realis actus, & *ἐστίν*, & *τὸν οὐκέτιν* seu essentia, illis convenient. Præterea affectiones entis realis in iis reperiuntur, unitas, veritas, bonitas. Sed vero entia rationis tertia significatione accepta, nec essentiam habent veram nec existentiam: eorum enim esse in mentis consistit fictione: oriuntur enim ex eo, quod res unaquaque menti objiciatur, & ab ea certa ratione cognoscatur.

11. Dari entia rationis *objective*, haud difficulter probari potest, si observetur, duum generum esse ea, quæ rebus tribuantur: nam longe alia rebus convenient, ut sunt, & alia, ut res à nobis intelliguntur & cum aliis rebus comparantur. Quæ rebus convenient, ut sunt, entia sunt realia: quæ vero iisdem convenient, ut à mente apprehenduntur, sunt entia rationis. Ex. gr. homo, ut homo, est animatus, sensu prædictus, bipes, risibilis, &c. sed ut ab intellectu intelligitur, tanquam pars quædam animalis, quæ ei subfit, dicitur esse subjectum & species animalis: illa priora, esse animatum, esse bipedem, &c. sunt entia realia: esse speciem, esse subjectum, &c. sunt entia rationis: non enim hæc convenient homini, quatenus homo est,

sed quatenus ab anima intelligenti intelliguntur, & cum animali comparatur. Similiter virtus, qua virtus, est habitus, & mediocritas, & qualitas: at si ab intellectu comparetur cum fortitudine, temperantia, iustitia, & cum iis, quibus communiter inest, & quibus attribuitur, attributum earum & genus dicitur: priora hic iterum, esse habitum, esse mediocritatem, esse qualitatem, sunt entia realia; posteriora vero, esse attributum, esse genus, sunt entia rationis.

III. Porro cum mens nostra prius feratur in res ipsas, quam in earum cum rebus aliis comparationes, ideo rerum ipsarum conceptus apud Logicos dicuntur intentiones primæ: sed conceptus eorum, quæ rebus convenient, quia ab intellectu intelliguntur, vocantur intentiones secundæ: nempe, quia mens nostra primum aciem intendit suam in rem ipsam, ut est; secundo autem loco, in ea, quæ illi convenient, ut intelligitur. Et vocabula, quibus primi conceptus significantur, vocantur nomina intentionis primæ, πρῶτον γνῶμα: illa vero, quibus significantur conceptus secundi, nomina secunde intentionis, δευτέρον γνῶμα: homo, animal, bipes, sunt voces primæ intentionis; genus, species, subjectum, attributum, secundæ intentionis. Sed de his consuluntur Logici veteres & recentiores.

IV. Ut vero natura entium rationis conditione intelligatur melius, explicandum est, quo modo in rebus mentis ope orientur. Intellectus ergo author est entium rationis, eaque gignit ac producit intelligendo, i. e. formando conceptus sive notiones objectarum rerum. Notiones vulgo dividuntur in primas & secundas. Primæ repræsentant res ipsas ita ut sunt in se: secundæ, prout certa ratione menti objiciuntur, ab eaque concipiuntur, vel potius repræsentant modum ipsum, quo res concipiuntur: jam vero, facit entia rationis mens, non secundis, sed primis notionibus, & facta secundis apprehendit atque intelligit, cum in seipsum reflexa concipit, quomodo primis notionibus res objectas conceperat: itaque rationis entia recte dicuntur effecta primarum notionum & objecta secundarum.

V. Notiones primæ, vel absolute sunt vel comparatae. Absolutas voco, cum intellectus unam-

namquamque rem seorsim & fine illa habitudine ad alias concipit : comparatas dico , cum concipit , quomodo res unaquæque se habeat ad alias : non sunt autem entia rationis absolutis sed comparatis notionibus: hujus tamen comparata intellectu terminus non est ens rationis , h. e. ex hac comparata intellectione non oritur ens rationis ita , uti calor ex calefactione : sic enim entia rationis forent entia realia : sed comparatae intellectu terminus proprius , atque internus , est conceptus ipse five notio prima objectum certa ratione representans : hujus enim representationis vi oritur ens rationis in ipso objecto. Ex. gr. cum intellectus Petrum apprehendit & Paulum , apprehensos inter se comparat , ex comparatione comprehendit utrumque esse hominem ; rejectis deinde attributis iis , quibus inter se differunt , humanitatem seu naturam humanam in abstracto concipit ; tum ista conceptione dicitur in & de homine formare illud ens rationis , quod speciem vocant Logici : speciem enim esse , non convenit humanæ nature aut homini in & per se , sed vero naturam humanam consequitur , cum intellectus eam , ab hominibus singulis eorumque differentiis individuantibus abstractam , in communione concipit , in qua singuli homines convenient & quodammodo unum sunt: ubi jam intellectus repercussus & in seipsum reflexus , secundum vice intelligit se intelligere naturam humanam , eo , quo dictum est , modo , h. e. à singulis hominibus abstractam , dicitur formare rationem secundam , quæ naturam non representat humanam , sed vero modum illum five rationem , qua naturam humanam conceperat , h. e. qua promiscue se habet ad Petrum , Paulum , aliosque singulares homines. Quod de natura dico humana , id pariter de omnibus rebus accipiendum est , quæ pluribus rebus sunt communes : unum enim idemque rationis ens multis admodum rebus ac pene omnibus attribui potest , quia nimur uno eodemque modo pleræque res cum aliis comparari possunt : nam ut homo se habet ad Petrum & Paulum ; ita se habet canis ad Phylacem & Melampum ; pirus ad hanc vel illam

pirum ; justitia ad justitiam Aristidis & Socratis , & sic porro.

V I. Entia rationis totuplicia sunt , quotuplices sunt rationes entium , five quotuplici modo res unaquæque cum alia re conferri ac comparari potest ; itaque sicuti rationem illam , qua res est pluribus communis , speciem vocamus ; ita rationem illam , qua res est communis speciebus pluribus , appellamus genus ; rationem illam , qua res nullam habet communitatem , nuncupamus individuum ; qua ab alio pendet , effectum : qua aliquid confert ad alterius rei ortum , causam ; qua alii subjicitur , subjectum : qua alteri adjungitur , adjunctum . &c. Neque vero singula duntaxat rationis entia , sed multa simul , reperi possunt in rebus singulis : una enim eademque res genus esse potest , subjectum , causa , totum , & quid non ? nimur , quia una res potest multis modis cum alia conferri , ideoque diversimode intelligi.

V II. Ex hisce ita expositis facile liquet , entia rationis non fingi aut formari ab intellectu nostro temere ac pro libero arbitratu , sed certo modo ac lege . sequetur enim in efficiendis entibus rationis λόγος έιναι seu rationes entium , quæ sunt sita in οὗτοι five respectu & habitudine rei objectæ cum rebus aliis . Res sic se habet . Quotiescumque mens nostra res sibi oblatas percipit , quæ έίσιν seu habitudinem aliquam habent & quatenus habent , toties efficit ens rationis secundum rationem istius οχήματος seu habitudinis : vel , ut clarius loquar , toties ens rationis in re intellecta resultat ex eo , quod intellectus eam sub ista ratione five cum ista οχήμαta conceperat atque apprehenderat . Quidigitur tandem fuerit ens rationis ? an intellectio ipsa ? neutiquam : an conceptus , qui in mente per intellectu rationem formatus ? nequaquam : an res concepta ? minime : an οχήμαta rei intellecta cum rebus aliis , seu ratio , quæ menti objicitur ? ne hoc quidem . Quid ergo ? Ens rationis , præter hec omnia est aliquid aliud , quod oritur in re intellecta , ex eo quod intellectus res primum apprehendat , apprehensas compareat , comparatas secundum certam οχήμαta , habitudinem , ac rationem intelligat : ideoque

entia rationis non sunt, nisi quando intellectus operatur, & intelligit: ac si intellectus definat intelligere, definit quoque esse ens rationis: ita in totum à ratione dependet ens rationis: ideoque non immerito sic dicitur.

VIII. Hæc omnia cum sic se habeant, cavyendum est sedulo, ne *entia rationis* & *rationes entium* inter se confundantur: nam multum adhuc differunt: quippe rationes entium sunt in rebus citra & ante omnem mentis actum, imo sunt propria mentis in intelligendo objecta, aut modi potius, sub quibus res menti objiciuntur: at *entia rationis* mentis nostra operationem sequuntur, eaque mediante rebus accident: itaque rationes entium fundamenta sunt, quibus entia rationis sunt innixa. Rationes enim entium sunt modi, quibus res certis conceptibus objiciuntur, & quando res secundum modos illos ac rationes intelliguntur, entia rationis in illis vi istius intelligentis oriuntur & resultant: itaque sicuti conceptus intellectio[n]esque nostræ sequuntur rationes entium, sic entia rationis sequuntur conceptus intellectio[n]esque nostras; ideoque hosce modos, sub quibus res cognoscendæ menti objiciuntur & ab ea cognoscuntur, *entia rationis* confuevimus appellare, non solum, quia mentis operatione sunt quæ *ratio* quoque dicitur; sed etiam, quia entia rationis sequuntur *rationes rerum* mediante intellectio[n]: Philosophorum vulgus dicret, entia rationis & à ratione ratiocinante, quæ est intellectio, & à ratione ratiocinata, nominari, quæ est ratio in rebus.

I X. Atque ex hisce omnibus satis appareat, quam perperam Suarez & ejus compilatores plurimi, *Negationes*, *privations*, atque *entia ficta*, ut Chimæras, Centauros, inter entia rationis retulerint ac referant. 1. Quod nihil est, non est ens rationis: quia nihil discrimen nullum infert in rebus: at entia rationis discrimen in rebus inferunt: Atqui negationes omnino nihil sunt, quatenus sunt negationes. 2. *Privations*, licet non sint omnino nihil, attamen nihil ponunt, sed aliquid auferunt à re, sed entia rationis aliquid ponunt in re: nam de rebus affirmate dicuntur, ut rationes entium, relationes, denominaciones externæ,

modi, &c. & ideo, in quantum entia rationis veris entibus affirmate tribuuntur, in tantum quoddam quasi esse positivum habent: quemadmodum enim quedam sunt *quasi entia*, ita quoque illis non quidem esse, sed *quasi esse* competit: at privationes nullum habent esse positivum; imo illis nec esse nec *quasi esse* tribui potest sed potius non esse. 3. *Entia ficta*, aut spectantur secundum hypothesin, aut extra hypothesin, juxta quam finguntur: si ficta considerentur secundum hypothesin esse hoc, quod finguntur esse, entia sunt vera proprie[te]s dicta: si considerentur extra illam hypothesin, non sunt vera entia, sed omnino nihil: illud enim, quod fictio repræsentat, omnino nihil est: quin imo si non sit, nihil non erit ens fictum.

X. Sed enim, ut tandem defungamur in natura Entium rationis indaganda, Quid denique erit ens rationis? Ref. uno verbo. Non est *nihil*, non *ens reale*, sed *medium negationis*, inter utrumque, quale dari disp. præcedens evicit. Non est *ens reale*, quia in rebus oritur solummodo vi mentis rationes entium distinguentes singulæsque singulis conceptibus apprehendentis, prout illud nunc fuse est explicatum. Non est *nihil*, quia intelligi potest: at nihil, quia nihil, intelligi nequit: deinde unum ens rationis distinguitur ab alio; aliud enim est ens rationis, quod *genus*, aliud quod *species* appellatur, aliud quod *subjectum*, aliud quod *predicatum* dicitur, &c. At in nihilo nullum potest esse discrimen. Si objicias, entia rationis intelligi atque inter se distingui, non quatenus sunt entia rationis, sed quatenus distinctæ rationibus entium innituntur; non est difficile, exceptionem istam confutare: licet enim entia rationis sequantur rationes entium, ab iisque habeant diversitatem, adeo ut sine iis, nec esse, nec intelligi, nec distingui possint; non sequitur inde tamen, quod nihil omnino sint: imo sequitur, quia entia rationis rationes entium mentisque nostræ conceptus sequuntur, ea non esse nihil, sed aliquid à rationibus entium mentisque nostræ conceptibus diversum. Atque hæc naturæ Entium rationis, de quibus tam frequens in Philosophia est sermo, enucleandæ satis fecerint.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

V O L U M I N I S S E C U N D I ,

P A R S S E C U N D A ,

D E

## INHÆR. ACCID. ACTVALI.

## T H E S I S I .



Xposuimus disquisitioni publicæ quinquaginta variis de materiis *disputationes*, ex *Philosophia selecta*, in unum postea volumen redacta: sed quia tam fertilis est utilissimarum quæstionum *Philosophia*, ut nunquam defit nova disputandi materia, ne animus & ardor *Philosophia Studiosorum* sufflaminetur, visum fuit de novo alias iterum *materias selige*re, aut jam ante disputatas uberius persequi, aut multas ante *actualias* pertractatas, nunc *accidentias*; easdem tractare: utemur vero jure nostro ac libertate consueta, in manus sumendo, nunc hanc, nunc illam, nunc aliam materiam, prout incidentur; & nulli nos adstringendo, nisi soli & uni rationi, servando semper heroicum illud *Aristotelis dictum*, *amicus Socrates, amicus Plato, (amicus, addo, ipse Aristoteles) sed magis amica veritas.* Afferuimus *Di p. select. vol. preliminary secunda, inhærentiam actualiem & non aptitudinalem, esse essentiam accidentis*, idque *rationibus probatum dedimus*: quia vero in hac veritatem incurvant, *Eustachius, Raco, Toletus, Comibrenses, Suarez, Hurtadus, Ariaga, Oviedo, & qui hodie manibus juventuris teruntur, ex Scholasticorum & Philosophorum vulgo, omnes, ut illa adversus impetum *adversæ partis* præmuniatur, argumenta contraria nunc dissolvimus: præsertim quod hæc *Adversariorum* opinio tanto molimine ab iis defendatur, ut in suo *Transubstantiationis* figura, *accidentia panis & vini post consecrationem sine suo subiecto, consequenter sine inhærentia actuali, existere**

& manere divinitus, tueantur. Sed rem ag-grediamur.

II. §. Obj. 1. *Essentia rei cujusque prior est existentia. Inherentia actualis non est prior existentia accidentis. Ergo, &c.* Resp. 1. Neg. maj. & ratio est, quia essentia respondet quæstioni quid sit, existentia quæstioni an sit; ut ergo n' quid sit, præsupponit, an sit, ita essentia supponit existentiam; imo nihil potest dici essentiam habere, nisi aut existentiam habeat, aut habere, habuisse, vel habiturum, supponatur: ita ut essentia non possit concipi sine existentia: de actuali essentia, seu ea, quæ tribuitur rebus actu existentibus, nihil est dubium: de potentiali essentia, seu ea, quæ tribuitur rebus, non actu sed potentia existentibus, certum quoque est, quia licet essentia rerum possibilium abstrahatur ab existentia actuali, non tamen negat eam, sed connotat, ac semper respectum ad eam dicit; ita ut essentia rebus possibilibus non tribuatur, nisi cum respectu ad existentiam, quatenus res scil. possibles existere possunt aut supponuntur. Resp. 2. Neg. min. quia inhærentia actualis non est tantum, qua accidens actu inhæret cum existit, sed & qua inhærente actu concipitur, cum existere concipitur: sicut ergo prius est, concipere, rem esse, id est, habere essentiam, quæ eam actuet ac constituat in certo entium ordine, posterius vero est, concipere rem essentiam, actuatum, extra causas ponit, ita prius est, concipere, accidens esse, id est, habere essentiam, quæ accidens actuet & constitut in ordine accidentium, non substantiarum, quod facit inhærentia actualis,

Posteriorius vero est, concipere, accidens esse positum extra causas, seu existere: Et sic inhaerentia actualis est prior existentia accidentis.

III. §. Obj. 2. *Relatio aut respectus non est de essentia absoluti. Inhaerentia actualis est relatio aut respectus. Ergo non est de essentia absoluti.* Sed accidens est absolutum quid. Ergo, &c. Resp. ad maj. Relatio praedicalentalis non est &c. Vera est maj. Ad min. Inhaerentia actualis est relatio praedicalentalis. Neg. min. est enim transcendentalis, qualis est inter causam & causatum, subiectum & adjunctum, &c. hoc autem modo omne ens, non tantum accidens, sed & substantia, est relatum quid, quia saltem ad Deum referuntur tanquam ad causam. At haec relatio transcendentalis nihil impedit, quo minus talia relata vere sint entia absoluta: at vero esse ens absolutum & esse relatum praedicalentalis pugnant, quia hujus essentia tota consistit in referri ad aliud, illius non item: idem autem non potest simul referri ad aliud & non referri.

IV. §. Obj. 3. *Si inhaerentia actualis potest abstrahi ab accidente, Ergo non est essentia accidentis. Sed potest abstrahi. Ergo. Resp. Neg. min. non potest, nec abstrahit praeconceptionis, nec negationis. Prob. min. Quorum unum potest concipi, altero non conceptio, ea possunt a se invicem abstrahi, saltem praeceptive: Sed accidens potest concipi non concepta inhaerentia actuali. Ergo. Resp. Neg. min. Potest quidem aliquid concipi & intelligi de accidente, affectio aut attributum aliquod, non concepta inhaerentia actuali accidentis; sed non potest accidentis in sua natura conceptu essentiali intelligi quia accidens, non concepta aut non inclusa in illo conceptu inhaerentia actuali; sicuti non potest concipi homo, nisi in conceptu illo includatur rationale. Prob. min. Quantitas est accidentis. Quantitas potest concipi non concepto subiecto. Mathematicus enim abstrahit quantitatem a subiecto. Ergo aliquod accidens potest concipi non concepto subiecto, seu quod idem est, non concepta inhaerentia actuali in subiecto. Resp. Ad hunc syllogismum multa responderi possunt. 1. Questio est de Accidente in genere, an hoc intelligi possit non intellecta actuali*

inhaerentia in subiecto: hoc autem argumentum agit de accidente in specie, de quantitate. 2. Mathematicus non cognoscit ipsam quantitatem, naturam puta illius accidentis in specie, hoc enim facit Physicus, qui eam cognoscit, ut est affectio corporis naturalis; Sed Mathematicus quedam tantum attributa cognoscit de quantitate, que de ea demonstrat. At nos agimus impræsentiarum de cognitione ipsius Accidentis naturæ. 3. Male confunduntur ista duo; sc. Accidens potest cognosci aut concipi, non cognito vel non concepto subiecto, &c, accidens potest concipi non concepta inhaerentia in subiecto: nam aliud est, cognoscere subiectum, aliud, cognoscere nō esse in subiecto: non requiritur ad cognitionem accidentis cognitio subiecti, sed hoc tamen necessario cognosci debet, quod sit in aliquo ut in subiecto. 4. Distinguuntur potest inter conceptum confusum & distinctum: potest quantitas cognosci aut simile accidentis confusa cognitione, non concepto subiecto, sed ejus natura distincte cognosci nequit, nisi cognito aliquo subiecto, & eam esse accidentis cognosci nequit, nisi simul cognoscatur eam esse in aliquo subiecto. Disputari hic posset, an quantitas sit verum accidentis: Verum illud nunc supponimus, quod tamen falsum esse seq. disp. demonstrabimus.

V. §. Obj. 4. *Si inhaerentia actualis sit essentia accidentis, Ergo accidens necessario semper in subiecto. Sed hoc est falso. Ergo & illud. Resp. 1. Neg. min. Nam accidens necessario in aliquo semper est subiecto, sc. cum est: cum enim non est, nihil mirum est, quod non sit in subiecto. 2. Neg. maj. Nam non sequitur: si actualis unio cum materia sit essentia formæ, Ergo necessario forma semper unitur: si actu per se existere sit essentia substantiae, Ergo necessario semper substantia actu per se existit: sed id sequitur: quod substantia, cum erit, actu existet per se, forma, cum erit, actu unitetur: sic & accidens, cum erit, actu inhaerbit subiecto. Et notandum est, quando essentia aut pars essentiæ dicitur de essentiato, animal aut rationale de homine, per se existere de substantia,*

stantia , esse in subiecto de accidente , quod inde non sequatur , res illas necessario existere , quia veritas talium enunciationum necessariarum non fundatur in existentia sed in connexione necessaria extremorum , & necessitas talium enunciationum non est absolute sed hypothetica : non enim dico , hominem necessario existere , cum dico , homo est animal , sed cum existet , extitum animal , & non aliam entis speciem : sic non dico , accidens necessario existere in subiecto , aut substantiam extra subiectum , cum dico , accidens actu inhæret subiecto , aut , substantia subsistit per se , sed dico , cum accidens existet , inhæredit actu , & cum substantia existet , subsistet per se .

VI. §. Object. 5. Existentialia non est de essentia alicuius entis . Inherentia actualis est existentialia accidentis ( aut modus saltem existentiae ) Accidens est ens creatum . Ergo . &c. Respond . Ad hoc argumentum , sic satis intricatum , non nulli respondent , negando majorem cum distinctione essentiae dicunt : Existentialia non est de essentia actuali alicuius entis creati , falsum est . Existentialia non est de essentia possibili entis creati , verum est . Sed mihi quidem ista distinctio non satisfacit : Nam essentia possibilis seu entis in potentia est eadem cum actuali seu entis actu : eadem enim est essentia rosa nunc non existens , & ex parte existens . Quare si existentia sit de essentia actuali entis creati alicuius , erit de possibili ejusdem essentiae . Ego malim dicere ad majorem , eam male proponi : Nam quid hoc est dicere ? existentia est de essentia entis creati . Aut significat idem esse existentiam rei creatae , quod est essentia ejus , aut , idem concipi concepta essentiae , quod concipiatur concepta existentiae : utrumvis dicant , nisi multum distinguant , inepte loquuntur , si non falso . Est quidem existentia idem cum essentia , quatenus non est res aut modus alias distinctus ab essentia , non tamen idem significat essentia quod existentia : nam essentia respondet questioni , quid est , existentia , an est , que ut diversa sunt questiones , ita diversimode ad eas respondetur per essentiam & existentiam . Deinde essentia indifferenter competit enti

in actu & in potentia : existentia non nisi in actu in actu : unde , secundum si dicant , idem concipi concepta existentia , quod concipiatur concepta essentiae , falsum dicunt : sunt enim plane dissimiles & diversi conceptus essentiae & existentiae in rebus creatis , quae dissimilitudo & diversitas fundatur in indifferencia ista essentiae ad non actu esse & potentia , quae non item convenient existentiae , & in diversitate questionum , an sit & quid sit . Resp . 2. Neg . prius membrum minoris : Nam inherentia actualis non sumitur hic a nobis hoc sensu , quasi significet absolute , accidens semper inhæret : sed hypothetice , cum est , tum inhæret : nam cum non est , tum non inhæret : itaque actualis inherentia non significat actualiter constitutionem accidentis extra causas , sed significat naturam modumque accidentis , qualis sit natura accidentis futura , cum illud extra causas constituetur , quomodo se sit habitur , an per se sit extitum , an in alio ut subiecto futurum . Clarius & uno verbo . Inherentia actualis dicitur , aut qua actu inhæret accidens , cum sc . existit , aut qua actu inhæret concipiatur , cum non quidem existit , sed existere aut extitum concipiatur . Atque ex hisce haud difficulter solvitur fequens argumentum .

VII. §. Obj. 6. Si inherentia actualis sit essentia accidentis , Ergo , quando actu non inhæret , non habebit essentiam . Sed hoc est absurdum , quia entia , cum actu non sunt , habent tamen essentiam ; hec enim abstrahitur ab existentia . Resp . Neg . conseq . Quia per inherentiam actualem , quam dicimus esse essentiam accidentis , intelligimus , non tantum inherentiam , qua actu & de facto inhæret subiecto , cum est atque existit , sed &c , qua actu inesse concipiatur , cum existere aut fore concipiatur : Inherentia enim actualis dicitur eo sensu , quod omnis essentia non-nullis Philosophis dicitur actualis , non quod omnis essentia semper existat , (est enim essentia quadam potentialis , quam res non-existentia habet) sed quia omnis essentia semper actuat , sive sit entis in potentia sive entis in actu , i. e. esse & esse tale largitur in certa specie , licet res essentiata .

sentiata nondum existat, quod patet exemplo rofæ & hominis, quæ per essentiam actuatur, i. e. in certa classe collocantur entium, licet nondum existant: sic inherentia dicitur actualis, quia de facto ac revera actua accidentis, i. e. in certo genere entium reponit, ut cunque nondum existat. Et, ut summatim omnia complectar, Essentia accidentis dicitur consistere in inherentia actuali, non hoc sensu, quasi accidentis essentia sit, semper actu esse atque existere, & sic actu inherere, sed sensus est, ut ante dixi, hypotheticus. sc. Accidens si est, est in subiecto actu: cum dicitur essentia hominis consistere in actuali unione animæ & corporis, non ea phrasi significatur, animam semper actu uniri corpo-

ri, aut hominem semper existere, sed hoc tantum innuitur, quod non posse concipi hominis essentia, nisi concipiatur unio (non possibilis, tum nondum concipitur homo) sed actualis, quemadmodum non potest concipi forme materialis essentia, nisi ejus concipiatur actualis quoque cum aliqua materia unio: ita quoque inherentia actualis est essentia accidentis, quatenus hæc concipi nequit, nisi concipiatur ejus inherens actualis in subiecto, quod erat demonstrandū. Eustachii, Raconis, Conimbricensium Objectiones alias refutat Ecclesiæ Cleracensis in Gallia Pastor, Vir Doctissimus, D. Petrus Fitanus Solon, in divine ac transnaturalis sue Philosophiae Exercitationibus nobilissimis, quæ non satis possunt commendari.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

S E C U N D A,

D E

## QVANT. IDENT. CVM MAT.

T H E S I S I.

**S**upposuimus Disp. præced. Quantitatem esse accidentis entitatem ac re ipsa distinctum à substantia: quæ quidem vulgaris est Philosophiæ sententia. Verum enim vero, ut multa sunt in eâ recepta quidem, non tamen protinus vera, ita se esse res quoque hic habet: neque enim quantitas (intellige continuam, de qua nobis sermo est tantum) realiter nobis distinguuntur à materia, neque diversum ab ea ens esse videtur: quod nullos dubios probatum imus.

II. §. 1. Si quantitas sit ens realiter distinctum, oportet istius distinctionis realis assignare aliquid fundamentum. Sed illud assignari non potest. Ergo. Prob. min. Vel enim fundamentum illud est, in separatione reali quantitatis à materia, vel est in diversitate conceptuum realium. Sed neutrum dici potest. Ergo. Min. prob. Quia quantitas sine

materia, aut materia sine quantitate reperta nunquam fuit, quin ne reperi quidem potest: Nam quod hic rarefactionis & condensationis exemplum proferant quidam, ad id dicimus, vel quantitatis tantum terminos mutari, manente eadem quantitate ipsa, vel rarefactionem fieri per appulsum novarum particularum aut corpusculorum, & condensationem per earundem aut eorundem expulsionem, & sic manere eandem corporis, quod rarescit aut condensatur, quantitatem, quæ fuit prius. Et sane, si quantitas aut existit aut existere potest separata ab omni materia, atque illa fuerit accidentis ex sententia *Adversarij*, utique accidentis existet aut existere poterit extra subiectum suum, cuius contrarium, & Disp. select. Vol. 1. Disp. præliminari secunda, & hujus Vol. Disp. præced. est demonstratum. Si materia potest existere aut existit sine quanti-

quantitate, subjectum poterit existere aut existet sine proprietate. Sed subjectum & proprietas separari nequeunt, quia se se mutuo ponunt & tollunt, habent enim se ut causa emanativa & effectum, quod alias fuit ostensum. Ergo. Si realis distinctio quantitatis à materia fundetur in diversitate realium conceptuum, profecto ex hac diversitate conceptum, non potest deduci diversitas essentiarum; nam de re una eademque possunt formari conceptus reales vel realiter diversi; Deus enim potest concipi, ut ens, ut bonum, ut verum, ut sapiens, ut vivens, neque tamen entitas, bonitas, veritas, sapientia, vita, dicunt diversa in Deo entia. Sic Petrus concipitur, ut homo, ut animal, &c. neque tamen, humanitas & anima-  
litatis &c. dicunt diversa in Petro entia. Itaque diversitas conceptuum non arguit diversitatem rerum, sed modorum tantum, aut, ut lo-  
quuntur vulgo, formalitatum, seu rationum formalium, aut quidditatum.

III. §.2. Si quantitas sit ens à materia realiter distinctum, aliquam entitatem superad-  
det substantiali entitati materiae. At quæ hæc  
erit? vel superaddet materiae partes, vel di-  
stinctiōnem partium, vel divisibilitatem, vel extensiōnem. Sed nihil horum. Ergo. Non  
superaddit materiae partes Quantitas, licet sic  
sentiant plerique Thomistarum: quia materia  
ex se & per se seu per suam entitatem, non au-  
tem per aliud ens à se distinctum realiter, par-  
tes habet: alioquin materia ex se & per se seu  
per suam entitatem esset simplex & indivisi-  
bilis, quia simplex dicitur, ens partibus carens,  
& indivisible, quod non habet partes, in quas  
possit dividī: At materia ex se & per se, seu per  
suam entitatem, non est simplex & indivisi-  
bilis: sic enim in essentia sua non distingueret-  
ur à spiritu, & corpus, materia hominis, quoad  
entitatem, non distingueretur ab anima ratio-  
nali: & totius Oceanii materia non haberet  
plures partes quam una maris gutta, sc. utraq;  
ex se: nam quod nullas partes habet ex se, ut  
materia, ex sententia Adversariorum, illud  
non habet plures partes, quam aliud: & mate-  
ria Oceanii esset tota in toto & tota in qualibet  
parte: nam quod indivisible est, ubi est, ibi  
est totum per essentiam: & materia elephan-

tis non erit capax recipiendi plures partes  
quantitatis, quam materia musca; si enī  
materia est ex se simplex & indivisibilis, & qua-  
le habet capacitem recipiendi quantitatē:  
& quales erunt istæ partes, quas materiae  
superaddet quantitas? vel substantiales, vel  
accidentales? Si substantiales, Ergo quantitas  
ipsa non erit accidens, sed substantia, aut fal-  
tem identificabitur cum ea, neque erit ens dis-  
tinctum ab ea: quod enim est accidens, illud  
non potest dare esse substantiale substantię.  
sc. formaliter, ut hic fieret. Si accidentales,  
Ergo materia erit accidens: nam partes identi-  
ficantur cum toto, vel adæquate, vel inadæ-  
quate: accidens autem nullo modo potest  
identificari cum substantia.

I V. Sed nec quantitas dat materiae distinctio-  
nem partium. Nam quod substantia, quæ est  
sub quantitate manus, fit alia & distincta, quam  
quæ est sub quantitate pedis, (una enim po-  
test corrumpi altera permanente) id non est à  
quantitate, distincta ab ipsis substantiis illis  
partialibus corporis: quia, sicut res quælibet  
per se ipsam est ens, ita per se ipsam est unum  
ens, i.e. indivisum in se, & divisum, seu distinctum,  
à quilibet alio: nam ens & unum non  
distinguuntur re ipsa: ideoque, cum quælibet  
pars materiae per se ipsam sit ens, etiam est una  
per se ipsam; atque adeo per se ipsam est in-  
divisa in se, & divisa à qualibet alia parte ma-  
teriae: ergo non per quantitatem distinctam à  
se realiter. Et, quid est, esse res distinctas?  
nihil aliud, quam, hanc esse hanc, & illam esse  
illam: At partes materiae per se ipsas habent,  
ut hæc sit hæc, & illa sit illa, atque adeo hæc  
non sit illa. Ergo partes materiae per se ipsas  
distinguuntur, & non per quantitatem reali-  
ter ab iis distinctam.

V. Sed nec quantitas addit materiae divisibi-  
litatem: atque hoc fluit ex precedentī: sic enī  
argumentamur. Quicquid habet partes  
distinctas ex se & non per aliud, illud est divisi-  
ble in eas per se & non per aliud. Sed mate-  
ria habet partes distinctas per se & non per  
aliud. Ergo & est divisibilis in eas per se &  
non per aliud; consequenter, divisibilitas non  
est à quantitate, ut illa est ens aliud distinctum  
à materia.

VI. Sed nec quantitas superaddit materiae extensionē. Quia per se ipsam est extensa materia, & non per aliud à se distinctum: nam quantumvis illa mutetur, quin annihiletur atque auferatur quoendem est in materia, calor, color, odor, & omne quod in ea invenitur ac cogitari potest, modo remaneat materia, manebit & quantitas, quia manet extensio: & hæc manet, quia manent partes extra se invicem: & hæc manent extra se invicem, quia, annihilato quoconque tandem alio, partes materiae, v. c. ceræ, aut corporis humani, remanebunt eodem loco, quo erant ante annihilationem. 1. Excipit *Ruvius l. 1. Phys. c. 3. quæst. 2.* annihilata quantitate alicujus materiae, putaceræ aut corporis humani, eas confluxuras in punctum. Resp. Annihilationem, sicuti & creationem, fieri in instanti. Ergo annihilata quantitate alicujus materiae, ejus partes, v. c. corporis humani caput & pedes, confluerent in punctum in instanti: punctum vero illud distat à capite ac pedibus: quomodo ergo possunt partes fluere ac moveri (nam hic motus aliquis concipi debet localis) ad punctum à se distans in instanti? hoc explicet *Ruvius*. Non fit, nec fieri potest, transitus ab uno extremo ad aliud, nisi per medium: & fluxus iste partium materiae ablata quantitate ad punctum distans, cum sit motus localis, necessario erit successivus: Ergo non fit, nec fieri potest in instanti. Et punctum illud imaginarium tantum est ac Mathematicum: neque alicujus substantiae materialis, nedum plurium materiae partium, capax, neque plures partes materiae intra angustias Mathematici puncti contineri possunt: &, cum punctum sit indivisible, quomodo id continebit plures materiae divisibilis partes divisas? 2. Excipit *Suarez Disp. 40. Metaph. scđt. 4. Hurtadus Disp. 13. Metaph. scđt. 4. Ariaga Disp. 5. Metaph. scđt. 1. & Jesuite alii*. Ablata aut annihilata quantitate, partes materiae, v. c. corporis humani, remanebunt eodem loco atque antea, & retinebunt extensionem, non quantitativam sed entitativam: aut si partes ponantur in eodem loco, & se penetrorent, non retinebunt extensionem externam, actualiem, in ordine ad locum, sed tantum internam, aptitudinalem, in

ordine ad se. Resp. 1. Extenso interna, opposite ad externam, est extensio facta & chimærica. 2. Nec extensio entitativa, opposite ad quantitativam, datur in rerum natura. 1. Extenso externa est multitudo partium acti diversa loca occupantium: unde vocatur extensio partium in ordine ad locum. Extenso interna est multitudo partium in eodem loco existentium, unde vocatur extensio partium in ordine ad se. Sed hæc posterior contradictionem dicit in adjecto, & ponit oppositum in apposito: Nam extensio non est extensio, nisi partes sint extra se invicem, una extra aliam, & sic ab omnibus Philosophis definitur: sed quæ extenduntur tantum extensio interna, non habent partes extra partes, sed intra partes: nam non occupant spatium divisibile, sed sunt in puncto indivisibili: at in puncto partes non sunt extra se invicem: & implicat, partes, materiae, v. c. humani corporis, esse extensio, & esse in puncto: stultum quippe est, ponere pedes ubi est caput, &c. quare illa five interna, five aptitudinalis, five partium in ordine ad se extensio, est στοχεύλας, figuramentum, contradictionem involvens. 2. Extenso entitativa est illis multitudo partium naturaliter penetrabilium: quantitativa est multitudo partium naturaliter impenetrabilium. Sed Resp. 1. ad hominem argументando. Quantitas est entitas, & ens, & accidentis, distinctum à substantia & materia, ex hypothesi *Adversariorum*. Ergo extensio quantitativa est entitativa: Male ergo opponuntur. 2. Corpus & spiritus in hoc potissimum distinguuntur, quod spiritus sit penetrabilis cum qualibet alia re, quia caret quantitate, corpus sit substantia impenetrabilis, quia habet quantitatem; At, si corpus esse possit cum sola extensio entitativa, non erit substantia impenetrabilis: nam illa penetracionem non impedit: & sic nullum erit discriberem inter substantiam materialis & immaterialis, quod est absurdum. 3. Hæc duplex extensio utrumque distincta, plena est absurditatum & contra omnem rationem. Quandoquidem extensio entitativa non impedit penetrationem, ut volunt *Sophistæ*, ponamus, Deum annihilare quantitatem hujus mundi,

nihil

nihil novi agendo circa ejus substantiam, quam faciunt realiter distinctam à quantitate; mundus ita remanebit eodem loco, ut tamen omnes ejus partes se invicem penetrare possint, nec loco aut spatio distinguantur; sic poterit totus mundus cum omnibus partibus suis poni sub ungue meo; & mons ac camelus poterunt intrare per foramen acus, quod tamen ~~adūnū~~ censetur in Euangelio: & unus homo poterit ebibere universum mare, si ponamus, maris omnes partes se invicem penetrasse, quippe, quæcum omnes contineri possunt uno scypho; si enim in puncto, multo magis in scypho: atque idem homo possit simul comedere centum boves, si ponamus iterum eorum partes entitative tantum extensas se se invicem penetrasse, aut penetrasse frustum panis; & sic vel centum alias absurditates ex hac fictitia extensione entitative colligere datur. Quin & contra sensum est: supponamus enim ferrum aliquod, habens extensionem entitativam, non quantitativam, omnibus tamen qualitatibus suis prædictum, atque inter eas ponamus in ferro duritatem. Durum autem definitur id, quod difficile cedit tactui; & quod resistit manui prementi: sicuti molle definitur id, quod facile cedit tactui, nec resistit manui prementi. At, si ferrum illud penetrare possit manum tangentem ipsum & prementem, non resistet manui prementi nec tactui: & sic durities ejus sensu percipi nequibit. Iterum, ponamus terram tantum entitative, & non quantitative exten-

sam: ponamus omnes ejus partes penetrari inter se & cum nuce aliqua: tota terra erit inclusa nuci: at cum terra sit gravis, omnes eius, boves, camelii, & omnia animalia simul juncta, non poterunt trahere aut de loco movere istam nucem, propter resistentiam, quam faciet terra, nuci inclusæ, gravitas. Denique hoc ratiocinio rem conficiamus. Si detur duplex extensio, una entitativa, quam habet materia ex se, altera quantitativa, quam habet à quantitate realiter distincta, cur non liceat fingere duplēcēm subsistentiam, unam entitativam, quam habeat substantia ex se, & per quam constitutur in esse substantia, per se subsistentis, alteram qualitativam, quam habeat à qualitate realiter distincta, & per quam substet accidentibus, aut aliis prædicatis? cur non liceat fingere duplēcēm rationalitatem, unam entitativam, quam homo habeat ex se & per quam constitutatur in esse hominis, alteram qualitativam, quam habeat à certa quadam qualitate, & per quam ratiocinetur? Si ridiculum est, ut revera est, ponere duplēcēm ejusmodi subsistentiam aut rationalitatem, æque est absurdum, ponere duplēcēm extensionem. Ergo, ut concludamus, una tantum est extensio, & ea actualis, externa, quantitative, partium in ordine ad locum, & non distincta realiter, nec diversum ens ab ipsa materia: quod utrumque ut demonstrandum erat, ita nunc demonstratum est. Argumenta decem Pererii, I. 10. c. 1. sua Physicæ generalis, & aliorum, refutabit ~~ārēndō~~.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

T E R T I A,

D E

ARISTOT. SUMMI BONI & VIRT. DEFINITIONE,  
& VIRTUTUM CONNEXIONE.

## T H E S I S I.

D Uplex fere res *Ethicas* tractandi est ratio, tur per virtutum & vitiorum ~~παραγόμενην~~  
~~διαγένεσιν & διαδείξιν~~: illa institui- & per præcepta, hortationes, ac monita, que,  
C c 2 quid

quid sit faciendum , quid fugiendum , propo-nunt : hæc virtutum vitiorumque definitio-nes , divisiones , causas , effecta , adjuncta , opposita , & quæcumque ad accuratam expli-cationem faciunt , adducit . Priorem agen-dationem secuti sunt Socrates , Plato , Epictetus , Plutarchus , Cicero , Seneca , & historiarum , apologorum , comediarum , ac tragediarum scriptores : posteriorem viam ingressi sunt , Aristoteles , Thomas , Bonaventura , Scotus , Ca-jetanus , & tota Scholasticorum , Summiſtarum , ac Sententiariorum caterva . Hi morum origi-nem ac naturam diligenter perscrutati , subti-liter de virtute & vito disputant : illi virtutem & vita non tantum explicant , sed p̄fertim ad illam adhortantur , ab hisce dehor-tantur , mortale hominum genus . Quamvis autem inutilis sit Philosophia Præctica docen-dæ modus , qui nec virtutia amolitur , nec virtutes format ; quemadmodum Medicinae nullus est usus , quæ valetudinem non expallat adver-sam , nec reducat prosperam ; (est vero Ethica animi humani pharmacum veluti & Panacea) mos tamen nunc obtinuit ferme , ut magis de rebus moralibus disputetur , litigetur , quam ut de iis ad vitam recte instituendam præcep-ta tradantur : atque hæc consuetudo invaluit magis , postquam Caralus Magnus , Authoribus aliis rejectis , Aristotelem solum in Scholas introduxit atque Academias , quas vel fundavit , vel privilegiis bonisque auxit ac locupletavit , duratque etiamnum , postquam in Aristotelem eundem , tanquam in Philosophando Duxem , & Philosophorum veluti Deum quendam , con-verse sunt Academæ omnes atque Scholæ Il-lustriores .

II. Possem hic multis istud κακῶντες deter-gere , & noxam revelare : nam Philosophia moralis , non mentis est exercitatio , sed per-turbationum medicina : est ratio recte vivendi , non subtiliter disputandi : diligens contemplatio passionum non pellit timores , non temperat cupiditates , non reprimit iras : nec minute in pervertiganda essentia Virtutis sub-tilitates , nec acuta difficultatum de Virtutis subjeccio spinae & tricæ , animum à mōribus suis & vitiis extricant aut liberant , nec homines reddunt fortes , temperantes , mansuetos , ju-

tos : Philosophus vero Moralis , inter sapientiæ sua opera detinetur , non inter vocabula , ma-vultque iuste agere , quam de iustitia propriæ & dilucida definiitione litigare ; & revera , ri-mari definitiones , solvere objectiones , distin-guere ambiguitates , neminem facit meliorem : hic tamen Ethicæ finis est scopusque . Sed vero quam sit infelix Aristoteles dux in rebus ipsis Moralibus tractandis , quam ad ejus du-ctum non possint se se hodie componere do-centes ac discentes , uno altero specimine explicatum dare , operæ fuerit pretium : quod non odio inseſtandi Philosophum fiet , sed ut eorum hodie tantum sententiam exploda-mus , qui soli Aristoteli consecrari , tanquam mancipia , Philosophos omnes , volunt , in Phi-losophia tam Theoretica quam Præctica : quod , quam fiat iuste in posteriori , age ostendatur .

III. Ordinur à fine ultimo & Summo bono . Hoc secundum Aristotelem , est actio virtutis . Sed vero actioni secundum virtutem cum vera & suprema felicitate nihil est commune . Felici-tas illa est stabile quid , & ut Aristoteles loqui-tur ipse , μένειον , permanens quid : sed actio statim evanescit : atque ea desinente , homo desineret esse felix , felicitatemque veluti ve-stem deponeret , alia actione resumturus . Felicitas est bonum τέλος , omni ex parte inte-grum atque perfectum : sed virtutis actio non est talis , neque enim omnis simul est , aut tota codem tempore exercetur , sed una actio alteri succedit . Felicitas est ultimus finis : sed actio non est finis , verum via ad finem , cum sit mo-tus : at omnis motus habet aliquem finem , sc. terminum , ad quem tendit : unde hic potius est finis ; & actio , non felicitas , sed via est ad felicitatem , & , si licet sic loqui , felicitatio . Et ipse Aristoteles hoc fundamentum jecit in proœmio Ethicorum , cum dicit , Omnis actio bonum quoddam expetere videtur : atque hoc fundamentum non debebat postea convelte-re , sui oblitus , ponendo felicitatem-in-actione , sed ponere eam debuisse in illo bono , quod per actionem expetitur , & acquiritur , ac possidetur : & fane , nemo agit , ut agat , sed ut aliquid consequatur , nec bibit quis , ut bibat , sed ut fitim pellat , nec fortiter quis pugnat , ut pugnet , sed ut provideat civium salutis &

Reip.

Reip. bono. Quare non actio consentanea virtuti est felicitas, sed aliud quid.

I V. Sed videamus, an felicior medii ad summum bonum obtainendum, sc. *Virtutis*, naturam exposuerit *Aristoteles*. Ait, *Virtutem esse habitum cum recta ratione electivum*: sed hic iterum ex se ipso refutari potest: nam si felicitas est actio secundum virtutem, ergo virtutem debuissest definire habitum agendi, seu electivum, non eligendi, seu electivum, ad felicitatem comparandam: præterea non ex pluribus electionibus, sed ex pluribus actionibus *Aristotelici* generatur Virtus; neque tamen excludi volumus, habitum eligendi aut electionem, à virtute, nam qui habet agendi habitum, habet etiam eligendi; sed hoc est quod dicimus, non in habitu eligendi sed in habitu agendi esse fidam virtutem, quippe inter electionem rectam & actionem, ut quidem illos actus distingunt, unum ut elicitum & internum voluntatis, alterum ut imperatum & externum, *Aristotelici*, impedimentum potest cadere, interveniente sc. cupiditate, vel ira, vel simili affectu: Et in homine incontinentie, ut eum describit *Philosophus*, est recta ratio & recta electio (nam recte cognoscit recteque eligit,) non tamen est virtus, quia aliter agit, quam cognoverat & elegerat.

V. Dices. Extat alia definitio Virtutis apud *Aristotelem*: definitur enim ipsi, *Mediocritas circa perturbationes & actiones*. Sed hæc descriptio potius est qualisunque. Ac primo, mediocritas circa actiones non est differentia virtuti propria, sed ei cum artibus omnibus communis; omnes quippe artifices excessum vitant & defectum in agendo. Secundo, non est virtus mediocritas circa passiones, nisi ex accidenti. Quemadmodum enim medicina non est proprie mediocritas circa medicamenta & alimenta, sed habitus restituendi valitudinem, ita v. c. mansuetudo non est mediocritas inter multum & parum irasci, sed est habitus recte tuendi se ab externis injuriis. Addimus, mediocritatem hanc nihil esse aliud, quam privationem excessus & defectus: sed privatio, habitus forma esse nequit: &, forma virtutis est posita in conformitate quam habet ad suam regulam, rectam ratio-

nem, aut legem naturæ: hæc vero conformitas, nec semper, nec solum, nec præcipue, consistit in mediocritate: denique virtus non admittit excessum, qua talis est, neque enim potest nimis intendi, nam quod dicant, *virtutes quasdam modum excedere, cum exercentur, quando non debent, in quod objectum non debent, loco & tempore, quo non debent*, &c. Reip. ibi excessum committi, vel in materiali illo, quod virtus commune habet cum vitiis, vel in circumstantiis tantum actionis: At dicunt, *Virtus est mediocritas circumstantiarum, & in iis tenenda*. Sed hæc plane initabilis ratio est mediocritatis: cum virtutis ratio stabilis & fixa debuisset assignari: nec satis erat, dicere, *agendum esse, ubi, quando, & quantum oportet*, &c. Sed docendi erant homines, quoniam modo esset agendum: quod non facit *Aristoteles*, sicut idem quoque de *consultatione* differit quidem & *electione*, sed non docet, quomodo consultandum sit aut eligendum: itaque si voluisset *Philosophus* nos certis fixisque vestigiis quasi manu ducere ad cognitionem perfectam virtutis, tubantem istam, vagam & inconstanter mediocritatem, à circumstantiarum variantium varietate dependentem, tanquam vinculo aliquo constringere, figere, & claris ac constantibus notis eam reddere intelligibilem, debuisset: quemadmodum in medicina, non tantum dicitur, activa esse applicanda passivis, contraaria esse contrariis curanda, sed docetur insuper, quenam sint uni morbo, quenam alteri tollende necessaria: ita in *Ethica* dicendum non tantum est, agendum esse, ubi, quando, & quantum oportet, sed & docendum est, quo modo in singulis virtutum actionibus sit procedendum: ut merito juuissimoque jure de se ipso dixerit *Philosophus*, se in libris suis, non pinxit esse virtutem, sed ut figuram quandam, pingui tantum Minerva, adumbrassem. Atq. hæc si sic se habeant, quam præclare locaverit fundamenta Philosophiae moralis *Aristoteles*, qui nec finem ultimum vere assignavit, nec medium ejus, virtutem, vere explicavit, cæcus est qui non videat: quid exspectandum est, de toto edificio & structura integra *Ethicae doctrinæ*, cuius fundamenta tam male sunt iacta: sed specialia erroris in *Aristotelis* moralibus speci- mina,

mina, extant non pauca: pro multis unum sumamus.

V I. Docet Aristoteles, *Virtutes omnes stabili connubio esse inter se se juntas ac connexas, ut qui unam habet, habeat & reliquas.* Sed haec intentia ab ipsa experientia, à communi hominum opinione, & à recta alborret ratione: nam experientia non tantum in singulis hominibus, sed in populis totis, alias atque alias existere virtutes demonstrat. *Spartani fortis erant ac temperantes, sed injusti; Massilienses, justi ac temperantes, sed non fortis; Romani fortis ac justi, sed non temperantes.* Alexander fortis fuit, sed intemperans. Sed & ratio repugnat, ex ipsa Aristotelis hypothesi deducta: si enim virtutum habitus ex frequenti actuum exercitio fiunt, pauper aliquis per totam vitam, evadet quidem temperans, sed nunquam liberalis; & alius, cui per omnes vitae annos occasio deest fortiter aliquid agendi, nunquam evadet fortis: & cum tam multæ & tam diversæ sint virtutes morales, quis in omnium & singularum actibus exerceri possit, præsertim, cum multis natura, multis materia, multis occasio defit, eas exercendi. Dicunt, *omnes virtutes, una prudentia, tanquam communi vinculo, copulari:* sed hoc probandum prius erat, esse unam prudentiam, qua ceu communi vinculo copulentur virtutes: quid si dicamus, in tot species prudentiam esse dividendam in quot dividitur ipsa virtus, & aliquem esse prudentem in bello, qui non sit in eroganda pecunia, & alium esse prudentem in cibo potuque usurpandis, qui non sit in suum cuique tribuendo: itaque tam diversi sunt prudentia gradus & species quam Virtutis, & falsum est, prudentiam, virtutum Moralium omnium normam ac directricem, esse unam secundum speciem specialissimam: sed dato, non concessio, quod sit talis: non sequitur, ideo virtutes omnes esse inter se connexas: sicut non sequitur, omnes lineas ducibiles ad idem centrum, esse connexas, quia potest fieri, ut non actu ducantur; ita quoque possunt omnes virtutes esse copulabiles cum prudentia, ut tamen non omnes actu copulentur, quia non omnes virtutes acquiruntur à nobis in hac vita, imo ne fieri quidem potest, cum sic redde-

remur perfecti: at ne sanctissimis quidem hoc contingit, quia regeneratio in hac vita est imperfecta: sed hanc ignoravit Aristoteles, ideoque virtutes omnes actu connecti dixit 7. Eth. c. 1. si non in gradu continentiae, aut temperantiae, ut loquuntur Scholastici, saltem in gradu excellentiae seu heroico: unde iudicium gradus Virtutis assignant tres, unum incipientium, alterum proficiuntium, tertium perfectorum: in primo statu, passiones vehementer insurgunt in rationem, sed ipsa vehementer quoque resilit; in secundo pacatores sunt passiones, minorque est earum & rationis pugna: in tertio plane repressae sunt & subactae passiones, & nulla amplius est earum & rationis lucta. Atque, ut sic Gentilis philosophetur Aristoteles, condonari potest, qui corruptionem naturalem ignoravit, sed ut sic philosophetur Christiani, uti fecere Scholastici, atque utinam non alii quoque & quidem Reformati, peccatum est irremissibile: nisi funditus hi homines labem tollant originalem, quod facere videntur, cum perfectionem in bene faciendo, quam lex exigit, & ultra quam exigit, homini, in operibus puta supererogationis, attribuunt: hunc tamen errorem non aliunde hauserunt quam ex Aristotele, cui nimium mordicus adhaerent.

V I I. Aristoteles quidem 6. Eth. ad perfectionem actionis recte moralis requirit, 1. Ut ratio practica vere judicet de expetendo & fugiendo. 2. Ut appetitus cum illo vero judicio consentiat, id est, ut appetitus prosequatur, quod ratio expetendum prescribit, ut aversetur idem, quod fugiendum eadem jubet: quoties haec duo concurrunt, perfecta est virtus. Contra, si ratio occurrata judicat turpia esse prosequenda & honesta fugienda, atque appetitus cum illo erroneo judicio consentit, perfectum est vitium: sed evenit plerumque, ut ratio & appetitus disideant, & ut, cum ratio recte judicat, appetitus tamen repugnet & reluetetur: quod si in illo conflicit ratio vincit, & appetitum, licet renitentem, sibi parere facit, est semivirtus, quæ Aristotelii vocatur continentia: si ratio vincitur, & passiones faciunt contrarium recte rationi, est semivitium, & vocatur Aristot. incontinentia: sic ex quadruplici combi-

combinatione rationis & appetitus , derivat Aristoteles virtutes & semivirtutes & semivitia , & Scholastici suum triplicem virtutis statū , continentia seu incipientia , temperantia seu proficiētia , excellentia seu perfectiorum .

VIII. Verum non ex qualibet combinatione principiorum cogitabili per intellectum existit principiatum , sed tantum ex combinatione possibili à parte rei . Atqui illa prima combinatio rationis rectæ & appetitus recti , qua tollit omnem pugnam eorum inter se , & virtutem collocat in statu excellentia , hominesque reddit perfectos , non reperitur in ullo subjecto , ne in sanctissimis quidem , qui tantum habent exilia initia hujus perfectio-

nis : & est virtutis tantum idea , & perfectio , non possibilis , sed excogitabilis tantum , & non reale ens , sed ens tantum rationis , ab ea factum factumque , qualis est resp . Platonis in 10. ejus libris descripta : at vero Philosophandum fuerat Aristotelis & Scholasticis de Virtute , non uti erat in idea & imaginatione , sed ut invenitur in hominibus . Et qui hanc Aristotelis & Scholasticorum retinent opinionem de virtutum connexione ex Philosophis nostris , illi imprudenter ea collocant fundamenta in Philosophia , quæ sunt nocumenta in Theologia : quod sedulo est cavendum . Alia specimen & plura Aristotelis errorum circa res Morales nunc exponere non libet .

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

Q U A R T A ,

D E

## ACCID. DISTINCT. à SVBST.

### T H E S I S I.

**Q**uantitatatem continuam seu Magnitudinem , non esse accidens aut ens à substantia quanta seu materia realiter distinctum , demonstravit hujus Curriculi Disputatio Secunda ; nunc idem de Quantitate discreta seu Numero , Tempore , Qualitatibus , ceterisque Accidentium speciebus , demonstratum imus .

II. Ac Numerum quidem ex numero verorum entium , & Accidentium realium , exemerunt multi ex ipsis Peripateticis : ex antiquioribus Aureolus & Gregorius Ariminensis , ex modernis Fonseca l. 5. Metaph. cap. 13. quest. 4. Suarez disp. Metaph. 42. Conimbr. ad cap. 3. l. de Categoris qu. 2. art. 1. Horum ratiocinia eo contendunt , ut probent , numerum quantitatem non esse , nec veram ejus speciem , aut quia non sit ens reale , aut quia non sit ens per se unum : at quod in aliqua Categoría , ut species , collocatur , debet esse ens reale & unum per se . Numerum non esse ens

realē , probant sic . Quod ex puris negationibus constat , non est ens reale . Sed numerus ex puris constat negationibus . Ergo . Prob. Min. Quod ex meritis constat unitatibus , constat ex meritis negationibus : quia unitates sunt negationes : nam ideo unumquodque unum dicitur , quia est non divisum ac non distinctum à se : esse autem non-divisum , aut non distinctum , est negatio . Affumo . Atqui numerus constat ex unitatibus . Ergo . Adversarii , ut numerum ens reale tueantur esse , ajunt , eum esse speciem quantitatis tanquam accidentis realis , non quidem univocam , sed tamen analogicam . Resp. 1. supponunt , omnem quantitatem esse ens & accidens reale ; quod est *non sequitur* , imo falsum : nam si continua non sit talis , ut probatum est Disp. sec. nec discreta sit talis , ut jam probamus , utique nulla est talis . 2. juxta doctrinam Aristotelis & Aristotelicam , species Analogæ in Categoris non recipiunt

recipiuntur: Ergo ne tum quidem numerus erit verum ens & reale accidens, et si quantitas in genere talis esse ponatur, quis sub quantitate, ut species univoca, non continebitur. 3. Quomodo numerus, obscuro, erit species quantitatis tanquam entis realis, sive univoca, sive analoga? an secundum materiale suum, an secundum formale? At neutrum dici potest. Ergo. Materiale numeri est unitatum collectio: Formale vero est unitatum collectarum ordinata quedam dispositio. At neque haec collectio unitatum, neque earum dispositio & ordo, species quantitatis dici possunt, si quantitas sit ens reale, quia modi sunt, qui ab entibus realibus contradistinguuntur: sed quantitatis species modi esse nequeunt, verum debent esse entia realia (& dici solent secundum Aristotelicos) si ipsa quantitas sit ens reale.

III. Sed ulterius sic argumentamur. Si numerus sit ens & reale, ergo tale inveniatur in Deo. Sed hoc est absurdum. Ergo. Certe in Deo reperitur Personarum numerus ternarius, ex communi fide & verbo Dei. Unde ortum duxit vocabulum, *Trinitas*. Excipiunt *Adversarii*, hunc Personarum in communi essentia divina numerum ternarium esse transcendentalē & non prædicamentalem. sed hoc est, rem vocum distinctione eludere, quod Sophistis nostris solenne est: ita cum relationem esse accidens negat senior & purior Philosophia, quia illa invenitur vere in Deo: est enim Pater verum relatum, Filius verum correlatum, generatio verum fundamentum, juxta illud ex Sacris notum, *Ego hodie genui te, ubi & re-latum & fundamentum & correlatum vere* indicantur: clamitant in adversum infani & impuri Sophistæ, non est relatio prædicamentalis. Quid igitur? an transcendentalis? Sed tam impudentes non erunt, ut hoc dicant: nam transcendentes relationes (sunt verba *Suarefi d/p. Met. 47. sect. 3. num. 10.*) non ad certum aliquid prædicamentum, sed ad omnis genera entium pertinent. An ergo paternitas ad omnia genera entium pertinebit, & esse Patrem, tribuetur Quantitati, Qualitati, &c. At, inquit, *Paternitas in Deo est relatio divina & supernaturalis*, ideoque non est prædicamen-

talē, quæ est accidens & ens reale. Contra. Quare non sit prædicamentalis relatio, paternitas in Deo, et si sit divina, ac supernaturalis, cum habeat omnia ad prædicamentalem relationem requisita, subjectum, fundatum, terminum, proprie & vere dicta? Sed hoc negotium alias discutiemus. Redimus ad *Numerum*: & porro dicimus, ex vulgato Axiomate, *Entia non sunt multiplicanda sine necessitate*, nullam hic esse necessitatem, ut duplum admittamus numerum, prædicamentalem ac transcendentalē: si dicant, nos cogi, quia numerus prædicamentalis est ens reale, quale in Deo admitti non potest, mera est petitio principii: hoc enim in questione est, imo ipsum illud quod negamus, numerum sc. prædicamentalem esse ens reale; quia contra dicimus, eum esse affectionem ac modum, qui entia aut entium potius collectionem confequitur. Ita *numerus* ex verorum entium numero nunc exigimus: & *magnitudinem Disp. secunda*: verbum & *Tempus* ex verorum entium choro ejiciamus.

IV. *Tempus non esse ens reale*, facili opera probatur: Nam aut sumitur Metaphysice, pro temporalitate, & sic omni enti, atque etiam Deo, convenit, cui tamen accidentia non convenient. Tempus Metaphysicum existentiam sequitur, quæ vel maxime est in Deo. Deus enim existit in omni tempore, creaturæ tantum in aliquo, vel præterito, vel præsenti, vel futuro. Aut Tempus sumitur Physice, pro numero seu mensura motus; sic non magis erit reale, quam ipse numerus, vel, quem mensurat, motus, qui cum sit actio, tantum est modus entis realis in fieri: sic ergo concludimus. Quemadmodum numerus non est ens reale, quia unitates, ex quibus constat, non sunt entia realia; haec non sunt entia realia, quia unitas in genere non est ens reale; haec non est ens reale, quia est affectio transcendentis entis realis, alioquin iretur in infinitum: sic nec tempus est ens reale, quia sequitur existentiam, nec haec est ens reale, quia est principium transcendentis entis realis in genere, alioquin iretur iterum in infinitum.

V. Sed ad *Qualitatem* transeamus. Ejus quatuor vulgo ponuntur species satis note.

Secun-

Secundam & Quartam ex entium realium ambitu proscriptiere ante me multi, præfer-  
tim *Nominales ac Scotistæ* inter *Scholasticos*,  
quod videre est apud *Faventinum*, *Hurtadum*,  
*Arriagam*, & non ita pridem *Prædecessor ac*  
*Præceptor venerandus*, *D. Burgerfd.* in *Metaph.*  
*L. 2. c. ult. th. 12.* Sed ad primam & tertiam  
*Qualitatis* speciem ipse offendit, offendunt  
& reliqui. *Nos omnes in universum Qualitates,*  
*esse vera entia à substantiis distincta, negamus,*  
& ordine suo probamus.

V I. *Habitus* est qualitas adventitia ad ope-  
randum bene vel male, fumendo voculas il-  
las, tum Ethice, tum Phyfice: estque vel cor-  
poris, vel animi. *Corporis*, si detur, (neque enim hoc nunc disputamus) comprehendit  
sanitatem, morbum, &c. At sanitas & morbus  
consistunt in recto aut virtuoso temperamento  
partium, in *sistēma* & *causē* earum: at hæc  
dispositio non est aliud, quam modus istarum  
partiū, qui à partibus tanquam substantiis mo-  
dificatis non distinguitur ut ens reale: quippe  
modus negat ens reale, alioquin idem mo-  
dificaretur per se ipsum. At potissima difficultas  
est in habitibus *animi*. Hi sunt vel *acquisiti*  
vel *infusi*: at *neuti sunt entia realia*: quod i-  
dem dicendum de *concreatis*, & *connatis*, si  
sint; de quo alias disputandi erit locus. *Habi-*  
*tus animi* *acquisiti*, sunt vel *intellectuales* vel  
*m Morales*: utrique acquiruntur crebris actioni-  
bus, qua ipsæ cum non sint entia realia, neque  
habitus iis acquisiti possunt esse tales: nihil  
quippe est in effecto nisi quod sit in causis, vel  
materialiter in causis univocis, vel eminenter  
in causis æquivocis: sed actiones, causæ habi-  
tuum acquisitorum, neutro modo sunt entia  
realia: ergo nec habitus tanquam effectus iis  
acquisiti sunt ejusmodi. Sed in *infusi animi*  
*habitibus* accidentium realium & entium à  
substantiis distinctorum præsidium reperi-  
tur. In eo vero, nihil minus. Nam si acquisiti  
tantum sunt modi operandi, ideoq; non entia  
realia: nec infusi erunt entia realia, quia quo-  
que tantum sunt modi operandi: omnis enim  
habitus, seu acquisitus, seu infusus, largitur  
tantum facilitatem in agendo: at facilitas illa  
quid est aliud quam modus? sed modus nullus  
est ens aut accidens reale, nec essendi nec ope-

randi, quod demonstratum vide à *Burgerfd.*  
*cap. 7. lib. 1. Met.* & nos brevi demonstrabimus  
in harum disputationum serie. Neque tamen  
modus, aut id quod est modus, seu essendi, seu  
operandi, nihil est aut nihil addit subiecto  
quod modificat: hoc enim si verum foret; fi-  
gura nihil adderet quantitatī, & figura rei  
quantæ variatā, nihil esset variatum: fessio,  
Petro antea stanti nihil adderet, & cum muta-  
tur fessio Petri in alium situm, ut scilicet eva-  
dat flans, nihil mutabitur, adeoque totum præ-  
dicamentum *situs* nihil continebit, si modus  
sit nihil, nam *situs* est tantum *modus* partium  
in corpore; existentia cum superadditur es-  
sentiæ, nihil superaddetur; subsistentia cum  
superadditur enti, ut sit vel substantia simpli-  
citer, vel substantia prima, prout illa vox su-  
mitur vel latius vel strictius, nihil superaddi-  
tum enti fuerit; finitas cum superadditur enti  
reali ut sit creatura, nihil quoque superaddi-  
tum fuerit; actus, potentia, contingentia, ne-  
cessitas, &c. nihil fuerint, si modus nihil est  
aut nihil addit enti. Et nisi modi atque alia  
quædam admittantur, quæ nec sint substantiæ,  
nec accidentia, nec entia realia, nec nihil,  
sed quæ sint media negationis utrumque in-  
terjecta, actum est de tota *Metaphysica*; quippe  
Entis in genere principia, essentia & exis-  
tentia, & ejus affectiones, unitas, veritas, bo-  
nitas, localitas, temporalitas, suntne substaniæ,  
suntne accidentia, suntne entia realia? quicquid dixeris, erraveris. At suntne nihil?  
Neque hoc dici potest. Quin perierit quoque  
*Mathesis* tota simul & *Phyfica*, si non admiseris  
medium aliquod inter substantiam & acci-  
dens, inter ens reale & nihil: nam affectiones,  
quæ de quantitate continua ac discreta, &  
quæ de corpore demonstrantur, nec sunt substaniæ,  
nec accidentia, imo ne quidem entia  
realia, neque tamen nihil sunt. Sed de hoc  
negotio alias latius sufficit demonstrare im-  
prætentiarum, non valere hanc consequen-  
tiā; Quod non est accidens, est substantia:  
nec hanc, Quod non est ens reale, est nihil:  
& habitum omnem, sive acquisitum sive in-  
fusum (eadem est ratio connati & concreati)  
licet non sint accidentia, non ideo fore sub-  
stantias, licet non sint entia realia, non ideo  
esse

esse nihil. Potentiam & impotentiam naturalem proxime sequens examinabit & ex munere Accidentium & Entium realium eliminabit disputatio.

## Disputationum ex Philosophia selectarum.

Voluminis Secundi,

Q U I N T A,

D E

## ACCID. DISTINCT. à SVBST.

## T H E S I S I.

**R**emovimus ex *Accidentium & Entium realium* censu, *Quanitatem, & Qualitatis speciem primam, Habitum*; transimus ad secundam, quam faciunt *Potentia & impotentia Naturalis*. Definitionem utriusque aut divisionem multiplicem hic non exponemus, sed supponemus: adeoque simpliciter, potentiam nullam est *Accidens & Ens reale distinctum à Substantia*, probabimus.

II. §. 1. Si potentia naturalis sit ens reale & accidens distinctum à substantia, aut erit *activa* aut *passiva*. Sed neutra est, quia res possunt agere & pati per se ipsas aut per suas entitates. Ergo. Verum utrumque divisionis membrum penitus inquiramus. Si potentia *passiva* est ens reale & accidens distinctum à substantia, vel est *objectiva*, vel *subjectiva*, id est, vel illa potentia respiceret efficientem, vel formam, seu substantiam seu accidentalem. Si *objectiva* potentia *passiva* sit ens reale & accidens distinctum à substantia, ergo erit in aliquo subiecto: at potentia *objectiva* ibi collocatur, ubi nullum est subiectum: est enim potentia rei nondum existentis. v. c. Mundus antequam existeret aut creatus esset, erat in potentia *objectiva*, respectu Dei creatoris; obiectebatur enim ipse, ut creabilis aut creandus potius, quod utrumque respectu mundi significat potentiam *passivam*. Hæc ergo potentia *objectiva*, qua poterat à Deo mundus conditi ante sui creationem, vel erat in Deo, vel extra Deum. Non in Deo, quia nihil est in Deo *passivum*: omnis enim potentia, quæ Deo adscribitur, *activa* est: Non extra Deum,

quia nullum ante creationem mundi existebat ens reale, in quo tanquam in subiecto hæc potentia inhaesisset. Ergo neque potentia illa fuisset: tantum abest, ut accidens esset à substantia realiter distinctum. Præterea potentia *objectiva* respondet existentia seu actus entitativus. Sed nullum ens reale aut verum accidens præcedit actum entitativum seu existentiam rei, sed potius eam præsupponit. Ergo.

III. Si potentia *passiva subjectiva* sit ens reale & accidens distinctum à substantia, vel erit materia ad suam formam *substantiam*, vel subiecti ad suam formam *accidentalem*. Non prius: nam 1. Potentia & Actus sunt in eodem genere juxta Aristotelem & Aristotelicos, ita ut, si actus aliquis sit substantia, & potentia erit substantia, si actus aliquis sit accidens, & potentia erit accidens. Sed actus ille, quem respicit subiectiva materia potentia, est forma substantialis, ut volunt *Peripatetici*, & altera pars compositi. Ergo & potentia illa ad illum actum erit substantia, non accidens: & hoc est fortasse, quod barbarus voluit *Commentator, Averroes*, cum dixit, *Materia substantiatur per posse*. 2. Argumentamur ad hominem. Actus & potentia, ex sententia *Adversiorum*, opponuntur tanquam habitus & privatio. At habitus & privatio, ex sententia *eorundem*, ad eandem reducuntur Categoriam. Ergo cum forma substantialis sit substantia, sic afferentibus *ijdem*, & potentia *subjectiva* ad eam talis erit. Ergo non accidens.

IV. Si potentia *passiva subjectiva substantia* ad

*ad formam accidentalem*, sit accidens & ens reale à substantia distinctum, vel erit respectu omnis formae accidentalis, id est, accidentis, vel respectu alicujus. Non respectu omnis, quia sic ipsa hæc potentia, de qua impræsentiarum agimus, quæ *Adversarii* est accidens, aliam quoque potentiam, quæ pariter foret accidens, ante se requireret in subiecto, & sic daretur processus in infinitum, à quo natura abhorret: Præterea & quantitas, priusquam in subiecto reciperetur, potentiam quandam, ut accidens realiter à substantia distinctum, requireret: at quantitas juxta Peripateticos immediate & proxime inhæret materiæ, absque ulla præcedanea potentia. Ergo. Si talis potentia passiva subiectiva, ut accidens realiter distinctum, exigit ad quædam tantum accidentia recipienda, quero, si unum accidens possit inhærente subiecto & informare substantiam sine media potentia passiva subiectiva, cur non omnes? nulla enim major videtur esse ratio in uno quam in alio accidente, ut ad unum recipiendum in subiecto requiratur potentia quædam passiva subiectiva distincta à substantia, & non requiratur ad aliud. Et, si hæc talis potentia requiratur, ut ratio receptiva accidentium in subiecto, aut erit quantitas, aut accidens aliud. Prius nolunt. Si posteriori volunt, quandoquidem hæc potentia statuitur in ordine ad varia accidentia & genere distincta, non erit hæc potentia predicamentalis, aut qualitas, aut secunda tantum species qualitatis, sed transcendentalis, & per omnes qualitatum, imo accidentium, vagabitur species. At potentia transcendentalis, ne ipsis quidem Peripateticis, est accidens aut ens reale. Ergo, &c.

V. Si potentia activa sit ens reale & accidens distinctum à substantia, vel erit ens in creati vel creati: non increati, quia repugnat ejus simplicitati ac perfectioni, ut in Deo sit ens reale & accidens ab ejus substantia distinctum: non creati, quia vel incorporei erit, vel corporei: si incorporei, vel erit *Angeli* vel *Anima rationalis*: sed neutrius natura exigit: utriusque enim eadem hic est ratio. Quod *Angeli* non exigant potentiam activam distinctam à sua substantia vel essentia, sic evincimus: nam hæc, vel faciet ad Angelorum perfectionem, vel ad eo-

rum imperfectionem: omnis enim entitas realis alteri adjuncta, vel illud perficit, vel ejus perfectionem minuit. Sed non facit ad perfectionem Angelorum potentia activa realiter distincta ab eorum substantia, quia Deus, qui est agens perfectissimum, sine talibus potentias intermediis operatur: unumquodque autem eo est perfectius, quo accedit proprius *ad Deum*. Si ad imperfectionem Angelorum facit ista potentia activa, removenda potius est: deinde, quilibet forma statuitur vulgo, subiectum, in quo est perficere. Ergo hæc dici nequit facere ad imperfectionem Angelorum. Denique, si essentia aut substantia Angelorum requirat à se distinctam potentiam activam, ergo & formæ accidentales, quæ sunt agentia imperfectiora, requirent tales potentias. Atqui hæc non requirunt, sed immediate agunt. Ergo. Et quo indicio innoteſcit hæc activæ potentie ab Angelorum essentia distincta realis? an sensu? led nec Angelorum essentia, nec potentia, est objectum sensus. An ratione? sed ratio magis contrarium colligit. Nam natura nihil facit frustra. Sed frustra est ponere potentiam activam, cum essentia Angelorum sufficiat. Sed hoc ipsum negant *Adversarii*: imo negant ullius rei creatæ essentiam, esse immediatum principium operationis, aut posse producere ullam immediate à se ipsa actionem. At enim quero, quomodo rei creatæ aut Angelorum essentia producat potentias activas realiter à se distinctas? vel enim oportet intermedias & priores potentias ponere, quarum interventu potentiae activæ producantur, vel hæc potentiae activæ producuntur immediate. Si prius, erit progressus in infinitum. Si posteriori, quidni & operationes ipsæ immediate producantur, ex que atque potentiae activæ, ab essentia aut substantia nam aquæ facile producentur à natura cujusque rei immediate operations, ac potentiae. Et hoc eodem argumento *omne discrimen reale potentiarum intelligendi & volendi ab anima rationali tollitur*, quod fuisus deducemus, nisi id jam fusa factum esset à *Scoto & Scotiſtis*. Vide inter alios *Fabrum Faventinum* in Theorematisbus *Logicis & Physicis* ad mentem *Scoti*, & *Iohannem de Rada* in suis controversiis inter *Thomam & Scotum*.

**V I.** Si potentia activa in ente requiritur corpore, ut ens reale & accidentis distinctum à substantia seu essentia, vel requireretur, tanquam conditio & dispositio & preparatio agentis, vel tanquam causa agens aliqua intermedia. Si prius dicant, hoc probandum prius foret, non gratis dicendum: nam non videtur nobis esse opus tali dispositione, quia, ut diversa agentia inter se distinguuntur essentiis, sic ad diversas operationes determinari possunt per se sine preparatione prævia aut media: Cur enim magis fuerit alienum à ratione, essentiam ex se immediate ordinari ad proprias suas operationes, quam eandem ex se immediate ordinari ad proprias suas potentias. Præterea, hæc potentia activa entis corporei illud disponens ac præparans, vel est natura prior ipsa essentia & substantia, quam disponit ac præparat ad operandum, vel simul est cum ea, vel est ea posterior ac sequitur; si primum dicant, effectus erit prior causa: si secundum, substantia non erit prior naturæ accidente, contra proprium illorum axioma: si tertium, potentia hæc activa, essentiam seu substantiam entis corporei disponens ac præparans, est supervacanea: eum enim in finem in agentibus hæc collocatur potentia, ut illa disponat, præparet, ac determinet ad operationem talem, vel talem: sed si hæc potentia sequitur essentiam aut substantiam entis corporei agentis, jam hæc fuerit præparata, disposita, determinata, ante adventum talis potentiae: itaque frustra ponitur. Postremo, ex ipsa hominis notatione videtur colligi posse, hasce potentias esse modos tantum & non accidentia aut entia realia: appellantur enim dispositions, præparationes, conditiones, determinationes, ad operandum. At vero, quid aliud sonant ista vocabula, quam modum operandi?

**V II.** Si potentia activa requiritur distincta ab entis corporei & agentis essentia seu substantia, ut causa agens aliqua intermedia, in absurdum incident, quod ante tetrigimus: nam, dum ipsam potentiam agendi producit essentia aut substantia agentis, vel immediate producet, quod ipsi negant cadere in ullam creaturam, vel in infinitum dabitur processus, quod à Philosophia & ratione recta est alien-

num. Atque ex hisce omnibus conspicuum est, nullam esse necessitatem ponendi potentias vegetativas & sensitivas realiter distinctas ab anima utraque.

**VIII.** Cl. D. Burgersdicius L. 2. Met. c. ult. t. 13. Potentias naturales in duas classes distinguit: quasdam oriri dicit ex primis qualitatibus, ut sunt vires corporum vita carentium, & has, vera accidentia, atque entia realia à substantiis distincta, facit: quasdam nihil habere commercii cum primis qualitatibus asserit, uti sunt potentiae Angelorum & Animæ rationalis, & has à substantia ejus rei, cujus sunt potentiae, distingui negat. Quod spectat potentias vegetativas & sensitivas, circa eas vacillat, tandem tamen eas easdem cum ipsa animalium substantia concludit: quod ex primis qualitatibus non orientur quidem, sed in operando tantum spiritu utantur vitali & animali, qui ex elementaribus qualitatibus orientur ac significatur uterque. Sed enim, nihil est necesse, potentias etiam illas, quæ ex primis orientur qualitatibus, & sunt corporeæ, facere entia realia atque accidentia distincta ab essentia & substantia corporum. Nam, si ipsæ qualitates primæ, ex quibus orientur istæ potentiae, non sint accidentia vera aut entia realia, nec erunt potentia naturales ex iis ortæ. Sed verum est prius, uti hoc probabimus Disp. seq. Ergo.

**I X.** Si potentia naturalis nulla, nec activa, nec passiva, nec subiectiva, nec objectiva, nec Dei, nec creaturæ, nec Spiritus, nec corporis, sit ens reale aut accidentis à substantia & essentia distinctum, multo minus erit impotentia naturalis: nam aut intelligitur istac vox, privatio potentiaz, aut potentia imbecillior. Si prius, nulla privatio est ens reale aut accidentis verum. Si posterius, non alii opus est argumentis, quam quæ sunt allata contra potentiam naturalem simpliciter: quod enim verum est de potentia fortiori ac majori, id quoque de diminuta & minori verum esse confendum est. Quomodo ergo potentiae naturales, si non sint entia realia & vera accidentia, distinguuntur à substantia seu essentia? An ratione ratiocinata? an modaliter? an formaliter? Resp. omnibus istis distinctionum generibus, prout voces.

voceſ istæ & termiſ diversimode accipiuntur. Cæteras Qualitatib[us] ſpecies, non eſſe entia realia nec vera accidentia à ſubſtantib[us] diſtinguitur. Etā, docebit *Dijq. seq.*

## Disputationum ex Philosophiâ ſelectarum

*Voluminis Secundi,*

S E X T A ,

DE

## ACCID. DISTINCT. à SVBST.

THESES I.

**I**AM duas Qualitatib[us] ſpecies profligavimus, & ex Entiū realium numero ejecimus, *Habitum* & *Potentiam Naturalem*; ad reliquias debellandas, atque extra *Accidentia* chorum relegandas, nos accingimus. Offert ſeſe primum, *Patibilis qualitas*, atque in ea *lux* ſive *lumen*, *color*, *sonus*, *odor*, *sapor*, *qualitas tactilis*, *calor*, *figus*, &c. *Lucem* ſeu *lumen* non eſſe qualitatem, nec accidens, ſed ſubſtantiam ac corpus quoddam tenuiſſimum, jam ante Aristotelem docuere Veteres, Empedocles, Democritus, Epicurus, aliqui, & Recentiores omnes, qui generofius Philoſophantur, nec caeca ducuntur Ariſtotelis obedientia. Lux enim vel ociflime movetur: moveri autem eſt proprium corporum: celeberrime refleſtitur à ſpeculo communi aut alio corpoře; ſed ſola corpora refleſionem patiuntur: lux quoque refringitur: at hoc quoque eſt corporum: partes lucis coēunt & congregantur in certis ſpeculis & diſgregantur in aliis: congregari autem & diſgregari, ſolis corporibus convenit. Nec aliena eſt haec ſententia ab Ariſtotele, quod vel ex unico *Probl. 12. ſect. 15.* liquet, ubi querens Philoſophus, cur ſolis umbra extrema videatur tremere, repondeſt, id fieri corporuſorum concuſione, aut forte quod ſolis motus fit incertus: unde putant aliqui Ariſtotelē voluisse, quod lumen conſtaret corporuſulis volatilibus, quæ celerrime moveantur & agitantur. *Colorēm* formaliter ſumunt, non diſtingui realiter à luce vel lumine, ſed eſſe iſipsum lumen receptum in corpoře

opaco, patet, quia oriente lumine oriuntur, occidente occidunt, variante variantur colores, & pro varia refractione aut reflexione lucis varie colorata videntur objecta, quod experientia eſt comprobatiſſimum, & patet in priſinata ſeu trigoно vitreо, in phiala, quæ aquis limpidis eſt repleta, & in aliis corporibus, variis colores exhibentibus, pro luce diversimode reflexa aut refracta. Et quid aliud fuit Iridis colores, quam varie reflexum aut refractum lumen? Neque ullus negare potest, ipsam lucem eſſe, quæ colores creat in collo columbae, in cauda pavonis, in nube rorida, cum iſtismodi res non habeant in ſe varios colores illos: nec eſt, quod dicas, ejuſmodi colores, ſive iridis, ſive colli columbe, ſive caudæ pavonis, ſive trigoно vitrei, eſſe tantum apparentes & cito tranſeuntis, qui diſſerunt à veris & fixis coloribus exiſtentibus in aliis corporibus: nam, vel omnes ſunt veri, vel omnes ſunt apparentes tantum, cum omnes à luce formantur; nam res non illuminata nullum habent colorem, nullusque in teñebri eſt color; uſque adeo verum eſt illud Poëta, *nox abſtulit atra colorem*. Et hanc ob causam corpora opaca in ſuperficie tantum habent colorem, quia ibi tantum recipiunt lucem vel lumen, (neque enim haec diſtinguimus) in interioribus partibus non item: unde ſecto pomo oritur color in partium ſuperficie, propter receptum lumen, qui antea non erat. Lumen autem recipi in ſuperficie corporum & ab ea reflecti, ipsa evincit

experientia. Si enim soli ex adverso opponatur corpus laxe, in superficie ejus lumen receptum appetet: soli per vitrum miceret, lumen confistere conspicitur in pariete. Qui autem vulgo dicuntur veri colores & alii apparentes, ii non diversas colorum species arguant, sed majorem tantum minorrem lumen incidentis durationem. Si ergo lux aut lumen fuerit substantia, & talis erit color.

II. *Sonus* qualitas non est, nec accidentis: sed est ipse aer attritus formatusque in parvas moles, vel, nihil est aliud, quam corpuscula innumera exigua, consimiliter figurata, organique Auditus consimiliter ferendi capacia, quae a pulsatis corporibus magno cum impe-  
tu exiliunt. Quemadmodum enim lumen nihil est aliud, quam corpuscula tenuissima nervum opticum impellentia, ita sonus nihil est aliud, quam subtilissimae aeris, aquae, alteriusve corporis particulæ, à quibus impelli potest & solet auris membrana. Corporeitas, ut sic loquar, soni probatur, quia sola corpora reflexionem patiuntur: at sonus sèpius reflectitur, quod docet Echo: deinde sola corpora moventur & progrediuntur: at sonus progeditur & regreditur: præterea, sonus habet vim afficiendi auditum, & efficiendi vel voluptatem vel dolorem, prout concinnus est aut inconcinnus: atque illa voluptas vel dolor ex eo oritur, quod corpuscula aërea mota deliniant vel exasperent organum audiendi, pro conditione levitatis vel asperitatis, qua configuran-  
tur: & hanc configurationem agnovit Aristoteles, cum in Problematis dixit, vocem tantum esse aërem configuratum; Denique sonus imminuitur & aliquando confusus evan-  
dit, ob corpusculorum diductionem in longo progressu, & divaricationem in transitu per septum densius: quae omnia sonum esse corpus, sed quod motum est, vel movetur, fatis commonistrant.

III. *Odores* esse spiritus seu halitus odoriferos, atque adeo substantias subtilem ex corporibus fragrantibus prodeentes, Antiqui olim docuere, docent Recentiorum multi: docet Experientia: quin Aristoteles ipse lib. de sensu & sensibili, odorem vocat fumidam exhalatio-

nem. Et si odore medicamenti quidam purgari solent, si alii odore alimenti nutriri posseunt, certe substantias esse nemo dubitaverit: quippe quæ ab odoribus fieri non possent, nisi substantiae quædam forent corporeæ: quomo-  
do enim alimentum converteretur in substantiam viventis? Adde, quod odores pro-  
grediuntur ac moventur lentius sono, movent olfactum, eumque afficiunt voluptate aut dolore, imminuantur progressu, ipsæque res odoratae detrimentum aliquod substantiae pa-  
tiuntur, per exhalationem odorum, qui magis effluunt, cum res odoriferae sunt fractæ, contritæ, aut per ignem resolutæ, quam cum sunt integræ: quæ omnia, fumos halitusque illos non esse nisi subtilem substantias prolientes & effluentes ex rebus odoratis, fatis superque evincunt.

IV. *Sapores* esse substantias corporeas, si odores sint tales, certo certius est, quia adhuc crassiores sunt odoribus, iisque adeo conjuncti, ut, ubi unus est, ibi & alter sit, neque sunt nisi in corporibus mixtis: etiam enim terram misceas cum aqua, nunquam inde exurget, vel odor, vel sapor: si dicas, corpus non nunquam alium habere saporem, alium odorem; respondeo, illud fieri, vel quia nares & lingua sunt diversi temperamenti, ut, quod huic gratum est, illi sit ingratum, quemadmodum hic & ille homo diversum habent in linguis temperamentum, quia qui sapor huic placet, illi displaceat; vel quia diversæ sunt in corpore partes, tenuiores & crassiores, & haec aliud habent temperamentum quam illæ: est enim odor in partibus tenuioribus, sapor in crassioribus: uterque nihil aliud quam corpuscula quædam varie configurata & mota, olfactum gustumque afficiant.

V. Restant expendenda *qualitates tactiles*, *calor*, *frigus*, &c. *Calor* est nihil aliud, quam corpusculorum insensibilium motus varius & celerrimus. *Frigus*, erundem motus minor ac remissior. Intelligimus, actualem calorem, & actuale frigus. Qui illum definiunt, qualitatem activam homogeneam congregantem & heterogeneam disgregantem, & hoc, qualitatem homogeneam & heterogeneam congregantem, à posteriori describunt utrumque (an vere, nunc non

non est inquirendi locus) nam illa vel congregatio vel segregatio vi majoris vel minoris motus instituitur. Calor & frigus, tactiles di cuntur qualitates, quia tactu percipiuntur: cum enim particulae insensibles alicuius corporis varie celeriusq; moventur, quā nostri corporis particulae, sentitur calor; cum moventur tardius, sentitur frigus. *Humiditas*, puta aët ualis, est, cum particulae aquæ vel alterius liquoris sensibilis, in corpore stabili, ita ejus poris infundit, ut ipsis inhærent. *Siccas* actualis est, cum stabilium corporum pori nullis particulis sensibilis liquoris replentur, sed solo aere vel subtili materia. Tangitur humiditas, cum corpora stabili percipiuntur perfusa liquore sensibili: tangitur siccitas, cum nullo sensibili liquore praedita esse percipiuntur. *Crafties* & *tenuitas*, sequuntur majorem vel minorem magnitudinem particularum insensibilium, ex quibus corpora craftas & tenuia componuntur. *Densitas* & *raritas* respiciunt poros seu intervalla, quæ inter particulas insensibles interiacent, diciturque densitas, cum inter illas corporis particulas paucula sunt intervalla; raritas, cum multa: oritur utraque, tum à calore, tum à frigore. *Gravitas* & *levitas*, nihil est aliud, quam motus tarditas & celeritas motus, in particulis materiæ craftioribus & compacteribus, variaque figura affectis: quæ cum à subtiliori materia ad celeriorem compulsionem sunt aptæ, celeriusque moventur, dicuntur graves; cum ad tardiorum compulsionem magis sunt idoneæ, tardiusque moventur, dicuntur leves: unde gravia corpora deorsum tendunt vehementius, levia imbecillius; cum alterutrum fieri à tactu percipitur, sentitur vel gravitas vel levitas. *Durities* oritur ex particularum insensibilium firmissima adhæsione; *Mollities*, ex earum adhæsione minus firma: unde dura corpora sunt magis stabilia; mollia, minus stabilia. *Stabilitas* existit, ex quacunque tandem particularum in corpore insensibilium adhæsione: *fluiditas* con-

tra, ex earundem disjunctione. Estque vel *aquofitas*, quæ oritur ex partibus fluidis, sed levibus & oblongis, inter se repentinibus; vel *oleaginofitas*, quæ ex particulis iisdem, sed ramosis, existit; vel *viscofitas*, quæ indicat, particulas illas ægre, lente, ac difficulter à se invicem disjungi. *Lævitas* sequitur particularum motum in corporis superficie æquali. *Asperitas*, in inæquali. Sed longum foret nimis omnes qualitates tactiles in specie hic recensere, & quomodo ex solo motu, figura ac magnitudine particularum insensibilium in corporibus existant, exponere, & id fecit luculentissime doctissimus Regius in fundamentis Physices, c. 5. Ergo ad quartam speciem Qualitatis transcamus, formam & figuram.

**V. Figura vulgo definitur, qualitas orta ex terminatione magnitudinis.** Sed enim, si magnitudo non sit accidens, nec ens realè, si nec termini ejus sint talia, si nec ipsa ejus terminatio, multo minus fuerit ens reale, aut accidens, figura, quæ inde oritur. Atqui nec magnitudo nec ejus termini sunt entia realia aut accidentia, quod ostensum disp. 2. hujus curriculi, nec ejus terminatio; hæc enim vel est relatio vel actio: sed neutra est ens realia aut verum accidens. De priori liquebit disp. 7. de posteriori, disp. 8. *Forma* est figura cum colore: sed si nec figura nec color est ens realia aut verum accidens, ergo nec forma fuerit. Sed verum est prius, ex hac disp. Ergo & posterior. Atque ita qualitates omnes ex entium realium verorumque Accidentium numero exclusimus. Sed dicet quis, Hæc nova sunt, & contra Aristotelem: Resp. utrumque falsum esse, & hanc Philosophiam esse antiquioram ipso Aristotele, quin esse ipsius Aristote lis, præ aliis ostendit Claudio Berigardus in Circulo Pisano. Quid multis?

*Si meruit veri vindex audire novator,*  
*Mome! novatorum est primus Aristoteles.*

## Disputationum ex Philosophia selectarum

Voluminis Secundi,

S E P T I M A,

D E

## ACCID. DISTINCT. à SVBST.

## T H E S I S I.

**D**E solio perturbavimus Entium realium, *Quantitatem & Qualitatem*: minus difficultatis erit in reliquis Accidentiis speciebus ex numero Entium realium removendis. De Relationibus quidem id jam ante multos ostendimus annos *disp. select. vol. 1. disp. 5. tb. 7.* Verum quia hoc obiter tantum est actum tum temporis, jam paulo plenius idem tractandum nobis censuimus.

II. §. 1. Omne ens reale simplici & incomplexa mentis apprehensione concipitur, unoque mentis actu & ictu intelligitur: Sed relatio non sic concipitur aut intelligitur. Ergo non est ens reale. *Major probatur. Quod in se est simplex & incomplexum, id etiam simplici & incomplexa mentis apprehensione intelligitur ac concipitur: siquidem objectum potentiae debeat esse proportionatum: At ens omne reale est simplex in se atque incomplexum: nam omne ens reale est unum; quippe unum & ens reale reciprocantur; habent enim se ut subjectum & proprium: atqui quod est unum, est individuum in se: porro quod est individuum in se, est simplex & incomplexum: Quod vero ens incomplexum & in se simplex simplici mentis actione percipiatur, non complexa, vel Tyronibus Logicæ constat, ex definitione thematis simplicis & complexi; complexum enim est, quod pluribus notionibus affirmatione aut negatione copulatis intelligitur verum vel falsum: simplex contra, quod unica mentis actione apprehenditur & non judicatur verum vel falsum; simplici enim mentis apprehensioni falsum subesse nequit, ut recte Metaphysici docent. Minor syllogismi primi sic probatur. Quod collativo actu mentis intelligitur, id non simplici &*

incomplexa mentis actione concipitur: sed relatio collativa mentis actione intelligitur. Ergo &c. Minor iterum probatur. *Quis enim intelligit conjugium, nisi maritum & uxorem intelligat, & inter se conferat? neque enim potest σχέσις & habitudo duorum mutua intellegi, nisi duobus extremis intellectis & inter se collatis: Nam ex hac collatione demum ipsa extremerum σχέσις & habitudo intelligitur. At ubi duo extrema concipiuntur & eorum inter se σχέσις & habitudo mutua, ibi complexam actionem intellectus, non simplicem; ibi operationem mentis secundam, & judicium, & affirmationem & negationem, non primam, seu simplicem apprehensionem, locum habere, quis non videt? Jam vero, relatio nihil est aliud, quam duorum extremerum, mariti puta & uxoris, σχέσις & habitudo mutua, unde & relata vocantur Arist. τὰ κατὰ: n, quae ad aliud, sc. referuntur: ideoque relatio intime includit extrema, quae ad se invicem, unum ad aliud, referuntur. Excipiunt, præcisiva mentis operatione, seu abstractione simplici, abstrahi relationem à subjecto & termino, extremis, & sic cognosci intellectione incomplexa. Resp. Illud fieri non posse: nam nihil abstrahitur à sua essentia aut ratione formalis & essentiali, sed essentia relationis ejusque ratio formalis & essentialis est, ut sit habitudo ad aliud, subjecti ad terminum, relati ad correlatum, ac vice versa, quod fuse & invicem demonstravimus Disp. 5. vol. 1. Ergo non potest abstrahi abstractione præcisionis ac simplici à subjecto & termino, extremis suis.*

III. §. 2. Nullus ordo est ens reale. Sed relatio omnis est ordo. Ergo nulla relatio est

ens

ens reale. *Major* aperta est. Ordo corporum in mundo, hominum in Ecclesia aut exercitu, præceptorum in arte, librorum in Bibliotheca, rerum in prædicamentis, personarum in Trinitate, non est ens reale: & sic de omni ordine dicendum. Neque scio quenquam Philosophorum hic contrarium statuere, neque ut statuat, ratio recta permittit. Sed relatio est ordo: five enim  $\sigma\chi\iota\tau\iota\sigma$  dicas, five ordinem, five habitudinem mutuam, idem dicas. Ergo &c.

I V. §. 3. Nullum ens reale collocandum est in Deo, præter Deum: nihil enim, i.e. nullum ens reale, est in Deo, quod non sit Deus. Sed in Deo sunt relationes, & personales & essentiales, & propriæ singulis personis & omnibus ac toti essentiæ communes. Ergo &c. *Primum*, est ordo &  $\sigma\chi\iota\tau\iota\sigma$  mutua in Deo: inter Patrem, qui genuit ab æterno, & Filium, qui genitus est ab æterno: inter Patrem, & Filium, spirantes, & Spiritum sanctum, qui processit ab utroque, utrumque ab æterno. Neque hic *exceptio* valet, quam profert vulgus Philosophorum, esse hanc divinam relationem supernaturalem, atque alterius ordinis: nam resp. Est quidem supernaturalis, quatenus nobis non innotescit naturali intellectus lumine, sed fide ac revelatione supernaturali: est quoque divina, quatenus est in Deo, & relatio, ideo vulgo barbaris dicta, ad intra, attamen est vera relatio prædicamentalis, non minus, atque relatio Patris ad Filium & vice versa in Philippo & Alexandro. Nam subiectum hic est verum, Deus Pater, terminus verus, Deus Filius, fundamentum verum, generatio, definitio relationis vera, est enim  $\sigma\chi\iota\tau\iota\sigma$  hic & habitudo mutua unius ad alium, Patris ad Filium: est enim aliud Pater, aliud Filius, licet non aliud & aliud. *Deinde* & relations essentiales sunt in Deo, quas, barbara Scholasticorum gens, ad extra vocat: est enim Deus creator: & hoc vere de eo dicitur, estque subiectum, quod refertur Deus; terminus est creatura, ad quam refertur vere, & non permanentem: fundamentum est creatio, in Deo activa, in creatura passiva: Creatorem autem & creaturam esse relata, nemo inficias iverit, nec tantum secundum dici sed & secundum

esse: Quare enim Pater & Filius magis sint relata secundum esse, quam creator & creatura? An non creator, hoc ipsum quod est, creaturæ est? an non creaturæ est creator? An non totum esse creatoris est, referri ad creaturam, ut totum esse Patris est referri ad filium? Ne *Scotus* quidem, *doctor subtilis*, hic discrimen invenierit. Sed dicent fortasse, esse relationem transcendentalē creature ad creatorem. Quid? ergone hæc relatio omnes pervagabitur categorias? Ergone etiam quantitas & qualitas una creabit aliam, & altera creabitur ab altera? At ego didiceram, creationem soli Deo esse propriam, ac ne homini quidem aut Angelo, nedum quantitatib[us] aut qualitatib[us], aut ulli alterius Categoriarum enti, competere. Sed *ulterius*, etiam si relatio Creatoris & creaturæ foret relatio transcendentalis, nequid tamens ens reale foret; nam ne relationes quidem transcendentales sunt entia realia: est relatio transcendentalis inter ens & unitatem, veritatem, bonitatem, attributa sua, tanquam inter subiectum & adjunctum proprium. At quis dixerit, eam relationem esse ens reale? cum ne ipsæ quidem illæ affectiones, unitas, veritas, bonitas, sint entia realia: si enim forent, affectiones esse non possent, nec de ente prædicari; aut ibitur in infinitum; & unitas, & veritas, & bonitas, habebunt aliam unitatem, veritatem, bonitatem, cum hæc affectiones omni enti reali convenient, & cum eo reciprocentur: &, cum relatio transcendens causæ ad effectum, accedit ad Philippum generantem, Petrum ad dicantem, &c. anne novum accedit ens reale ad utrumque? sunt hæc deliræ mentis somnia.

V. §. 4. Omne ens reale, præter Deum, producitur aliqua actione. Sed relatio nulla producitur actione. Ergo. *Major* certa est: si enim relatio in genere sit ens reale, cum non sit idem quod Deus, qui, ut sic, est ens absolute, & ens improductum, debet illa aliqua actione produci, & ab alio: nullum enim ens reale à seipso fit vel est. *Minor* probatur. 1. Authoritate Aristotelis, quæ maximis est roboris apud ejus sequaces & adulatores Scholasticos, 5. *Phys. c. 2.* ubi dicit, *ad relationem non esse motum.* 2. Nato Alexandro, à quo producitur

dicitur illa paternitas in Philippo? Non ab Alexandro, qui nondum agere potest, cum nascitur aut simul atque natus est: non ab ipso Philippo: si enim Philippus paternitatem producit in seipso, pater esse posset, antequam gigneret Alexandrum: quid enim impediret? non Alexander: neendum enim agere potest in Philippum. Sic, dum litteram scribo in aliqua charta, quamdiu est una atque unica, nulli potest esse similis aut dissimilis; sed si alteram scripsero, erit prior huic vel similis vel dissimilis. A quo producitur haec similitudo vel dissimilitudo? Non à littera posteriori; nulla enim est aut cogitari potest actio in litteram priorem: quomodo hæc posterior producet relationem, ens (ut volunt Adversarii) reale, in littera priori, subiecto alio, & quidem quod ab ipsa posteriori littera distat? Non à manu; nam hæc, cum produxit litteram posteriorem, nullam exercuit actionem in priorem: at omne ens reale per actionem fit. *Dicent*, produci à priori littera relationem similitudinis in se ipsa: at prioris litteræ nulla est actio: ut non dicam: nihil posse esse causam efficientem realis entis in ſe. *Dicent*, relationem oriari per resultantiam quandam. Sed omne ens reale producitur actione tranſeunti, non per resultantiam naturalem. *Excipiunt*. Atqui potentia naturales & proprietates, ut risibilitas, per resultantiam naturalem oriuntur, Ergo & relationes sic possunt oriari. *Resp.* 1. Eas ex entium realium numero eieimus disp. 4, hujus curriculi. Quare nulla est consequentia, ab illis ad relations, si haec sint entia realia. 2. Licet potentiae naturales & proprietates essent entia realia, dici potest, quod sint adjuncta ſuorum ſubjectorum, & non effecta ſuarum cauſarum: multi enim Philosophorum, nec male, cauſam emanativam, qua effectum produci volunt per resultantiam naturalem, ex numero cauſarum proſcribunt. 3. Adhuc tamen istæ potentiae & proprietates aliqua actione producuntur, si non cauſæ emanativæ, & ſubiecti, in quo ſunt, proximi, faltem cauſæ remote & superioris: quæ enim cauſa dat ac producit formam, dat ac producit conſequentia ad formam: & ſic qua actione-

ne producitur anima, eadem producentur potentiae, & proprietates ejus. *Dicent* denique, eadem actione produci relationes, qua producuntur termini. *Resp.* absurdum eft, unam eandemque individuam ac simplicem actionem, terminari immediate, & ad terminum relationis & ad ipsam relationem, ſi & terminus & relatio fit ens reale: & facile quidem eft, concipere mutationem & motum in littera ſecunda, tanquam termino ſimilitudinis vel dissimilitudinis inter ſe & primam, cum illa ſecunda ſcribitur à manu; ſed quomodo quis concipere valeat, eadem actione ſcribentis manus, produci adhuc unum ens reale, relationem ſimilitudinis vel dissimilitudinis inter litteram utramque? ſic facile eft, concipere mutationem & motum in Alexandro tanquam termino paternitatis, quæ eft in Philippo, ino & facile eft, concipere mutationem & motum in Philippo, qui per generationem Alexandri ex non generante fit generans; ſed quomodo quis concipere valeat, eadem actione generantis Philippi, produci adhuc duo entia realia, relationem Patris ad Filium in ſe & relationem Fili ad Patrem in Alexandro? Si unquam valet hoc Axioma, valet hic. *Entia non ſunt multiplicanda citra necessitatem*. Quare recte ait Bürgerſd. Met. l. i. c. 6. *relationes pleraque ſuboriri aliqua mutatione*, ſed quæ vel eft in termino, vel, ſi fit in ſubiecto, relationem ea eft posteriorem. Et fane, non mutatur res, quia fit relata, ſed fit relata, quia mutatur.

V I. §. 5. Pariter poſſumus argumentari à corruptione. Nullum ens reale à ſeipſo potest corrumpi naturaliter. Sed relations ſunt entia realia, ex mente Adversariorum. Ergo. Quando ergo defuncto Hectore Priamus definebat eſſe pater, à quo iſtud ens reale, ſi diis placet, paternitas in Priamo eft extincta? an ab Hectore? An fortassis ab Achille, qui interimendo Hectorem ſimul interfecit paternitatem in Priamo, qui longe ab Achille aberat, & ſic una actione interfecit duo entia realia, alterum, ſubstantiam, Hectorem, alterum, accidens, paternitatem in Priamo. Sed haec tam fatua ſunt, ut refutationis me pigeat, recenſionis pudeat.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

O C T A V A ,

D E

## ACCID. DISTINCT. à SVBST.

## T H E S I S I .

**S**cilicet, is nunc supereft labor, ut receptæ Philosophiæ, pro *Actionis*, *Passionis*, *Vbi*, *Quando*, *Situs*, *Habitus*, entitate reali, copias difflemus, quod faciemus uno halitu: Hoc tanto nobis erit facilius, quanto ad ipsam veritatem accedunt proprius Adversariorum non-nulli, qui haſce Categorias sex, non nisi modos, aut relations, aut denominations externas, continere aſſerunt, & ſic ipſi ex Accidentiū verorum numero ejiciunt: quippe nec modi, nec relations, nec externæ denominations, entia ſunt realia, multo minus, accidentia: nam ſubſtantias non eſſe ea, in confefſō eſt.

II. *Actionem* & *Passionem*, non eſſe entia realia, ſic probamus, (nam inter ſeſe non diſtingui realiter, ipſi conſtituent Peripateticī) Si actio & paſſio ſunt entia realia, vel ſunt entia neceſſaria, vel contingentia: non neceſſaria, quia aliquando non fuerunt, & poſſunt aliquando non eſſe; &, ſic forent Deus, quia ſolus Deus eſt ens neceſſarium. Erunt ergo contingentia: ſi ſic, habuerunt ſuum produci & producere: quia entis cuiuscunq; contingentis natura hæc eſt, ut aliquando non fuerit, ideoque aliquando factum ſit; at non po- teſt eſſe factum, niſi aliquando datum fit ejus fieri: hoc ejus fieri, eſt paſſio, &, ejus facere, eſt actio. De illo ergo fieri & facere, produci & producere, iterum querendum eſt, an ſint entia realia? ſi ſic, redibit eadem quæſtio, da- biturque progressus in infinitum, qui ut evi- tetur, ſtatuendū eſt omnino Actionem & Passionem non eſſe entia realia: quod tanto magis conſirmatur: quia nihil ſunt aliud, quam iſipſum rerum fieri & fluxus ejus quod ſit: nunquam enim ſunt, ſed ſemper ſunt, &

carum exiſtere, eſt fieri. Atqui entia realia aliquando ſunt & exiſtunt. Ergo, cum actio & paſſio nunquam ſint & exiſtant, ne entia quidem realia dici poſſunt.

III. Actio & Paſſio, ſi ſunt entia realia, ha- bent aliquod eſſe: illud eft vel increatum, vel creatum. Increatum non eſt, quia actio & paſſio ab aliquo ſunt, & initium habuerunt. Si carum eſſe fit creatum, & creatio erit ens creatum: nam creatio eft actio & paſſio, unde vulgo in activam, quæ Dei eſt, & paſſivam, quæ creature eſt, diſpescitur. Si creatio, acti- va & paſſiva, i. e. creare & creari, eſt ens aut eſte creatum, prafens erit præteritum: quippe creare & creari ſignificant tempus prafens: at ens vel eſſe creatum, connotat præteritum: ſed ut idem ſit prafens & præteritum, contradictionem implicat.

IV. Porro, ſi actio & paſſio ſunt entia realia, vel ſunt abſoluta, vel relata, vel partim abſoluta, partim relata. Si relata, non ſunt realia entia: nam relata, qua talia, ſeu potius, ipsas relations, non eſſe entia realia, diſp. preceſ. 7. eft oſtenſum. Si actio & paſſio ſint duo entia abſoluta, cum non ſint futurae ſubſtantiae, e- runt accidentia: ſi ſic, vel erunt ambæ in agente, vel ſimul in patiente, vel, altera in agente, altera in patiente. Non po- teſt dici primum, quia ſic idem agens, & agens eſſet propter actionem, & patiens propter paſſionem, & duas oppofitas rationes simul ſaltingeret. Con- sequentia eft clara, quia omne accidens ſub-jeſtum, in quo inhæret, denominat. Ergo, ſi actio & paſſio, ut duo vera accidentia, in- hærent agenti, agens denominabunt & ut agens & ut patiens. Non po- teſt dici ſecun- dum, quia eadem redibit difficultas. Nec

poteſt dici tertium , vel actio erit in agente & paſſio in patiente , vel vice versa . Non prius , quia hoc contradicit Aristotelis , quod non patiuntur Adverſarii : nam *Philosophus in Phisicis* dicit , motum ſeu actionem eſſe actum hujus in hoc : contradicit rationi : Nam , quod eſt ab aliquo , non eſt in illo : Actio eſt ab agente : Ergo non in agente . Et , vulneratio ac verberatio ſunt actiones : at quis dicet eas eſſe in vulnerante ac verberante ? posterius vero dicere , ut actio inhaerat patienti , paſſio agenti , omni absurditate eſt absurdius . Sed , nec eſſe , partim absolute , partim relata entia , actionem & paſſionem , omnes conſentunt , & per ſe eſt manifestum .

V. Denique , nullus motus eſt accidens verum aut ens reale diſtinctum à termino ad quem . Sed actio & paſſio ſunt motus . Ergo . Major eſt *Peripateticorum* plerorumque : qui enim ex iis , inter motum & terminum , realē adhuc ponunt diſtinctionem , illi tamen non ita inter ſe diſtingui eos volunt , ac ſi duo eſſent entia realia inter ſe diſtincta , ſed duas tantum eſſe realitates afferunt , ſic ut diſtinctionem realem inter ea non denominent à parte extremonum , quaſi extrema diſtinctionis , motus & ejus terminus ad quem , ſint duo entia realia , ſed eam ſic vocant , quod non fit per mentis operationem diſtinctio inter motum & terminum ad quem , eft enim inter ea diſtinctio , qualis eft inter modum separabilem & rem modificatam aut modificantam : quia vero modus non eft nihil , nec ipsum , quod modificatur per motum , non eft nihil , ſed utrumque eft res , faltem ſumta voce hac in ſignificatione latiori , prout idem eft quod aliiquid ſeu ens late acceptum , pro eo quod non eft nihil , ideo bene dicitur diſtinctio inter motum & terminum ad quem realis : duæ vero realitates , i. e. quidditates ( ui loquuntur barbari ) vel formalitates , vel rationes formales aut quidditative , non faciunt entia realia diſtincta . Ergo nec motus fuerit ens reale diſtinctum à ſuo termino ad quem . Ergo nec actio aut paſſio , quia nihil ſunt alii quam motus , termini ad quem , & modus , quo fit : quae erat minor ; nec probatione eget , quia per ſe manifeſta eft , & ab omnibus admittitur .

VI. Atque haec , quæ diſſeruimus , maxime preuent Peripateticos , ſi vera ſunt , quæ diſputavimus , disp. p. r. e. c. 2. 4. 5. 6. Nam , ſi actio & paſſio non ſunt niſi motus termini ad quem , nec motus diſtinguitur à termino ad quem , ſi terminus ad quem non fit ens reale verumque accidens , nec motus eft : ſi motus non fuerit ; nec actio aut paſſio erunt . Sed terminus ad quem motus , non eft ens reale , nec verum accidens . Ergo nec motus eft , qui cum eo identificatur . Minor probatur : Nam Aristoteles agnivit tantum motum , ad Quantitatem , qui dicitur Accretio vel Diminutio , ad Qualitatem , qui dicitur Alteratio , ad Ubi , qui dicitur Motus localis ſeu Latio . Sed nec Quantitas eft verum accidens aut ens reale , ex disp. 2. nec Qualitas , ex disp. 4. 5. 6. nec Ubi , ut ſtatiū demonſtrabitur . Motum ad ſubſtantiam non agnivit Aristoteles , nec Aristoteles , ſed generationem & corruptionem vocant mutationes momentaneas . At , licet motus forent , non tamen ideo actio & paſſio generandi & corrumpendi , eſſent entia realia aut accidentia vera , ſed modi tantum , quibus ſubſtantiae fierent atque interirent naturaliter . Sed modus nullus , non eſſendi , multo minus operandi , qualis hic eft uterque , eft ens reale aut accidens diſtinctum . Hoc enim ſi admittas , & in Deo poſueris entia realia & verā accidentia , quod eft impium , & omnem ſimplicitatem ſuſtuleris ex rerum natura , atque adeo omne ens eft compositum , ex entibus realibus , ſubjeſto & accidente , ſi omnis modus fit ens reale , & accidens verum ; quod eft absurdissimum : nam nullum datur ens reale , quod non fit unum : at unitas modus eft : nullum datur , niſi , vel per ſe ſubſtitut , vel ſit in alio ut in ſubjeſto , vel dependeat ab alio ut ab efficiente , vel à nullo dependeat tal modo , vel ſit neceſſarium vel contingens : At vero hi ſunt modi existendi . Actio autem & paſſio ſunt modi operandi : At hi tam parum ſunt entia realia quam modi eſſendi , cum minoris & adhuc exilioris ſint entitatis , quam iſti .

VII. Sed tempus eft , ut Vbi , Quando , Situm , & Habitum , ex entium realium & verorum Accidentium libro deleamus : quod faciemus

ciemus una & communi situra. Si hæc quatuor forent entia realia, vel absoluta essent, vel relativa. Non absoluta: quia omne ens ab solutum, vel aliqua actione transmutativa producitur, vel ab alio ente jam producto emanat: omne enim ens productum aliquam exigit causam producentem. Hæc vero quatuor actiones aliqua non producuntur: Nam qualis illa foret, vel generatio, vel corruptio, vel accretio, vel diminutio, vel alteratio, vel motus localis? at hæc quatuor non sunt producta per generationem vel corruptionem, quia sic forent substantiae: Nam hæc actiones ad substantiam terminantur: nec per accretionem & diminutionem, quia sic forent quantitates: hæc enim actiones terminantur ad quantitatem: nec per alterationem, quia sic forent qualitates: hæc enim actiones terminantur ad qualitates: nec per motum localem, quia hæc actiones tantum terminantur ad Ubi: Ergo non ad Quando, nec ad Situm, nec ad Habitum. Dices. Ergo saltem Ubi erit ens reale & verum accidentis, quia actione transmutativa producitur. Resp. negando consequentiam, quia Ubi est tantum modus existendi in loco, quo res finitæ alicubi esse dicuntur: & omne quidem ens reale actione transmutativa producitur, sed non omnis actio transmutativa terminatur in ens reale. Atque ex hisce patet, Ubi, Quando, Situm, & Habitum, non esse entia absolute: sed nec

sunt relata, nisi secundum dici aut transcendentalia. Sed nec relata, qua talia, nec relations, sive sint secundum esse, sive secundum dici, sive sint praedicamentales, sive transcendentalis, sunt entia realia aut accidentia vera, ut seq. disp. demonstratur. Ergo, nec Ubi, nec Quando, nec Situm, nec Habitum, sunt entia realia, aut accidentia realia: quod erat demonstrandum.

## ANNEXUM.

*Tria sunt, quæ humanam scientiam absolvunt, Dei, Nature, Artis, cognitio: quæ querenda est homini Philosophi, quantum in hac vita fieri potest, perfecta est, cum vera est: vera est, cum res cognoscuntur uti sunt: ita cognoscuntur, cum cognoscuntur, uti factæ sunt: res quælibet factæ est ad ideam suam, i. e. ad certam quandam rationem, per quam id esse potuit, quod est: omnia ergo, quæ sunt, ad ideas sunt; sive sunt opera Dei, sive Naturæ, sive Artis: Ars ideas operum suorum mutuantur à Natura; hæc à Deo, Deus à semetipso: Deus igitur effingendo mundum, seipsum effigiat, ut omnino proportionata sit creatura Creatori: idea itaque rerum in Deo sunt, ut in Archetypo, in Natura, ut in Etypo, in Arte, ut in Anitypo. Hisce bene cognitis, omnia cognita erunt, quæ naturæ lumine cognosci possunt: & circa hanc explicandas, versandum est Philosopho & Philosophie.*

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

N O N A,

DE

## VSV PHILOSOPH. IN THEOL.

## THEISIS I.

**E**A rerum præstantissimarum est conditio, ut, quanto præclarior illarum est usus, tanto perniciosior earundem sit abusus. Quid Euangeli, Deique verbo præ-

stantius? hoc ipsum, bene utentibus est odor vitæ ad vitam, male utentibus est odor mortis ad mortem. Nihil salubrius valetudini est usu vini; nihil magis noxiū ejus abusu:

abusu: ita & *Philosophia* insignem habet sui usum in Theologia; sed, si quis ea abutatur, in venenum convertitur. Quanta sit *Philosophiae* in Theologia *utilitas*, ad terminos bene explicandos, res distincte proponendas, disputations rite instituendas, Doctissimorum, hac de re, Virorum testimonia, Theologorum scripta Polemica, & quotidiana experientia, satis superque ostendunt, ut hoc in dubium vocare hominis sit parum in facultate utraque verfati. Quantum vero Theologiae no[n] cuerit abusus *Philosophiae*, hereticorum & sectariorum libri abunde demonstrant. Et quis nescit, omnia hodie, & à multis retro seculis, in Theologia disputari sub terminis *Philosophicis*, quos si quis rejecerit in totum, metus est, ut unquam feliciter sit cum Adversarium partium ulla congressurus. Quare decretum est hac disp. *Philosophiae* usum in rebus Theologicis aperire.

11. Ut terminos, quemadmodum oportet, explicemus primum: Per *Philosophiam*, non intelligimus impræsentiarum, otiosarum questionum, ineptarum altercationum, inutilium nugarum, barbarorum terminorum, futilium distinctionum, gentilium, hujus vel illius Ethnici, five *Aristotelis*, five *Platonis*, commentorum farraginum; sed verò ex voce denotamus, rerum divinarum & humanarum notitiam, quanta haberi potest naturali intellectu lumine; vel, artium, scientiarum, & prudentiarum, compagem: atque hanc *Philosophiam* spectamus, non in aliquo subiecto, vel in concreto, sed in abstracto &c, ut loquuntur, in idea sua: ne Philosopherum vita, quod vulgo fieri solet, imputentur *Philosophiae*. Per Theologiam intelligimus, non simpliciter fidem & Religionem Christianam, quæ omnibus fidelibus, doctis pariter & indoctis, est communis, sed doctrinam de Deo rebusque divinis, ab ipso Deo traditam, quæ Religionis Christianæ dogmata, & explicat, & probat, & propugnat ac contra oppugnatores defensat. Hec Theologia, vel est extraordinaria, per immediatam Sp. Sancti illuminationem & revelationem accepta, qualis fuit in Prophetis & Apostolis, vel ordinaria, quæ per diligentem verbi divini inquisitionem, sedulam scrutationem, con-

tinuam meditationem, & Theologicæ scriptorum lectionem, studio & labore cum adminiculo Sp. Sancti est acquista. Ad hanc Theologiam, hoc posteriori modo sumptam, esse non utilem sollemnudo, sed & necessariam, *Philosophiam*, afferimus, idque, tum subiecti cognoscētis, tum objecti cognoscendi ratione, illud praeparando, hoc illustrando.

111. *Subiectum Theologiam cognoscēns* est homo, qui triplici fere modo versatur circa res Theologicas, sc. vel eas simpliciter percipiēndo, vel perceptas probando, vel probatas propugnando & defendendo. Hisce enim tribus circumscribitur Theologus & Theologia auctibus: atque in iisdem Theologicæ studiosum mirum in modum juvat *Philosophia*, dum hæc ingenium ejus in percipiēndo reddit promptum, in probando solidum, in defendendo & propugnando acutum & expeditum. Quem usum iuri cultoribus *Philosophia* præstat per nobilissimum illud omnis scientiæ compārandæ organum, *Divinam Logicam*, quæ mentem nostram dirigit in cognitione rerum, sive eas apprehendamus simpliciter, sive apprehensas enunciemus, sive enunciatas probemus, sive probatas propugnemus & defensemus. Atque hinc *Philosophia*, animum nostrum ad Theologicæ studium felicius insti-tuendum præparantis, usum latius ostendere, nisi ipsa experientia, atque ipsissima hæc Academia nostra, id satis probatum darent: videmus enim, quam difficulter res Theologicas percipient, quam hæsitant, titubent, balbutiant atque inepte fese gerant, in earum veritate probanda, quam turpiter fese dent, ac causam deserant, & cum rubore & dedecore ex arena se subducant, cum adversus Adversarii cuiuspī oppugnationes, fidei dogmata & religionis Christianæ articulos sunt propugnaturi & defensuri, qui *Philosophie* cultum animum suum non præparaverint. Contra, quam sine molestia ac difficultate difficillimas & molestissimas in Theologia quæstiones percipient, quam dextre proponant, quam accurate probent, quam ordinate argumenta disponant, quam solide defendant veritatem impugnatam, quam mæscule solvant Adversariorum objectiones, qui *Philosophia* no[n] notitia,

motitia, non tincti leviter, sed plene imbuti sunt.

V. Objectum cognoscendum sunt res seu materie Theologicæ, quæ occupant Thologia studiosum, vel circa fui διδονεα λιαν vel circa fui ἐλεγχον, id est, vel veniunt apprehendenda per terminos simplices, & apprehensæ enuncianda per terminos complexos, & enunciatae probanda per syllogismos, vel veniunt propagandæ & ab Adversariorum oppositionibus vindicanda. Quod spectat terminos simplices, ii vel in Biblia inveniuntur, vel extra Biblia, in Patribus, & Scholasticis, ac Theologis, Theologiam excolere, & nunc & olim, consuetis. Qui in Biblia inveniuntur; vel tantum sunt Biblici; ut, Iehova, Christus, Mediator, Spiritus Sanctus, Electio, Iustificatio, Vocatio, &c. ad quorum intellectum Philosophia nihil confert; vel ita in Biblio reperiuntur, ut simili occurrant & explicentur in Philosophia; ad horum intelligentia quæ maxime utilis est Philosophia. Ita Exod. 3. 14. **אֶלְ�הָ אֱלֹהִים** & Apoc. 1. 8. **אֵלֶּהָ אֱלֹהִים**. Et Gen. 1. vers. ult. Vedit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Ubi occurrunt duo termini Metaphysici Ens & Bonum: & quam frequens extat in facris litteris mentio calorum, stellarum, aëris, aquæ, terre, nivis, grandinis, pluviae, nubium, fluminum, metallorum, gemmarum, piscium, animalium, animantium, ciborum mundorum & immunorum, aliorumque terminorum Physicorum. Quis situm urbium, montium, ac regionum describet, quis descriptionem terræ sanctæ intelliget, quis, quid Orion, quid Plejades, in Iobi historia, explicabit, nisi Mathematis adjutus. Et, Virtutum omnium, Fortitudinis, Temperantiae, Liberalitatis, Iustitiae, Veracitatis, & oppositorum vitiorum nomina, an non sunt Ethici fori. Quæ de conjugio, marito, uxore, liberis, servis, de rege, regno, magistratu, subditis, legibus, premiis, panis, bello, pace, &c. in verbo Dei disseruntur, an non sub terminis Oeconomicis & Politicis enarrantur? Atq; ad hosce omnes, tum ex Theoretica, tum ex Practica Philosophia desumptos terminos explicando, maximam utilitatem confert Philosophia cognitio. Qui extra Biblia, tum apud Patres, tum apud Scholasticos, aliosq; Theologæ scriptores, occurrunt termini simpli-

ces, ad res Theologicas explicandas adhibiti, sunt admodum multi, & fere innumerii, & accepti ex omnibus Philosophia partibus, præfertim ex Metaphysica, essentiæ, existentiæ, substantiæ, inherentiæ, substantia, suppositi, personæ, accidentiis, potentia, actus, effectus, dependentiæ, subordinationis, principii, totius partium, cause moralis, physicæ, meritoriae, impulsivæ, instrumentalis, entis positivi, privativi, concreti, abstracti, finiti, infiniti, completi, incompleti, simplicis, compositi, universalis, singularis, communicabilis, incommunicabilis, subjecti, adjuncti, signi, signati, relationis, actionis, unitatis, distinctionis, &c. à quibus nec abstinet, nec abstinere quidem, et si vult, ullus potest Theologus: pariter termini Philosophici sunt, localitas, temporalitas, dimensionum penetratio, animæ potentia vel facultates, liberum arbitrium, &c. Quos omnes ex Philosophia mutuo sumit Theologia, & à studiojam cognitos supponit: unde Philosophiae usus satis est clarus, circa simplices terminos. Ut hi termini Philosophici tuto & absque omni erroris periculo applicentur rebus Theologicis explicandi, tria circa eos sunt observanda; eorum 1. Abstractio. 2. Analogia. 3. Imperfectionis remoto. Omnes enim termini Philosophici simplices, cum sunt applicandi Deo & rebus divinis, 1. Abstrahi debent à statu in rebus creatis. 2. Analogice tantum convenient Deo & creaturis, 3. Liberari debent ab omni imperfectione: atque tum tuto & pie possunt adhiberi, quia non eadem ratione applicantur Deo & creaturis. Considerentur termini Metaphysici, Ens ac Substantia: qui ambo convenient Deo & creaturis: sed non est eadem ratio, vel entis, vel substantiæ, in Deo, quæ est in creaturis, in illo est independens, in hisce dependens. Spectentur termini Physici. Generatio tribuitur Deo in Sacris, & corpori naturali in Physicis: sed non est eadem ratio generationis in Deo & corporibus naturalibus. Attendantur termini Ethici. Iustitia, misericordia, penitentia, ira: &c. hi alter tribuuntur Deo, aliter creaturis, quod nemus ignorat: & sic de aliis quoque terminis est judicandum. Sed speciatim tribus regulis instruam Theologæ studiosum, ut pie & Christiane

stiane terminis utatur in rebus Theologicis, & sic tuto philosophetur.

V. Circa abstractionem hæc teneatur regula. *Natura terminorum non est judicanda ex conditione creaturarum, sed ex conceptu universali.* Terminus universalis dupliciter potest considerari. 1. secundum conceptum proprium. 2. secundum statum in certo subjecto. Multa convenient termino ratione subjecti, quæ in ejus conceptu universalis non requiruntur. Sic in termino, *Persona*, duo possum considerare, 1. Conceptum universalem, qui definitione personæ exprimit, 2. Conditionem in certo subjecto, v. c. in homine. Jam vero, Personæ in homine convenit, quod unam numero ab aliis distinctam essentiam importet; ita Petrus persona est, & habet unam numero essentiam ab essentia Pauli distinctam: at hoc non convenit Personæ secundum conceptum universalem. Idem judicandum est de termino, *Generatio*, qui in conceptu proprio, quem definitio exprimit, plane non importat essentiam generantis ab essentia generati distinctam, interim, prout consideratur in rebus finitis, semper cum illa distinctione essentiæ est coniunctus. Philosophus vero Christianus de terminorum natura, non ex conditione hujus vel illius subjecti judicat, sed abstrahit naturam in se considerandam; atque ex hoc principio optime novit occurrere hæreticis, quando generaliter aliquid de termino enunciant, quod ipsi tantum convenient, quatenus in ente finito reperitur, uti faciunt in hisce enunciationibus: *quot sunt substantia singulares, tot sunt personæ: quot sunt personæ, tot sunt essentia: ubi una numero est essentia, ibi una tantum est persona: omnis natura individua est incommunicabilis: unum numero singulare non potest esse tribus commune: unitas essentia numerica & generatio consistere nequeunt: communicabilis essentiæ communicabilis quoque est substantia, &c.* Quæ omnia similiaque effata verificantur in creaturis, sed illegitime ad essentiam individuam ac personam generaliter referuntur, cum à speciei attributione ad genus universaliter, non valeat consequentia, uti non valet: *Omnia animalia, quæ sunt homines, sunt rationalia: Ergo omne animal est*

*rationale.* Ut ergo conceptus animalis universalis non includit rationalitatem, licet in homine semper rationale cum animali conjungatur, ita generatio in suo conceptu universalis non includit diversitatem essentiæ generantis & generati, licet in rebus finitis cum ea conjugatur.

VI. Circa Analogiam hæc teneatur regula. *Termini Metaphysici analogice de Deo & rebus divinis usurpantur: intelligitur vero analogia attributionis, qua Deo absolute & primo competit, creaturis secundario & per habitudinem ad Deum. Ita cum dicimus, Deum esse ens & substantiam, analogie hoc explicandum est, quod nimirum Deus sit ens & substantia, independenter & absolute, reliquæ res sint entia & substantiæ dependentes.*

VII. Circa remotionem imperfectionis hæc teneatur regula. *Termini, qui respectu nostri ac ratione impositionis, primo convenienti creaturis, cum Deo & rebus divinis debent applicari, prius sunt liberandi & purgandi ab omni imperfectione.* Ratio patet, quia infinita est distinguita Dei tanquam entis perfectissimi, à creaturis: ideoque imperfecti nihil ipsi attribui potest. Si ergo terminus, qui primo est impositus creaturis, ideoque aliquid imperfectionis involvit, debet attribui Deo, omnis imperfectionis ab eo est removenda prius: ita cum loquimur de Dei attributis, quod in Deo sit *justitia, sapientia, bonitas*, removeamus, quicquid imperfectionis hæc creaturæ important, nempe, *esse in alio, ut accidens, crebris actionibus acquiri, distinctum esse ab essentia justi, sapientis, boni, &c.* Cum dicitur, *personam in divinis generare personam*, removeatur omnis imperfectionis, que inventur in generatione humana: quod ubi factum fuerit, in fumum abibunt omnes ratiunculae, quibus generationem, in divinis, hæretici impugnant. Et profecto, cum necesse habeat Philosophus, etiam in iis versans, ad quorum cognitionem mens humana naturaliter potest pervenire, ut terminos ab imperfectione liberet, antequam Deo attribuat, multo magis, cum in arduis fidei mysteriis terminos, primo creaturis impositos, adhibet, labem imperfectionis auferre tenetur: quod nisi

nisi fiat, rerum sit confusio, & nefanda divinis mysteriis infertur injuria.

VIII. Nunc usum Philosophiae videamus circa Themata complexa, ex terminis simplicibus conflata, five sint simpliciter enuncianda, five probanda. Enunciantur, vel terminis mere Biblicis, vel ex parte Philosophicis. Unde nata est questionum Theologicarum distinctio in puras, & mixtas. Puræ questiones, ex terminis solum Biblicis constantes, atq; iisdem enunciatae, ex Bibiliis solum probantur, quamvis quoad modum probandi, quoad illustrationem earum à similibus, quoad rationes quadam secundarias, aliquis Philosophia circa eas usus esse possit. Sed mixtarum, & termino Theologico partim, partim Philosophico constantium, & sic enunciatarum, intelligentia, ex parte etiam ex Philosophia accipi debet, atque probari etiam ex ea potest. Sic v. c. ipsum Trinitatis mysterium, ex Philosophia, nec cognosci, nec probari potest, sed hæ circa illud mysterium questiones, ex Philosophia & cognosci debent, & probari possunt. Sc. An persona Trinitatis sint modi existendi, an relationes? An realiter, an ratione, an modaliter, distinguantur inter se & ab essentia divina? sic & plures circa Deum & res Theologicas sunt questiones. An existentia Dei sit de eis essentia? An duas nature in Christo faciant duas hypostases? An substantia possit esse sine propria subsistentia? An propria unius naturæ sint alteri in Christo communicabilia? An Deus sit peccati author vel causa? An peccatum originale sit ipsa corrupti hominis substantia? An habitus? An privatio? An quid positivum? An Deus concurrat cum actionibus omnibus creaturarum etiam malis? An Scriptura sit perfecta norma ac mensura fidei? An reprobatio & electio sint absolutæ an conditionaliter? An decreta Dei sint libera an contingentia, an necessaria & immutabilia? An Christi corpus vere ac realiter sit præsens in pane & vino, atque in illa mutatum, vel sub illis latet, & sic sit in pluribus locis? &c. que omnes questiones & Metaphysicae & Physicae auxilio egent ad intelligentiam sui. Sed & Philosophia practica in partes venit & subdium enodantis hisce similibusve questionibus Theologico-Philosophicis tum intelligendis, tum con-

firmandis: verbi causa. An liberum arbitrium sit eadem facultas cum intellectu & voluntate? An detur summum in hac vita homini bonum? An detur status heroicus & excellentia virtutum, in quo plene perfecte ratio dominetur affectibus? An virtutes omnes sint inter se connexæ? An parentum tutorumque consensus sit de necessitate conjugii, an de honestate tantum? An separatio quadam thororum & mensam faciat divorzium? Quousque in linea collaterali sit prohibizum conjugium? Quod regiminis genus maxime conveniat Ecclesiæ militanti, Monarchicum, Aristocraticum, an Democraticum? An Christianis licet bellum & Magistratum gerere, &c. Quas questiones nec intelliget, nec confirmabit, Philosophia rudis.

X. Sed nunc Philosophia usum circa τὸ θεολογικόν questionum Theologicarum videamus, ut ex non tantum propugnentur sed ab exceptionibus Adversariorum vindicentur, eorumque objectiones refutentur: certe, qui vel obiter inspexit veritatis & Religionis Christianæ hostium libros, & argumenta eorum perlustravit, negare non potest, quin arma sua petant, tam ex Philosophia promtuario, quam ex Bibliorum penu? Instar omnium sint, inter Pontificios, Bellarminus & Becanus: inter Socinianos, Goslavius & Crellius: inter Arminianos, Vorstius & Episcopius: inter Lutheranos, Meisnerus & Hesselbenius: quorum sophismata & argumenta ut quis solvat, citra Philosophia auxilium, frustra sperabit. Concludimus ergo, Philosophiam, si legitimate applicetur, utilissimam esse & maxime necessariam Theologiae, quod erat demonstrandum.

## A N N E X A.

1. Philosophia ex Theologia est perficienda, non contra.
2. Non de recta ratione, ex cuiuscunque homini, nec de Philosophia, ex hujus vel illius Philosophi mente, judicandum est.
3. Sæpe fit, ut idem terminus aliter accipatur in Theologia, aliter in Philosophia.
4. Philosophia dogmata fidei non demonstrat, sed illustrat.

5. Quousque se extendit ratio, eousque & Logica.
6. Principia universalissima vera sunt in omni disciplina.
7. Non facile principii alicujus universalitati fidendum est.
8. Quando propositio aliqua dubia est,
- cum prima ratio est habenda Sacra Scriptura.
9. Philosophus, de posse novit quidem in rebus supra naturam, esse autem ignorat.
10. Axiomata specialium disciplinarum ultra objecta suarum disciplinarum non debent extendi.

## Disputationum ex Philosophia selectarum.

Voluminis Secundi,

D E C I M A ,

D E

## ABVSV PHILOS. IN THEOL.

## T H E S I S I .

**V**SUM Philosophiae in Theologia exposuit Disputatio precedens, abusum ejus hæc exponet. Per Philosophiam ac Theologiam quid intelligatur, explicatum est th. 2. Disp. preced. Atque eodem sensu, utraque hic à nobis sumitur vox: ac sub illa significatione, multiplicem Philosophia in Theologia abusum, hac disp. ostendemus.

II. § 1. *Abusus Philosophiae in Theologia est pessimus*, cum ejus Principia, axiомата, definitiones, canones, præcepta, adhibentur ad demonstranda mysteria fidei, ad fidem ipsam circa ea stabilendam: sed enim, que sunt mere revelationis, ea per Philosophiam demonstrari, eorumque fides per illam stabiliri, nequit. Per quod medium fides circa mysteria salutis excitatur, per idem stabilitur. Sed non excitatur per Philosophia præcepta cognita aut demonstrationes Philosophicas. Ergo nec iis stabilitur. Quid? quod magis iis destruatur. Nulli enim magis adversati sunt fidei in Christum & mysteriis nostræ salutis credendis, quam inter Gentiles Philosophi. Et ab omni œvo id deprehensum est, idiotas, & cetera ignaros homines ac simplices, nudo Dei verbo contentos, longe fuisse aptiores ad credendum mysteriis fidei, quam subtilissimos Philosophos. Hic valet illud Apostoli, *Anima-*

*lis homo non capit ea, que sunt Spiritus Dei: &c, Ratio captiva ducenda est sub obsequium fidei; & illud Chrysostomi, Christianos volentes accipere firmitatem fidei vere ad nullam rem confugere decet, quam ad sacram Scripturam. Itaque frustra sunt, qui Trinitatem extra Dei verbum, ex Philosophia demonstrari posse existimant, atque hoc agunt, sed in vanum. Impudentissimi sunt Scholastici, qui cum Magistro sententiarum, Petro Lombardo in l. 1. sent. & Thoma Aquinate in 1. part. summ. Theol. & contra Gentiles, tam irreverenter, in Mysterium illud admirandum atque adorandum. S. S. Trinitatis irruunt, & tam audacter ex Philosophia determinant multa, non aliter ac si Mysterium illud penitus inspexissent. Equidem non possum illud premere aut celare, exhorrescere animum, quotiescumque in Commentatoribus ad Lombardum & Thomam lectio disputationes ab illis institutas circa Deum ac Trinitatem. Inspiciat quis Suarezum, Vasquezium, Valentiam, Smisungium, ac si non mecum detestabatur, audacissimas, quin & profanas ac divina maiestate indignas, coru decisiones, quovis pignore decertavero.*

III. §. 2. *Pessimus item Philosophia in Theologia abusus est*, quod circa alia fidei dogmata atque articulos, circa questiones & controversias.

versias (præter mysteria fidei ac salutis) Theologicas, illa sibi magisterium assumat, cum ministerium ei conveniat: non debet Philosophia instar Heræ dominari Theologiae, sed instar ancillæ servire: Theologia infar Saræ est, Philosophia instar Hagar. Theologia regina est omnium facultatum & disciplinarum, Philosophia pedissequa. Itaque invertunt ordinem, *Lombardus*, *Aquinus*, *Scotus*, & omnes de grege illo *Scholastici*, qua veteres qua recentiores, dum articulos fidei probaturi, quæstiones Theologicas decisuri, rationes Philosophicas atque authoritates Aristotelis præmittunt verbo *Dei* & *Authoritati divinae*, atque ita dominum Aristotelem sequitur non passibus æquis Dominus Israelis. Non me contineo, quin referam, quod relatu tamen est impium, sed ex quo dominium Philosophiae in Theologiam nimis quam clare videre est. Cum ante annos præterpropter centum in Parisiensi Academia res sacræ disputationis incudem subirent, ac calide disputarentur, quotiens ex sacris litteris divinus allegaretur inter opponendum textus, promptum erat ac paratum effugium, Christianis auribus atque ore indignum: *Spiritus sanctus in verbo Dei captus se plebejo attemperat, familiarius loquitur ac simplicius, & (horresco referens) sacræ litteræ, nasi instar cerei, quovis fleti possunt ac traduci.* Verum quotiens fäcer Aristotelis textus adduceretur, totiens perturbati omnes stare ac perculsi dispicere, ut veritati Theologicae ac divinæ profanum conciliarent Philosophum. Sudatum tum fuit ac laboratum, non aliter quam si Hannibal ante portas. Eousque caput extulerat supra Theologiam Philosophia. Quod ita quoque commovit magnum istum Philosophiae reformatorem Petrum Ramum, ut non tantum doluerit ac detestatus fuerit istam impietatem, sed maximo molimine, rerum omnium, famæ, bonorum, ac capitatis etiam periculo, tam impiae Philosophiae obviam iverit: unde inter crimina, in ipsum intentionata, objectum fuit maxime, quod contradicendo Aristoteli Theogiam enervaret. O tempora, o mores! Audiebatur ex Sorbonistarum pulpitac personabat hæc vox, nemo Theologus evadet sine Aristotele: Quod dictum etiam

tempore Lutheri in Germania obtinebat Academiis, qui Tom. 1. Lat. oper. contrarium confidenter afferuit. Error est, inquit, dicere; sine Aristotele non fit Theologus: imo Theologus non fit, nisi sine Aristotele. Verissime profecto, si Aristoteles sic honoretur, sic doceatur, sic narretur, sic explicetur, ut tempore Lutheri & Rami factum fuit. Atque utinam hodie non idem fieret apud Pontificios. Si Aristotelis & Philosophorum authoritas in rebus Theologicis fuisset plus imminuta, longe felicius negotium Reformationis processisset. Dignissima observatione omni sunt verba Lutheri adhuc Canobite, in Epistola quadam ad Iodocum I senacensem scripta 1518. ex Monasterio Erfordensi. Ut me resolvam, inquit, ego simpliciter credo, quod impossibile sit reformari posse Ecclesiam, nisi funditus Scholastica Philosophia, uti nunc habetur, eradiceretur, & alia studia instituantur. Tibi videor non esse Logicus, nec forte sum: id autem scio, quod nullius Logicam timeo, in defendenda ista sententia, &c. ac similia habet in aureis illis Epistolis, quas ad socios & alios Monachos scripsit, paulo antequam magnum illud Reformationis opus aggredieretur.

I V. §. 3. Peccamus Philosophie in Theologia abusus est, cum articuli fidei vel negantur, vel in alienum sensum detorquentur, quia non convenient cum definitionibus aut axiomatis rerum Philosophicarum, cuius criminis rei sunt Sociniani, qui principia rationis ac Philosophica faciunt normam ac mensuram fidei ac credendorum, qui S. S. Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis ejusdem numero carnis, aliaque salutis mysteria, & fidei dogmata, rejiciunt, quod cum Philosophicis definitionibus ac principiis non convenient: quasi vero Philosophia sit decempeda, amussa, ac libella, ad quam exigenda sit fides. Ita, quia Aristoteles universale definivit, quod de pluribus sua natura praedicari aptum est, singulare, quod de uno tantum, negant Deum natura sua praedicari de pluribus personis, quia singulare est ens, & sic Trinitatem tollunt: eandem evertunt ex retentis definitionibus convenientie realis & rationis, ex Aristotele, qui ait, illam esse, qua quasi plura convenient in eodem tertio, hanc, qua actu plura: At, si Trinitas

sit, inquit Antitrinitarii, cum personæ tres sint de facto & revera atque actu plures, convenient in essentia divina convenientia rationis, quod Trinitarii non admittunt, aut, inquit, si personæ tres in Trinitate convenient in essentia divina convenientia reali, & non per mentem, ut volunt Trinitarii, non erunt actu plures, sed quasi plures, quod iterum non admittunt Trinitarii. Et sic in aliis fidei articulis malunt isti homines potius fartam testam servare veritatem *definitionum ex Aristotele Philosophicarum*, atque abnegare veritatem articulorum fidei, quam ut iis rejetis dogmata fidei admittant ac credant. At ego malim totum Aristotelem, cum omnibus suis atque omnium Scholasticorum definitiobus & principiis Philosophicis, abjecere & abjurare, quam vel hilum vel pilum detrahere, de ullo articulo, mysterio, vel dogmate fidei credendo. Itaque aut conciliari debent principia Philosophica cum dogmatibus & rebus fidei, aut, si non possint, rejicienda sunt potius, quam vel tantillum derogetur fidei ac veritati revelatae.

V. §. 4. *Pessimus est Philosophiae in Theologia abusus*, cum ea ponuntur istic fundamenta, quæ hic sunt documenta, cum istæ opiniones & sententiae afferuntur ac defenduntur in Philosophia, quæ sunt semina & occasiones & causa errorum in Theologia. Ita autem hodie sit in libris Philosophorum, quos nocturna diurnaque manu versat Philosophia studiosa juventus. Inspiciantur, *Eustachius, Raco, Conimbricenses, Ruvius, Toletus, Arriaga, Oviedo, Hurtado, Suarez, Fonseca, &c.* an non ad Theologiam suæ Pontificie & Antichristianæ Idolatriæ patrocinium Philosophiam suam instituerunt ac reliquerunt. Quid quod Tellez titulum suæ Philosophie audacter ponat, *Summa Philosophiae universæ cum Theologicis questionibus, que hodie inter Philosophos agitantur. Logica & Metaphysica Scheibleri, Philosophia sobria Meisneri*, an non ea tradunt, quæ erroribus circa veritates Theologicas tuendis inferniunt? Qui vel hos, vel illos, infixerit tantum, nā ille mecum pronunciabit idem, modo ab omnibus præjudiciis & affectibus liber fit ac vacuus. Unde quæso tot hæreses, sectæ,

dissidia, & opinionum in rebus Theologicis monstræ, ab antiquis ac recentioribus arrepta, ac pertinacissime defensa? An non ex fundementis in Philosophia male collocatis? ut non male id genus *Philosophi Tertulliano dicti sint Patriarchæ hæreticorum*. An non ex Philosophia vanæ, barbaræ, inficete, falsæ, *Scholasticorum* penu atque armamentario, arma in Theologiam ac Religionem Reformatam atque in nos depromunt, quibus pugnant, *Pontificum Adulatores, Lojolæ, ac reliqua Monachorum turba*, qui uti nec *Pape*, ita nec *Aristotelis* autoritatem, eripi sibi patientur. An non ex ejusdem corruptæ *Philosophiae* pharetra tela in nos jaculantur & vibrant *infâsti Socini* & *quæ defensores atque hyperaspistæ*? An non hinc copias suas instruunt, qui *Sacramentario* tot jam annorum bello, *pro ubiquitatis Helena*, tanquam pro aris dimicant ac foci? Quid? Quod illi etiam ipsi, qui ex *Reformatæ Ecclesia* matris suæ gverno egressi, *quinquarticularis sua crambes condimenta ex hujus Philosophiae thesis querunt?* Quod ex *scientia eorum media, liberi arbitrii adiutoria*, *decretis conditionatis*, aliisque id genus gemmis, ex sterquilino hoc erutis, cuivis est notissimum. Sola *Suareziana Metaphysica Lectio*, imprudenter nimis, & nimio animi affectu, instituta, in turpisimos ac perniciosissimos errores abrupti *Conradum Vorstium*, quod tam putida, de compositione, quantitate, accidentibusque in Deo, aliisque nunc non recensendis, Philosophemata, ultro legenti testantur. Tantum valent *Philosophorum Scholasticorum scripta*, nisi proba ab improbis, quæ longe maximam faciunt partem, secernantur: scilicet, multa sunt axiomata Philosophica, non ex rei veritate deducta, sed in *Scholasticorum*, hominum otiosorum, cerebro nata, pravum in sensum detorta, male ac cum Philosophantium gravissimo, in rebus Theologicis, damno, accepta & arrepta; qui Philosophiae in Theologia abusus non est postremus.

V. I. §. 5. *Pessimus Philosophiae in Theologia abusus est*, quod novi termini ac phrasæ novæ ex Philosophia in Theologiam introducantur, citra ullam necessitatem, sub quibus nova sâpe latent, atque erronea foventur dogmata.

dogmata. Nam : *Qui fingit nova verba, simul nova dogmata fingit.* At vero sicut entia non sunt multiplicanda præter necessitatem , sic, nec vocabula, nec modi loquendi, præsertim in rebus Theologicis, ubi caute est loquendum, &c , ut animos fidelium, ita & voces eadem eorum esse , oportet. Atque hic iterum videoas luxuriantes *Scholasticos*, qui innumera farraginem terminorum , phrasium ac distinctionum novarum , & abique necessitate , in Theologiam induxere atque intulere. Quid ? Quod innovandi terminos studium in ipsa improbetur Philosophia ; nendum in Theologia. Multis minus placet *Campanelle Philosophia*, quod novos invehat terminos: cuius culpe reatu quoque tenetur *Caramuel Lobcowitz in sua Philosophia*. In Theologia sane loquendum est cum Deo & verbo ejus : comprehendit enim τελογία θεός. Nolim tamen proscribi receptos ex Philosophia, ac præsertim Logica , terminos ac τεχνολογίαν, fine quibus controversiæ Theologicæ, nec intelligi, nec decidi possunt , à quibus abstineri nequit, vel ob illam solam necessitatem , quam nobis faciunt Adversarii religionis ac veritatis Christianæ, qui sub iis controversias Theologicas proponunt ac pertractant, & sepe venenum propinrant incautioribus. Quare illorum, five Terminorum, five τεχνολογημάτων, usus, sed sobrius, & ex hypothesi , per Adversarios, necessarius, retinendus omnino est.

VII. §. 6. *Pessimum Philosophie in Theologia abusus est*, cum axiomata specialium in Philosophia disciplinarum ultra objecta earum , ad res Theologicas, & non sui circuli, extenduntur : atque hinc proceditur Axioma, quod aliquid posse esse verum in Philosophia, & idem esse falsum in Theologia , ac vice versa. Sed enim si fines ac limites serventur utrumque qui servi debent, si Philosophia intra pomceria, septa atque sphæram suam, sece contineat, nec indiscriminatim ac promiscue, absque distinctione , axiomata Philosophica applicentur rebus Theologicis, deprehendetur idem esse verum in Philosophia , quod est verum in Theologia, & contra : Verum enim vero consonat , nec pugnat veritas revelata cum veritate demonstrata: ac multa sunt supra ratio-

nem, quæ non statim sunt contra eam. Verum est in Philosophia & secundum naturæ ordinem ; *Virgo non parit* : sed & verum est in Theologia & supra naturæ ordinem ; *Virgo parit*. Atque hoc totum negotium optime exposuit *Keckermannus in præcognitis Philosophicis*. Quid restat ? Nisi ut Philosophia, optimo Dei dono, recte utamur in Theologia, secundum regulas præscriptas *disp. præced. 9.* absum ejus fedulo caveamus ex iis, quæ nunc à nobis sunt *hac disp. dicta* ac dissertata.

## A N N E X A.

1. *Philosophia Theoretica nullis conjecturis nisi debet* : Sed ejus veritates catenatim ex principiis evidentissime deduci necesse est.

2. *In prima mentis operatione, simplici se. apprehensione, nulla datur falsitas, ideoque falsum, nec clare, nec distincte, percipi potest.*

3. *Ratio illa est bona, recta, sana, quæ ab omnibus præjudiciis & affectibus prævivis est vacua , atque non in vita communis usu, non circa res fidei, sed in contemplando & inquirendo certam rerum extra se poststarum existentiam ac veritatem simplicem , omnia à teneris per sensus de iis facta judicia in dubium primum vocat, ut ex dubitatione dehinc certi quid eliciat : quæ sententia, Aristotelis autoritatē. 3. Metaph. c. 1. exemplo, ac praxi in variis libris, est comprobata.*

4. *Quia sensus deficit sepe & aberrat, ejus judicia examinanda & corrigenda sunt à ratione.*

5. *Veritas revelata rationis examini non est subiecta.*

6. *Fides & scientia possunt esse simul, de eadem propositione, in eodem intellectu.*

7. *Deum esse, lumine naturæ perspicuum est.*

8. *Deus sua essentia existit.*

9. *Omnia creata positivo Dei influxu conservantur.*

10. *Deus non est causa errorū, nec ullius mali.*

11. *Essentiæ rerum sunt immutabiles.*

12. *Mens non indiget semper Phantasmatis ad suas perceptiones.*

13. *Mens corpori non tantum assicit, sed ei unita est.*

14. *Existentia rerum corporearum nullo modo est dubia, recte Philosophanti.*

15. Scepticorum Philosophandi ratio, qua dubitant & in dubitando perficitur, nec unquam ex dubitationibus ad rerum veritatem emergunt, à vera Philosophia est alienissima.

16. Vera Philosophia & solida rerum scientia est, cum res sensu apprehensae, mente ac ratione dijudicantur, atque sic cognoscuntur, uti sunt, certo.

17. Cognitio omnis fit per ideam, quæ non est una, sed multiplex, alia innata, alia acquisita, alia facta.

18. Sensus, cum tantum versentur circa accidentia, in nullius substantie notitiam Philosophantem inducunt.

19. Sensus tantum docent, quod sit id, quod calorem, lucem, odorem, &c. vocamus, non vero quid sint.

20. Certæ rerum cognitionis fundamentum est rerum analysis vera, qua res per suos & genitos artus & in partes resolvitur.

21. Partes rei cujuscunque cognosci possunt, non tantum resolvendo, sed & componendo, & cum aliis conferendo.

22. Vnde triplices est cognoscendi, qua mens uititur, Methodus, Analytica, Symmetrica, Syncretica.

23. Analysis, incipit à toto composto & desinit in particulas minimas ac simplicissimas.

24. Synthesis, incipit a minimis & simplissimis definitaque in compoſitissimis ac toto.

25. Syncrisis, confert integra integris, partes partibus, & dicitur.

26. Uſus triplicis hujus intellectualis Methodi est, clara & distincta rei cuiusque perceptio, que ut habeatur, jungendæ sunt hæ methodi in cognoscendo, non confundendæ.

27. De re, vel non vel negligentius, cognita, vel non expensa, vel non cum aliis collata, judicium prolatum, judicii abortus est.

28. Prejudicium, est judicium de rebus sensibilius habitum per sensus ab ipsa infantia ante plenum perfectumque rationis usum, vel pronuntiatum ante rationis examen.

29. Hæc infantia ac pueritiae prejudicia à Philosophante & veritatis studio, jam rationis adultæ ac judicij firmati, ut cognitionem veritatis incomplexæ de rebus sibi comparet, abisci debent, ac possint.

30. Hæc unica est, vera, germana, solida, Philosophandi ac veritatis inveniendæ via, & ratio omnem dubitationem funditus ex animis Philosophorum, hominumque omnium, eradicandi.

### Disputationum ex Philosophiâ selectorum

Voluminis Secundi,

U N D E S T I M A ,

D E

### U S U M E T A P H Y S I C Æ I N D I S C I P L I N I S A L I I S , A C P RÆSERTIM THEOLOGIA.

#### T H E S I S I .

**V**Sum Philosophiæ in Theologia exposui Disp. 9. ab 1. usum disp. 10. nunc visum fuit, Philosophiæ primæ usum speciatim ostendere, non tantum in Theologia, sed & in aliis disciplinis; ut ejus studium, quod nimium (pro dolor) multis pro vili habetur sub pedibusque jacet, excitetur, atque animi Philosophiæ stu-

diorum inflamentur, ad eam serio seduloque excolendam.

II. Utilessima est Metaphysica, quinimo necessaria, ad plenam perfectamque Physicæ ac Mathematicæ cognitionem, utpote quibus objecta & principia sibi sua largitur ac demonstrat. Atq; ut de objecto sive subiecto dicamus primum, quoniam

niam' omnis scientia sumit subjectum suum esse, & esse hoc, five hanc ejus esse definitio nem, ut docet Aristoteles lib. 1. Post. Analyst. cap. 10. §. 75. atque haec non sint ita nota per se, quin aliqua indigeant declaratione vel probatione, oportet, declarationem istam aut probationem petere ex aliqua priori scientia. At ex qua? si non ex Metaphysica? Haec igitur definitiones confirmat, quibus explicatur, quid sit illud, quod unaquamq[ue] scientia tractat, siquidem definitiones istae, ex terminis prioribus atque universalioribus, quos sibi vendicat Metaphysica, necessario debent esse conflatae. Probat etiam uniuscuiusque scientiae subjectum esse, sed ita ut in illa fine demonstratione sumitur: non sumitur autem actu existere in rerum natura (id enim ad scientiarum constitutionem non est necessarium, nisi in ea, quæ de Deo est) sed hoc sumitur tantummodo, ut sciatur in quo rerum gradu ac genere ejusmodi subjecta collocentur. Hoc ergo Metaphysica declarat ac probat, cum tradit rationem entis atq[ue] essentiae, & insuper diversa entis genera ac gradus distinguit, sub quibus scientiarum subjecta continentur: illius autem subjectum, quæ parte agit de ente in genere, à nulla priori scientia demonstrari aut declarari potest, quia nihil est ente superius.

III. Quomodo Metaphysica probat reliquarum scientiarum principia, vel etiam sua, paulo difficultius est explicatu: Nam principiorum notitia, &c dicitur Aristoteli, sique in nobis non demonstratione, sed inductione, atque ἀριθμός gignitur, ut docet Aristoteles lib. 2. Post. cap. ult. Ut igitur haec res intelligatur, observandum est primum & ante omnia, duo esse genera principiorum, que in scientiis usurpantur: quædam sunt prorsus αὐτοὶ & ἀναπόδηλα; alia media et quidem sed adhibentur, ac si immediata forent, eo quod jam ante demonstrata sint. Nihil autem ad scientiam intertere, sintne propositiones, quæ sumuntur inter demonstrandum, prorsus indemonstrabiles, an jam ante demonstratae: hoc liquet ex ipsa definitione demonstrationis, apud Aristotelem lib. 1. Top. c. 1. Nihil etiam refert, an haec secundi generis principia in eadem scientia demonstrata sint (veluti cum Mathesis atque alijs

quoque scientiæ ex prioribus suis propositionibus, jam demonstratis, sequentium demonstrationem instituant) an in scientia priori Metaphysica: Itaque Metaphysica dicitur demonstrare principia scientiarum reliquarum, quoniam illæ propositionibus in Metaphysica demonstratis utuntur pro principiis: Ex. gr. Metaphysica demonstrat, Nihil à se ipso fieri: hoc Physicus habet pro principio. Itaque in his principiis nulla est difficultas.

IV. Quod reliqua spectat, quæ omnino sunt αἰτίων, notandum est, quid discriminis sit, inter modum, quo &c, & inter eum, quo Metaphysica, dicitur versari circa principia. At &c quidem verfatur circa principia, ut principia sunt, sine ullo discurfu aut rationatione, sed simplici apprehensione veritatis, quæ in iis est: At Metaphysica non verfatur circa principia, ut principia sunt, sed ut aliquo modo induunt naturam conclusiōnum, eorumque veritatem apprehendit intercedente aliquo discurfu, quo mens in ea assensione, quam jam principiis adhibuerat, juvatur ac confirmatur.

V. Discursum istum instituit Metaphysica tribus modis. Nam primo accuratam instituit explicationem illorum terminorum, ex quibus principia constat: ideoque illa evidens atque distincta terminorum notitia est veluti medius terminus, quo principiorum veritas probatur: Ex. gr. cum proponitur hoc principium, Totum est majus sua parte, non potest certe fieri, ut intellectus ei non assentiatur: attamen cum Metaphysica hoc accurate explicat, quid nomine totius & partis significetur, intellectum in ista assensione non parum confirmat: nam cum axiomatum notitia in animo nostro generetur ex notitia terminorum, omnino sequi videtur, ut quanto distinctionis intelliguntur termini, tanto etiam magis ac firmius mens amplectatur principiorum veritatem. Alter modus probandi principia est δι' ἀντίθεσης, per deductionem ad absurdum: Omnia enim probari possunt per hoc axioma: Fieri non potest, ut idem de eadem res simul affirmetur & negetur. Tertiò modus est probandi per quandam reflexionem mentis in se ipsam: sic colligimus principia vera esse, atque:

atque etiam *as πάντα & ἀναπόδηλα*, quia sentimus sine ulla demonstratione à natura nos trahi ad iis assentiendum. Atque his quidem modis dicitur Metaphysica confirmare principia, alioquin *ἀναπόδηλον*, non quod assensionem, qua mens sine discursu principiorum veritatem jam ante admiserat, reddat evidentiorem aut certiorem, sed quod novum assentiendi modum priori adjiciat, nempe assensum *διανοήσεων*, cum prior sit *νοητός*.

V I. Atque hoc quidem modo versatur Metaphysica circa principia sibi propria, quæ pertinent ad totum entis ambitum; at nondum appareat, quomodo hac in parte praefit ceteris scientiis particularibus, ratione principiorum, quod erat explicandum. Respondeo, particulares scientias, Physicam & Mathematicam, universalibus ipsis principiis Metaphysicis uti ad demonstrationes suas firmandas aut constituendas: quibus enim Metaphysica utitur in tota entis ac sua latitudine, ea reliquæ scientiæ applicant ac restringunt ad suum singulæ subiectum. vid. lib. 1. *Poſt. Anal. c. 10. lib. 3. Met. c. 3. lib. 11. Met. c. 4.*

V II. In Philosophia practica minus apparet, quem usum Metaphysica discentibus praefit: est tamen aliquis, si non alibi, falso in parte, in qua de pietate sermo est: nam licet plena perfectaque descriptio pietatis non aliuscun de quam ex sacris litteris haurienda sit, ad Philosophiam tamen moralem pertinet ostendere, quid ex principiis sua natura notis possit de pietate sentiri ac statui absque revelatione. Hæc principia in Metaphysicis traduntur: nam cum pietas oriatur ex eo, quod quisque de Deo sentit, primum oportet animum imbuī veris, de Deo ac rebus divinis, opinionibus: atque hæc ex Metaphysica debent hauriri, ut quæ de Deo agit & rebus divinis, quatenus lumine naturali debent innoscere: si objicias, multos Metaphysicos fuisse impios, id nullius est momenti: Nam hoc non fit vitio Metaphysices, sed hominum Metaphysica preditorum.

V III. Nulla autem disciplinarum plus debet Metaphysica quam Logica. Hujus enim munus est, mentem dirigere in cognitione rerum occupatam. Ad eam rem opus est instrumentis

quibusdam, quibus mens dirigitur: ista instrumenta sunt omnino quatuor, definitio, divisio, syllogismus, & methodus. Horum instrumentorum natura ususque doceri non potest, nisi multis rebus assertionibusque Metaphysicis assumtis. Ex gr. nemo potest definire, dividere, aut argumentari absque cognitione cauarum. Itaque ex Metaphysica debet petere Logica, quid & quotuplex sit causa, & quæ sint in unoquoque genere differentiæ. Eodem modo de rebus aliis, quibus res ad se ipsum referuntur, statuendum videtur: sunt enim omnes istæ considerationis *Metaphysica*, quas *Logica*, quantum ad instrumentorum confectionem & usum necessaria, id est, omnes mutuantur à *Metaphysica*, & fine operofa probatione admittit ac presupponit: nempe eo modo, quo Medicina plurima sumit ex Physica, quæ ad artis suæ finem atque usum sunt necessaria cogniti: unde vulgatum illud: ubi *Physicus* definit, ibi *Medicus* incipit. Ut ergo Medicina ars quedam est que ex Physicis propositionibus derivatur, ita quoque rationis ars five Logica ex Metaphysicis fontibus deducitur.

V X. *Quin ipsi adeo Theologie est utilissima scientia Metaphysica:* nam tametsi omnia illa, quæ sunt creditu, factu, speratu, necessaria, perfectissime sint in sacris libris revelata, nihilominus tamen præclara quædam res est, & jucunda, & utilis, si quis intelligat ea, quæ in sacris litteris credenda præcipiuntur, cum recta ratione consentire, aut certe cum ea non è diametro pugnare: neque enim iis assentior, qui, cum se ab Adversariorum laqueis expedire nequeunt, huc se recipiunt, ut dicant, non omnia esse vera in Theologia, quæ sunt vera in Philosophia, aut vice versa: quo nihil potest dici ineptius: una enim est & simplex veritas, quæ secum nunquam pugnat. Ad illam veritatis harmoniam in omnibus rebus intelligendam, haud dubie valde necessaria est *Metaphysica*.

X. Atque ut hoc non premam, quid faciendum erit, si nobis res sit cum ejusmodi hominibus, qui Scripturæ Sacrae autoritatem defugunt? Certe, si hos crudire velimus, non ex sacris litteris, sed ex natura rerum disputandum

tandum erit : quod nemo melius præstare poterit, quam *Metaphysicus*. Atque in eo imitabimur *Apostolum Paulum*, qui hoc præsidio usus fuit adversus *Epicureos & Stoicos Philosophos*, ut patet ex *Actorum cap. 17. & adversus omnes gentes cap. 1. & 2. ad Rom.* Si quis autem eo redigatur, ut probare debeat, Deum esse, indigebit haud dubie Philosophia aut *Metaphysica*; nam Theologia non probat, sed supponit, Deum esse, aut si probat, in eo Philosophia ac *Metaphysica* uititur : nam quicquid Theologia probat, qua talis, id sacram litterarum autoritate probat: haec enim principia sunt & norma Theologiae. Atqui sacræ quoque litteræ præsupponunt, Deum esse: habent enim autoritatem suam, atque à *ζειτονίᾳ*, ex eo, quod sint divinitus inspiratae. At, cui non est persuasum esse Deum, ei quoque non potest esse persuasum, sacram Scripturam esse *Ιεννόστων*, nec patietur ille se ejus autoritate constringi.

XI. Sed ut profanos omittam homines, inter eos ipsos, qui sacrarum litterarum autoritatem recipiunt, admodum necessaria est *Metaphysica*, præsertim in disputationibus, cum de sacra scripture sensu movetur controversia: licet enim non sit melior aut certior

interpretes scripturæ quam ipsa scriptura, cum de locorum quorundam sententia ambigimus; quando tamen de scripturæ controverfa sententia non potest inter partes convenire ex scriptura, solent singuli ad rationes concurre *Philosophicas* sive *Metaphysicas*, in quibus si quis parum versatus fuerit, nescio an satius idoneus dici debeat divinæ veritatis patronus. Si enim de *Omnipotenti corporis Christi* sermo fit, aut de *Transubstantiatione*, non contemnenda præsidia peti possunt ex Philosophia, præsertim ex *Metaphysica*; ad ejusmodi opinionum monstra profiganda. Contra, cum Trinitatem Hæretici oppugnant, Christi satisfactionem, unionem hypostaticam, resurrectionem ejusdem numero corporis, ex Philosophia petitis copiis, quis se iis opponet, quis profigabit, si *Metaphysica* sit ignarus? sed quid verbi opus est? cum videamus eos ipsos, qui *Metaphysicam* improbant, imo oppugnant, inter quos est *Amesius*, valde perite *Metaphysica* uti, cum id Adversariorum importunæ objectiones postulant, atque etiam alias; quod clarum est documentum, & argumentum ad hominem, quo probatur, *Metaphysicam* esse summe necessariam Theologo, quod erat demonstrandum.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

*Voluminis Secundi,*

D U O D E C I M A,

D E

### CAUSÆ EFFICIENTIS DIVISIONE, IN PROCREANTEM ET CONSERVANTEM, EMANATIVAM ET ACTIVAM.

#### T H E S I S I.

Cum scire fit rem per causam cognoscere, & is fit felix, qui rerum potuit cognoscere causas, & inter causas sit præstantissima *Efficiens*, non inconfutum erit, aliquot disputationes dare, expendendis *huius causæ divisionib[us]*. *Causa efficiens* multis modis dividitur, pro varia efficiendi ratione, ordine, ac modo:

hinc enim omnis efficientis causæ divisio pertenda est, præter unam, que petitur ex causato, & non ex causandi modo: atque hæc est *divisionis causæ efficientis in procreantem & conservantem*, ubi causa conservans eadem sepe causalitate conservat, qua procreat, ut Deus, qui eadē causalitate & creat & conservat, in causato

G g

tamen

tamen est aliquid discriminis: nam causatum cause procreantis est esse, quatenus opponitur  $\pi$  non esse; causatum causæ conservantis est esse continuatum, quatenus opponitur  $\pi$  esse incipiens: procreans lat esse incipiens, conservans dat esse continuatum: quantum ergo discriminis est inter initium rei, & ejus continuationem, tantum discriminis est inter causam procreantem & conservantem. Procreans ergo causâ efficit rei existentiam, conservans rei existentis durationem.

II. Ex dictis videtur est errorem *Timpleri* & *Keckermannii*, eliminantem causam conservantem ex numero caufarum efficientium, quasi non det esse effectui, cum omnis causa aliquod esse effectui largiatur: certe causa conservans dat vera causalitate esse effectui, si non novum, dat esse continuatum, quod per procreationem non fuit productum, & aliquomodo distinctum est ab eo esse, quod per productionem fuit tributum. Res sic habet. Quod procreatur, habuit ante procreationem non esse, nunc habet esse: quod procreatum est, non potest procreatione continuari; ergo hic datur conservatio, & conservationi respondens esse, quod per procreationem non fuit productum, nempe esse continuatum: per conservationem vero non debet intelligi negatio nuda corruptionis, quasi conservare nihil sit aliud, quam non-corrumperere, ut quidem *Taurellus*, sed impie existimavit, qui non alio modo Deum conservare mundum putavit, quam quod non corrumperet: nam plus dicit conservatio: dicit influxum perpetuum in hoc esse, quod per procreationem fuit productum: alioquin ego possem dici Petri, vel Pauli, vel alterius conservator, nempe, quia cum habeam potentiam occidendi illos, non Ethicam quidem sed Physicam, non facio tamen, siquidem non corrumpo esse illorum, quod possem tamen; sed non possum idcirco dici conservare Petrum aut Paulum in suo esse. Sol cum conservat lumen, non tantum non destruit illud, sed vero perseverat influendo in illud per radios suos: itaque conservans causa vere influit & est vera causa.

III. Ex causandi modo varie solet dividiri causa efficiens: prima divisio nobis erit in acti-

vam & emanativam, quam nunc pertractabimus. Emanativa est, quæ sua existentia causat, à qua effectum immediate emanat. Activa est, à qua effectum producitur mediante actione. Inter causam emanativam & effectum nulla intercedit media causalitas; ita ut hic tantum duo sint, causa, causatum: in activa tria sunt, causa, causalitas, causatum, & haec inter se sunt distincta. In emanativa, ipsa causa existentia est ejus causalitas, & contra: itaque causa emanativa posita, impossibile est non ponи effectum: at vero causa activa posita, non statim effectum ponи est necesse; & ratio est, quia causa activa existentia salva esse potest, & causalitas ejus, actio puta, inhiberi, & impediri, ita ut maneat causa activa quoad existentiam, non tamen operetur: at vero in causa emanativa id fieri nequit, quia ipsum  $\pi$  existere cause emanativa, est causare; existere enim, & causare, in causa emanativa, est unum & idem: ideoque Deus non potest concurrens ad conservandam existentiam causæ emanativæ, quin simili conservet ejus causalitatem, siquidem causalitas ejus diversa non est ab ejus existentia; posita autem causalitate in causa, effectum non ponи, est impossibile: causalitas enim non convenit causa, nisi cum actu causat: at cum actu causat, effectum quoque actu esse debet, si non in facto esse, saltem in fieri: itaque contradicatio est in adjecto, cum nonnulli afferunt, proprietates posse separari à subjectis, salvo manente subjecto, cum proprietates emanant à subjecto, ejusque existentia causentur: imo, Deo ipsi hoc impossibile, ut statim demonstravimus: quamdiu enim conservatur existentia, conservatur causalitas, quamdiu conservatur causalitas, conservatur effectum: atque hinc contradicatio est, ut ferrum non sit grave, ignis non sit calidus, calor enim & gravitas tolli non possunt, nisi ferrum & ignis tollantur, cum existentia horum sit existentia proprietatum, quæ ab iis emanant: at vero effecta seu actum secundum iftarum proprietatum (urere & moveri deorsum) tolli, nihil vetat.

IV. Quæritur hic, An causa emanativa sit causa procreans, an vero conservans? De causa activa nihil est dubium, quin illa sit & procreans

creans & conservans. De causa emanativa dubitari potest. Resp. eam esse tantum causam conservantem. Ex. gr. lux, quæ emanat à sole, non procreat à sole, sed conservatur tantum: causa vero procreans lucis est causa procreans solis: eadem enim & subjecti, & proprietatis, est causa procreans: subjectum ipsum est tantum causa conservans suæ proprietatis, non quasi Deus causa procreans à conservatione excludatur: sed Deus est causa procreans & conservans lucis simul; ipse Sol est causa, non procreans, sed conservans tantum suæ lucis: ignis quoque est causa conservans tantum caloris fui in se; causa procreans caloris est eadem quæ ignis, nimirum ille, qui ignem genuit ac produxit: gravitas à generante procreat ista actione, qua rem gravem producit; causa conservans gravitatis est ipsa res gravis: itaque causa procreans causæ emanativæ est causa etiam effecti, quod emanat, non per actionem aliquam aliam, sed per eandem, quatenus ex actione causæ procreantis, quæ causam emanativam producit, necessario per simplicem quandam atque internam emanationem, resultat ac sequitur effectum causæ emanativæ: unde ipsa actio causæ procreantis, respectu effecti causæ emanativæ, quod producit producendo causam emanativam, resultantia vulgo dicitur, atque à propria actione distinguitur, qua ipsa causa emanativa à causa procreante producitur. Exempla jam dedimus in productione subjecti & ejus proprietatum; ex quibus illud quidem, puta subjectum, dicitur fieri per propriam actionem causæ procreantis, hæc vero, puta proprietates, dicuntur fieri per actionem ex priore actione ejusque termino, nimirum subjecto, naturaliter resultantem; quæ resultantia proprie, propter intrinsecam ac necessariam connexionem cum priore actione ejusque termino, & quia est ab eodem agente principalí (nam qui dat formam, dat consequentia ad formam) & quia ordinarie in eodem instanti cum priore actione ejusque termino conjuncta est, ut propria & per se actio, non reputatur; & ideo, ut à priori distinguitur, dicitur resultantia. Hujus resultantia seu emanationis, quæ causam emanativam denominat ac constituit,

natura satis profecto est obscura, & nonnulli adhuc in aperto ponи meretur.

V. Requiritur ad resultantiam seu emanationem, de qua loquimur, ut effectum, quod emanat ac per ejusmodi actionem resultantem producitur, tanquam terminus, ab eo, à quo resultare dicitur, id est, à subjecto suo proficiscatur per modum principiati à suo principio, ut effectum sit principiatum, subjectum sit principians: non enim sufficit nuda successio, quando uni pereunti aliud succedit; aliquin etiam ex forma corrupta resultare dici posset & emanare forma geniti, & contra, quod est absurdum: nec tamen quævis consecutio talis formæ aut effecti, resultantia dicitur, sed præterea necesse est, ut sit Physica, h. e. vere sit in rebus: nam Metaphysica consecutio, quæ tantum est in nostris conceptibus, qua sc. inter res, quæ actualiter & re ipsa idem sunt, una à nobis concipitur tanquam alterius ratio (ut, si dicam, in Deo esse intellectuale, sequitur, esse spirituale) hæc, inquam, consecutio non est vera resultantia, quia inter principium & principiatum hic non est vera ac realis distinctio, sed virtualis tantum seu rationis cum fundamento in re: verum ne sic quidem adhuc qualisunque inter res distinctas consecutio sufficit ad constituendam resultantiam seu emanationem, sed requiritur ulterius, ut ista consecutio sit causalis, h. e. per propriam efficientiam: nam si sit illativa tantum, videbitur, quia posito uno ponitur alterum, propter naturale debitum, ut loquuntur Scholastici, i.e. quia ita fieri debet per naturam, quæ sic constituit, quo pacto quantitas vulgo consequi dicitur materiam, non tam proprie resultantia, aut emanatio, quam connaturalitas dicenda est, ex mente Scholasticorum: dicitur tamen vulgo emanare à materia aut resultare quantitas, quia aliter exprimi nequit modus, quo à materia quantitas oritur: & sane quare non debeat sic dici, nisi fortasse quis velit, inter materiam & quantitatem intercedere potius notionem & relationem subjecti & adjuncti potius quam causæ & causati, atque ideo voices resultantia & emanationis refugiat, quod causalitatem & vim aliquam significant, qua quantitas à materia efficiatur.

V I. Nunc causam spēctemus activam, quæ causat per actionem, cuius causalitas est actio, distinctum quid ab ipsa existentia causæ: hoc in dubium trahitur, an verum sit? sed probari facile potest. Causalitas causæ est hoc ipsum per quod causa attingit effectum effectique productionem, per quod constituitur actus causans & influens in effectum producendum: jam vero actio est id, quo causa efficiens activa attingit effectum effectique productionem, quo constituitur actum causans, & influens in effectum producendum. Ergo. Probatur minor. Cum efficiens solum habet potentiam agendi, nondum est actu causa: at vero cum illam potentiam exequitur, est actu causa: non autem potest exequi, nisi per actionem: nihil enim fingi potest preter ac supra potentiam agendi in efficiente, quam actio. Ergo actio constituit efficientem causam activam actu causantem. Ergo actio est causæ efficientis activæ causalitas. Certe quicquid est ante actionem, id insufficiens est, ut efficientem activam denominet actu causam: quicquid est post actionem, eo omni nondum existente, sicuti nondum existit, quamdiu causa efficiens adhuc operatur, adhuc tamen causa efficiens activa est actu causans: si ergo omne, quod ante actionem est, omne, quod post actionem est, non poscit causam efficientem activam denominare actu causam, relinquitur, ut id, quod causam activam actu causam denominat ac constituit, nihil sit aliud quam actio ipsa; atque adeo actio ipsa sit causalitas cause activæ, quod erat demonstrandum.

V II. Objici potest; ipsam actionem esse effectum causæ; pendet enim ab efficiente: ergo non potest eis esse causalitas, cum distinctio sit inter causalitatem, rationem qua effectum producitur, & ipsum effectum, quod producitur. Ad hoc duplum responderi potest. 1. Οὐχάγνων, concedendo actionem esse effectum, & tamen dicendo, quod esse possit ac sit efficientis causalitas: hoc enim verum est de aliarum quoque causarum causalitatibus, nempe & quod à suis causis pendent, & quod sint ratio activa, per quam producantur effectus: atque hoc patet exemplo unionis: quæ & à forma est penderit, & formæ causalitas est: unde sicut

ad producendam unionem, quæ formæ causalitas vulgo dicitur, forma non exigit causalitatem, hac priorem, per quam unio sit ab illa, ita actio ab efficiente activa est, & est causalitas ejus, nec prærequisit causalitatem aliam in efficiente activa, per quam ab efficiente producatur aut ab ea fluat potius. 2. οὐδὲν, negando actionem esse effectum; actio non est effectum, sed via ad effectum: agens enim non agit ut agat, sed ut agendo aliquid diversum ab actione producat: alioqui dabatur progressus in infinitum, si actio, ut effectum, producatur per causalitatem aliam, illa causalitas iterum actio erit, & illa actio, ut effectum, aliam causalitatem requiret, quæ iterum erit actio, & sic porro in infinitum: nescio tamen, an utraque responsum satisfaciat.

VIII. Totum hoc negotium paulo penitus inspiciamus. Actio causatur à causa activa, & quidem immediate, absque ulla alia priori actione. Ergo causa activa aliquomodo est causa actionis: sed non est actionis causa activa, quia daretur progressus in infinitum. Ergo erit actionis causa emanativa, quod nemo haecenus dixit: aut concedendum est tertium genus cause inter emanativam & activam. Profecto, ut verum fatear, si hæc divisio cause efficientis in activam & emanativam sit immediata, ut non detur tertium genus causæ efficientis medium, est difficultas maxima: nam calefactio certe causatur ab igne, ergo, vel ut à causa activa, vel ut ab emanativa: si ut à causa activa, dent actionem priorem, qua calefactio producatur: quam si quis dederit fine processu in infinitum, erit mihi magnus Apollo: si ut à causa emanativa, ergo calefactio ab igne tolli non potest salvo igne: at vero tolli posse nemo haecenus negavit, cum sit actus secundus & operatio. Ego sane, quo me huc vertam, nescio. Post ferium rei totius examen fere huc devenio, ut dicam, non actionem tolli, sed actioni in subjecto five paciente impedimentum ponii, quo minus sentiatur: nam calor est proprietas ignis, & ita quidem ut semper sit principium activum: itaque puto ab igne semper emanare calorem, à calore semper etiam emanare actionem, quæ non potest esse alia quam calefactio aut usio: & quo-

quotiescumque calefactio aut uscio separari videtur à calore aut igne, ut factum videtur esse in fornace Babylonis, tum non revera calefactionem aut unctionem separari à calore, à quo emanat, uti nec ipse calor, qui emanat ab igne, separatur ab eo, sed puto, tantum ponit impedimentum in subiecto paciente, & possumt fuisse à Deo in corporibus juvenum trium in fornacem Babyloniam injectorum: nam eodem tempore potest fieri, ut obiectum unum calefiat & comburatur, at alia obiecta non item: sicut, eodem instanti, qui extra fornacem Babyloniam steterunt, & calefieri & comburi potuerunt, non potuerunt calefieri ut nec comburi tres juvenes in eam injecti, ut

testatur historia Dan. 3. quæ calefactio ac combustio, eodem instanti, tum separata fuerit ac non separata in eodem igne: quod est impossibile & contradictionem: nempe separata fuerit, quatenus ignis non combussit injecos juvenes, non separata, quatenus ignis combussit injicentes. Itaque fortassis accidunt proxime ad veritatem, qui sustinent, causam activam sic dici respectu effecti per actionem producti, eandem dici causam emanativam & esse respectu actionis, quæ à se emanat, & qua effectum producit. Sed, fortassis, dico: quia ego, ut sum liberioris ingenii ac judicii, cogitationes meas tantum propono, sententiam unicuique relinquo liberam.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

D E C I M A - T E R T I A .

D E

## CAVSA IMMAN. ET TRANS.

T H E S I S I.

**I**mmanens causa est, quæ producit effectum in seipso. Transiens, quæ producit effectum extra se: idque, vel ex nihilo, seu subjecti, seu termini, estque creans, vel ex precedente materia habili, estque immutans, atque hæc pro ratione termini ad quem variis insuper dividitur modis, de quibus Physici. Aristoteles immutantem causam tantum agnoscit, quia semper efficientem definit in ordine ad motum, que primum movet, que principium motus est: Creantem non agnoscit, quia mundus apud ipsum aeternus est: an immanentem agnoverit, dubium est.

II. Vulgaris multorum Philosophorum error est, causam immanentem & emanativam confundere, cum tamen inter se multum distinguantur: nam immanens est causa activa, & distinctam habet ab existentia sua causalitatem: causa emanativa distinctam ab existentia sua causalitatem non habet: ceterum hoc ha-

bet causa immanens commune cum causa emanativa, non quidem omni, sed aliqua, nempe interna, ut simul sit agens & patiens, id est, producens effectum & recipiens idem in se ipsa. Ex. gr. Intellectus conceptus format & formatos conceptus recipit in se: unde actus causæ immanentis, si causa immanens consideretur ut causa efficiens, dicuntur actiones: si causa immanens eadem consideretur, ut subiectum patiens, dicuntur qualitates: sic intellectio & volitio sunt & actiones & qualitates: in quantum producuntur ab intellectu ac voluntate, sunt actiones: in quantum in iisdem subiectantur, sunt qualitates.

III. Longe alia ratio est causæ transiuntis, cuius effectum est extra ipsam causam, sive effectum post actionem causæ transiuntis permaneat, sive non permaneat, modo fuerit in alio subiecto, quam in quo est causa. Adducam exempla aliquot, ubi, & distinctum in

causa immanente ac transente agendi modum, & hujus divisionis usum videre licebit. In generatione & corruptione alia actio locum habere nequit, quam transiens; nihil enim seipsum generat; nihil sui interitus causa est. In alteratione, quae ad corruptionem tendit, similiter actio transiens deprehenditur, quia necesse est, ut qualitas inhærens per contrariam qualitatem expellatur: in alteratione vero, qua res perficiuntur, actio immanens frequentius animadvertisit; ita actio immanens est, qua res quilibet suæ conservationis studiosa pro qualitatum suarum integritate pugnat, ut cum aqua pristinum frigus recuperat. In accretione & diminutione videtur utraque actio concurrere, & immanens, & transiens. Denique in motu locali actio transiens sese offert, & deprehenditur in inferioribus, quatenus motum cœli sequuntur: at quando gravia & levia suum locum repetunt, videtur hoc fieri per actionem immanentem: dico, videtur, quia incerta hic sunt multa & obfcura. Sed causa transuentis naturam paulo penitus inspiciamus.

*V. Causæ Transuentis vulgo assignari solent tres conditiones.* 1. est; quia causa transiens semper producit effectum in alio, ideo à paciente semper debet esse realiter distincta. 2. est; debet esse conjuncta cum paciente. 3. est; debet patienti esse dissimilis.

*V. §. 1. Causa transiens debet re ipsa distinguiri à materia, subiecto, seu paciente.* Ratio est, quia causa transiens est causa activa, quae agit cum motu: at in motu movens à mobili re ipsa distinguitur: *Quicquid enim moveretur, ab alio moveretur:* est axioma receptissimum ex Arist. l. 7. & 8. Phys. Cujus axiomatis hac reddi potest ratio. Nihil simul actu esse potest & potentia. At vero, quod movet, actu est, quod moveret, potentia est. Ex. gr. Quod calcifacit, actu calidum est, vel actu saltem est: nam agere presupponit esse: quod calcifit, potentia calidum est: si quid ergo moveretur à seipso, id actu simul & potentia tale esse deberet, id est, deberet esse tale & non tale. Ergo si idem non possit moveri à seipso, quia idem non potest simul esse actu & potentia, causa transiens quoque non potest esse eadem cum

patiente, sed necessario est aliquid diversum ac distinctum ab eo, *velut totum à toto, velut pars à parte, vel ut pars à toto;* nam non est existimandum, quod distinctio causæ transuentis à paciente, sit diversitas tanquam inter duo supposita: quinimo sufficit, si sit inter duas partes unius suppositi realiter inter se se distinctas; ita, licet suppositum idem fuerit, actio nihilominus partium diversarum inter se mutuo, non immanens, sed transiens erit. Ex. gr. loqui & ambulare sunt actiones transuentes, non quod agens & patiens sint diversa supposita, sed unius suppositi partes utrobius que sint distinctæ: in ambulando, pars una corporis movet aliam: in loquendo, phantasia impellit spiritum, spiritus musculos, musculi diaphragma, diaphragma pulmonem, pulmo aërem, aëris dentes, qui sonum edunt: hæc causa transiens est diversa à paciente, ob partitum in uno supposito diversitatem à se mutuo.

*V. I. Quæri hic solet & potest non incommodo, quoisque extendi debeat hoc axioma Aristotelis. Quicquid moveretur, ab alio moveretur. Quod generaliter sine ulla exceptione summi non debeat, puto satis esse clarum. 1. enim non habet locum in causis emanativis. 2. neque in immanentibus. 3. non liquet, quomodo gravia & levia moveantur ab alio, cum moventur motu progressivo. Qui existimant sufficere, ut agens à paciente distinguatur secundum rationem agendi & recipiendi, non esse necessarium autem, ut distinguatur secundum entitatem absolutam, sic ut fieri possit, ut una eademque res sit agens & patiens, sed per facultates ac rationes diversas, sive illæ, sint inter se realiter diversæ, sive se habeant ut includens & inclusum, qui hoc, inquam, statuant & sic opinantur, illi frustra sunt, & à mente Aristotelis longissime aberrant; is enim citatum axioma adhibet ad demonstrandum primum motorem, quæ demonstratio infirma fuerit, nisi axioma accipiatur de reali distinctione inter movens & mobile. Ut ergo hujus axiomatis sensum assequamur, distinguendum est, inter principium principale seu remorum, & minus principale seu proximum. Deinde sunt constituae 4. distinctæ causarum efficientium classes. 1. est earum,*

earum, quæ causant per emanationem. 2. quæ agunt actione immanente. 3. quæ agunt actione spirituali, seu ut alii loquuntur, spirituali, ut sunt motiones locales Angelorum. 4. quæ agunt actione physica, ut sunt corpora naturalia, materialia, & quanta. Denique potest aliquid duobus modis moveri, 1. per se, uti moventur corpora naturalia. 2. per accidens, quæ moventur ad motum corporum, ut accidentia. Hic nunc sermo est, de priori genere motus, non de posteriori. Haec applicemus.

VII. In emanatione proximum efficiens à passo distinctum non est, potest tamen effectum ejusmodi reduci in efficiens remotum, quod realiter à passo distinctum sit. Quicquid enim rei debetur necessario in primo instanti sui esse, id à generante non minus profiscitur, quam res ipsa: Atqui quod per emanationem procedit ab aliqua re, id rei debetur necessario in primo instanti sui esse. Ergo effectum, quod emanat, non minus à generante aut creante profiscitur, quam principium à quo emanat: sed de hoc negotio actum est disp. præced. Porro in actionibus inmanentibus & spiritualibus motionibus, agens, neque proximum neque remotum, realiter à paciente distinguitur: non proximum, eadem enim facultas ejusmodi actiones elicit ac recipit: non etiam remotum, quia hæ actiones, non generanti, sed ipsis formis ac facultatibus, à quibus proxime procedunt, adscribendæ sunt; siquidem non necessario debentur rebus in ipso generationis momento, neque ex vi generationis rebus convenienti. In solis ergo actionibus Physicis, id est, causarum transfeuntium, agens à paciente distinctum est, idque vel proximum, vel remotum, & vel ut totum à toto, vel ut pars à parte, vel ut pars à toto, & distinctum realiter.

VIII. Opponit se huic axiomi Scotus, & adversus rationem allatam ait, verum illud quidem esse, quod nihil possit esse in actu & potentia formaliter, sed potest idem esse in actu virtuali seu eminenti & in potentia formalis. Ita Scotus, merum oneris & caliginem per terminos suos barbaros oculis objicere solet: hoc vult: potest idem habere vim eminentem ad efficiendam aliquam formam, & capacitatem simul ac potentiam ad eam formam recipien-

dam; ut, si motus, qui actu & formaliter calidus non est, sed virtute & quasi eminenter, calorem producat, quem ipse motus aut potius principium movens suscipere queat; nam ponamus sic, ut mentem ejus explicemus. Resp. ut aliquid in se agat, & non moveatur ab alio, non sufficere, ut habeat actum virtualem & potentiam formalem, quemadmodum *Scotus* loquitur; quod patet experientia in vino & piper: vinum enim & piper habent vim aut virtutem eminentem ad calorem efficiendum & potentiam etiam formalem, sed non calefaciunt tamen, nisi vinum commisceatur cum intrinseco calore animalis, & piper quoque, nisi prius alteretur & excitetur, coniunctione cum paciente, quod ab utroque diversum est: deinde nulla omnino res est in actu virtuali, ad illam formam, quæ ipsi est naturalis, ut hoc effugium *Scoti* sit vanum.

IX. §. 2. Causa transiens debet esse coniuncta patienti, quod sit duobus modis, vel propinquitate seu immediatione suppositi, vel propinquitate seu immediatione virtutis: prior modo, agens coniunctum est passo, cum duo corpora se mutuo tangunt, ut cum aqua manum absuit: posteriori modo, cum duo corpora distantia in se mutuo agunt diffusa virtute per medium, ut cum Sol calefacit hæc inferiora diffuso calore per aërem. Immediatio virtutis iterum duplex est. 1. ut actio agentis per intermedium diffundatur ad extreum, non ex necessitate causalitatis partis proxime patientis in partem remotam, sed solum ex necessitate ordinis, id est, ut clarus loquar, non quia agens postulat, ut pars proxima patientis concurrat secum ad actionem in partem remotam, sed quia passum applicatum agenti, necessario patitur prius in parte propinquâ quam in parte remota. 2. ut agens prius agat in partem propinquam passi, & per per partem propinquam, tanquam per instrumentum, in partem remotam. Haec applicemus.

X. Dico 1. Non semper requiri propinquitatem aut immediationem suppositi inter agens & patientis in actione transiente. Atque hoc multis experientiis clarum est: sufficit illa de Sole, qui supposito hæc inferiora non attingit, in quæ agit. Dico 2. dari non posse actionem in distans,

*distant*, nisi prius actio recipiatur in medio: & probatur. Agere praesupponit esse: itaque agere certo loco praesupponit esse illi loco coniunctum, vel supposito, vel virtute: alias nulla ratio dari posset, cur non possit agens naturale agere in distantia per passum vacuum, quod tamen Philosophi plerique impossibile judicant; negant enim motum in vacuo fieri posse. Dico 3. *necesse esse*, ut agens eadem virtute atque actione continua, qua agit in distantia, incipiat agere in medium sibi propinquum & per totum medium actionem suam diffundat usque ad passum distantia: Si enim agens ageret alia actione & virtute in medium, alia in passum distantia (ex gr. si ignis ageret per siccitatem in medium, per calorem in passum distantia) tum essent duo agentia, non materialiter, sed formaliter saltus diversa, quia actio siccitatis in medium per accidentem plane coheret cum calore, quo agit in distantia, ignis: ideoque dico, *plane necesse esse*, ut sit una eademque virtus, una eademque actio continua, qua agens agat in distantia pariter & in medium: cum dico unam virtutem, non intelligo unam entitatem, sed unum principium adaequatum unius actionis, etiam si coalescat cum pluribus formis, vel subordinatis, vel coordinatis: similiter, cum dico, *actionem continuam*, non intelligo continuitatem Phyzicam, sed vero continuitatem secundum ordinem causalitatis: sic Sol eadem virtute eademque actione continua

agit, in visceribus terræ, &c in toto medio, licet in corporibus sibi proxime subjectis producat tantum lumen, in aëre lumen & calorem, in terra visceribus calorem tantum. Dico 4. *probabile esse, medium*, per quod agens agit in passum remotum, sepe esse instrumentum, non instrumentum separatum, sed coniunctum in causando. Dico 5. *fieri posse*, ut agens per propinquam partem agat in remotam, non tanquam per instrumentum, sed tanquam per medium, necessarium tantum ad continuitatem actionis.

XI. §. 3. *Agens patienti debet esse dissimile, in actione transeunte.* Dissimilitudo haec intelligitur bifariam, aut quoad speciem, aut quoad gradum. Quoad speciem agens patienti dissimile est, cum patiens habet qualitatem specie distinctam à qualitate agentis, ut si patiens sit frigidum & agens calidum: quoad gradum, quando agens habet candem qualitatem specie quam habet patiens, sed tamen gradu differentem, ut, si agens sit calidum, ut sex, patiens calidum, ut duo; Cum alterutra harum dissimilitudinum obtinet, jam datur actio, in caufa transeunte: si neutro modo agens patienti est dissimile, nulla actio dari potest, ne tum quidem etiam, cum agens habet majorem agendi vim & efficaciam; ita ferrum candens non agit in flammarum, licet sit efficacius, & ratio est, quia non est calidius; nam pono calorem utrobique intensissimum.

---

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

DECIMA - QUINTA,

DE

## CAVSA LIBERA.

### THEISIS I.

**D**E Causa libera actum est disp. select. vol. primi disp. 46. & 47. atque ibi Causæ libere notionem veram ac definitionem, disp. 46. & quomodo esse Causam liberam, Deo,

Angelis, ac homini, competit, disp. 47. exposuimus. Libertas causæ liberæ vulgo in duobus collocatur, in indifferentia & libentia rationis: est enim, quæ potest agere quicquid, quando, & quantum

*quantum lubet: quicquid, quando, & quantum, significant indifferentiam: lubet, significat rationis lubentiam.. Atque haec magis constituit libertatem, quam indifferentia, quia indifferentia in rationis lubentia indeterminata, qua, quod lubet intellectus judicio ultimo, volumus atque agimus, fundata est. De rationis lubentia, quam alii vocant spontaneitatem cum ratione, satis est dictum disp. cit. & Collegij Eth. disp. 9.10. & 11. Ostendimus ibi, causam liberam ideo agere liberrime, quia agit id, quod lubet, lubet vero id quod ratio dicit, pro judicio suo, quo aliud etiam dictare potest ac judicare, & ista judiciorum indifferentia, omnis indifferentia in causa libera, in ejus voluntate & actionibus, est radix, voluntas enim tum est indifferentia, quando & quoties intellectus est indifferentia in judicando, qui non semper est talis, non in nobis circa finem ultimum, non in Christo fuit respectu obedientiae Patri praesertim, non est in Angelis aut Beatis Animabus respectu amoris, quo Deum venerantur; quin intellectus indifferentia sublata, quæ ante fuit, ac posito jam dictamine determinato, & lato, omnibus circumstantiis expensis, judicio ultimo, non est voluntas adhuc indifferentia, sic ut possit non velle aut aliud velle, ac de facto non velit aut aliud velit, quam intellectus dictavit: hanc tamen voluntatis indifferentiam, etiam sublata intellectus judicantis indifferentia & posita jam ejus determinatione, ad libertatem Causæ liberæ exigit vulgus Philosophorum, quam vocant *indifferentiam in sensu composito*, quia illa in voluntate simul componatur cum determinatione & non-indifferentia intellectus: ita volunt, posito dictamine ultimo intellectus practici, nisi voluntas in sensu composito possit contrarium actum elicere, ac nisi actu sepe eliciat, volunt & statuant eam non fore liberam: pariter concludunt omnes *Patroni Liberi Arbitrii, Veteres & Novi Pelagiani, Jesuite, & qui eorum virtula arant inter egressos ex medio nostri*, nisi voluntas humana, posita jam præmotione Dei præsente ex precedente ejus decreto, non tantum in naturalibus, moralibus, civilibus, sed & in spiritualibus ac supernaturalibus, adhuc possit aliud velle, quam*

quod Deus decrevit ut illa vellet, & ad quod volendum eam movet, non fore liberam: sc. malunt isti homines aliquid derogare Dei potentie, ut non sit omnipotens, quam vel tantillum detrahere huic voluntatis indifferentie. Certe, si Dei motioni præsenti in voluntatem humanam ad hoc volendum resisti possit à voluntate pro innata sibi libertate, ut hoc non velit, jam Deus non omnia poterit; non enim poterit, ut voluntas humana illum actum producat, ad quem eam ex decreto suo eterno movet; quia, scilicet, laderetur ejus libertas; nempe, hæc *ad libertatem indifferentiam*, pro qua, tanquam pro *Helena*, ita pugnant, ut falsa maneat hæc *Regina*, etiam *Regi Regum Deo* aliquid detraheretur. Itaque visum fuit operæ pretium, & utilissimum ad natum *Causæ liberæ* intelligendam, penitus despicer, quo sensu hæc indifferentia sit admittenda, quo non, & quatenus in ea libertas consistat, quatenus non: ne *juventus Philosophie* studiosæ errores imbibat ex *Philosophia vulgaris*, qui obsint *Theologiam* salutari: nam certum est, illos omnes, qui *Liberi Arbitrii*, & olim & nunc circa spiritualia & supernaturalia, extiterunt *Hyperaspistiæ*, ejusque vires hic defenderunt, id *falsa notione libertatis*, arrepta ex *Philosophis vulgaribus*, qui omnes collocarunt libertatem in sola *ad libertatem*, indifferentia, quia *causa libera*, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere & non agere, aut ita agere unum, ut & contrarium agere possit, etiam in sensu composito, i. e. ut facte contrarium agat: *Quæ libertatis ac causa liberæ* descriptio, in *Iesuitarum cerebro* nata, nec *Aristotelis*, eorum in *Philosophia*, nec *Thome Aquinatis* in *Theologia*, *Dilettatoribus ac Papis*, fuit cognita. Sed rem ipsam agamus; &, quo sensu & quando aliqua indifferentia in voluntate & causa libera ponit, executiamus: nam, ut vulgo à receptis proponitur *Philosophis*, tolerari nec potest, nec debet.

11. Sententia Adversariorum hæc est. *Indifferentia causæ liberæ* est, ut positis omnibus requisitis antecedenter ad actum liberum, etiam dictamine intellectus practici ultimo, & influxu actuali, quo Deus influit in liberum hominis arbitrium, voluntas tamen creata possit etiam,

*in sensu composito, operari illum actum & non operari, possit, dico, positis iis omnibus, suspendere illum actum aut etiam elicere contrarium: itaque dicunt posterius, esse necessarium ad veram libertatem & usum illius, ut distinctio, quo intellectus voluntatem ad hoc, & motio, qua Deus movet voluntatem ad consensum, possint stare ac simul esse & componi in eadem causa libera in eodem libero arbitrio ac voluntate creata, cum actu voluntatis ad aliud & sensu contrario: & sic intelligitur illis sensus compositus, cum juxta eum, positis omnibus prærequisitis, causam adhuc liberam, & voluntatem liberam manere afferunt: sed vero intelligitur pessime; quod ut demonstremus, duo sterneamus fundamenta.*

III. §. 1. Fundamentum primum petemus ex ipso Aristotele 9. Met. & Thoma Aquin. ad ipsum locum, id est, rejeci ab Adversariis non potest: nempe hoc est; *Quod in omni causa libera simul sit potentia ad utrumque oppositorum, non tamen est in ea potentia ad opposita simul habenda:* ita in homine est simul potentia ad ambulandum & sedendum, ad assentendum & dissentendum, quæ sunt opposita disparate vel contrarie, ad volendum & non volendum, operandum & non operandum, quæ sunt opposita contradictione, sed non est in homine potentia ad ambulandum & sedendum simul, ad assentendum & dissentendum simul, ad volendum & non volendum simul, ad operandum & non operandum simul: & ratio est: nam potentia ad unum actum non repugnat potentia ad actum disparatum vel contrarium, imo nec repugnat actui disparato vel contrario: sed duo actus disparati vel contrarii repugnant inter se, nec possunt de eodem subiecto singulari verificari, sunt enim, ut Scholastici loquuntur, incompossibilis: sicut nec duæ enunciationses contradictiones verificari possunt de eodem subiecto singulare: sed vero verificari possunt de eodem subiecto singulari, potentia ad actum hunc & actus disparatus vel contrarius: itaque causa libera creata, ut est liberum arbitrium hominis, non solum antequam determinetur ad unum actum, i. e. in sensu diviso, sed etiam in ipso instanti, in quo à Deo determinatur,

& in quo per intellectus practici judicium ultimum voluntatem determinat suam, ad hunc actum, i. e. in sensu composito, simul habet potentiam, qua potest libere producere actum alium: & sic sensus compositus bonus est ac verus: sed non habet potentiam tamen ad actum oppositum simul habendum; & sic sensus compositus est malus ac falsus, quia duo actus oppositi simul eodem tempore, in vel ab eadem potentia, esse non possunt, sed tantum successivi: & hinc ortum traxit illa vulgo à Theologis & Philosophis recepta distinctione, de simultate potentiae & potentia simultatis: Est in causa creata libera, simultas potentiae ad operandum vel non, & ad operandum hoc vel ejus oppositum: nam per hoc, quod causa libera operetur unum actum, non destruitur libera ejus facultas, nec tollitur indifferentia sue potentiae, quam habet ad operandum actum oppositum si velit, vel quam habet etiam ad non operandum: similiter per hoc, quod non operetur pro hoc instanti talem actum, non amittit ideo potentiam operandi talem actum; Verum non est tamen in causa libera, nec esse potest potentia simultatis ad actus disparatos, contrarios, vel contradictorios, nam hi sunt incompossibilis, id est, simul in eodem subiecto, aut ab eodem, esse nequeunt: & sic patet, quis sit sensus compositus, quis divisus. Verum quia histermini in hoc negotio & alibi frequentissime usurpantur, paulo plenius eos excutimus.

IV. *Sensus compositus, est proprius enuntiationis modalis compositæ. Sensus divisus, est proprius enunciationi modali divisæ. Enuntiatio modalis composta est, in qua dictum subjicitur & modus prædicatur: & hæc facit sensum compositum, ut, *Album esse nigrum, est possibile. Modalis divisæ est, in qua modus interponitur inter partes dicti: & hæc enunciatio modalis facit sensum divisum, ut, *Album possibile est esse nigrum.** Hinc facile patet, ad veritatem modalis enunciationsis compositæ seu in sensu composito, de modo possibili, requiri, ut extrema, quæ ponuntur in dicto enunciationsis modalis, sint compossibilia in eodem subiecto: hac enim ratione enunciatio talis de possibili,*

possibili, dicitur composita, aut in sensu composito, quia nimurum extrema dicti componit seu simul ponit in eodem subiecto, mediante copula de possibili; ut in enunciatione, quam proposui, *Album esse nigrum, est possibile, di-*  
*ctum modalis hujus enunciationis est totum illud, Album esse nigrum, cuius dicti unum extremum est, Album, alterum, Nigrum.* Ut ergo haec propositio sit vera in sensu composito, necessario requiritur, ut sit possibile, idem subiectum singulare simul esse album & nigrum; & propterea ista propositio, quam posui, est falsa in sensu composito, quia scilicet propositio de inesse, per quam haec modalis immediate regulatur & probatur, sc. *Album est nigrum, est falsa & prorsus impossibilis:* ideoque, quando ex ista pura enunciatione fit modalis de possibili composita, fit enunciatio falsa: At, si fiat enunciatio de possibili divisiva, vera erit, quia sensus divisus est iste, quo forma, quae significatur per unum extremum, ponitur in subiecto, & dicitur forma, quae per alterum significatur extremum, divisum, successive, & tempore alio, in subiecto poni posse, non vero simul, aut eodem tempore: sic, *Album possibile est esse nigrum, i. e. subiectum, quod nunc formam habet albi, potest formam nigri suscipere & esse nigrum, tempore alio.* Haec applicemus. *Dicimus ergo, Causa liberæ competere indifferentiam in sensu diviso, non vero in sensu composito, quomodo hic sensus nunc est explicatus, i. e. dicimus, causam liberam creatam, jam motam à Deo, ad assentiendum aut operandum, non posse in sensu composito, aut dissentire, aut non operari, uti & voluntas mota ab intellectu pratico non potest, in sensu composito, non velle, & tamen, causa libera est talis ac manet talis, & voluntas est ac manet libera, quia utrumque potest in sensu diviso: nam motio illa Dei actualis & actualis dissensus creature (idem dicendum est de motione intellectus pratici & volitione actuali voluntatis) non possunt simul poni eodem tempore in eadem causa libera, quia est sensus compositus: sed motio illa Dei ad assentiendum & potentia dissentendi, omnino simul poni possunt, & hic est sensus divisus: nam motio Dei actualis &*

actualis assensus, non tollunt à causa libera potentiam dissentendi, i. e. indifferentiam in sensu diviso, sed tollunt actualem dissensum, i. e. indifferentiam in sensu composito; quod ulterius sic probatur.

V. Sensus compositus non est ille, quo forma importata per unum extremum ponitur in subiecto, sed quo duæ formæ importatae per utrumque extremum simul ponuntur in eodem subiecto: sicuti cum dicimus, *Album potest esse nigrum, in sensu composito, non significamus, quod albor sit aut esse possit in aliquo subiecto seorsum, vel quod nigror sit aut esse possit in aliquo subiecto seorsum, sed sensus est, quod albor & nigror simul sint compossibilis in eodem subiecto: & propterea illa enunciatio in sensu composito est falsa, quia impossibile est, ut aliquid sit simul album & nigrum.* Pariter quoque cum dicimus, *causam liberam motam à Deo ad assentiendum, non posse dissentire in sensu composito* (idem dicendum est de voluntate mota ab intellectu pratico ad volendum) non significamus, quod motio ista Dei sit aut esse possit in causa libera, & quod dissensus seorsum sit aut esse possit in eadem causa libera, qui sensus est divisus, & admittitur à nobis: sed hoc significamus, quod motio ista Dei ad assentiendum & dissensus actualis non possint esse simul in eadem causa libera, qui sensus est compositus, & à Nobis negatur, ab Adversariis ponitur, motionem Dei ad assentiendum & dissensum actualem simul esse posse afferentium; sed pesime, quod ex ipsis Adversariis, argumento ad hominem, ut vocant, probabimus.

VI. Quoties *Adversarii* premuntur vi argumentorum, quibus vulgo probari solet, cum infallibilitate praescientiae divinae non posse stare arbitrii humani libertatem (nam supposita praescientia, qua Deus praescivit, Petrum esse consensurum, impossibile est, ut Petrus dissentiat, alioquin Dei praescientia falli posset) quoties, inquam, *Adversarii* sic premuntur, solent respondere, id esse impossibile in sensu composito, quia videlicet repugnat, haec duo simul esse vera, quod scilicet Deus sciat Petrum consensurum & nihilominus Petrus non consentiat aut dissentiat; &

tamen volunt, per præscientiam divinam, quando jam Petrus consentit, non tolli ejus, aut liberi arbitrii, aut causæ liberæ, libertatem; similiter ergo & ego dico, Causam liberam ad assentendum motam à Deo (idem semper intelligendum est de voluntate mota ab intellectu pratico, quod semel monitum esto) non posse in sensu composito dissentire, & tamen libertatem non tolli à causa libera: sensus est, quod implicet contradictionem, hæc duo simul esse vera, sc. ut Motio Dei ad consentendum sit in homine & homo dissentiat, quamvis semper possit dissentire: & hæc est ejus libertas, & si quæ in illo est, hæc *ἀδιαφορία* seu indifferentia, ut homo, posita determinatione Dei atque intellectus sui ad assentendum, possit dissentire, qui est sensus divisus ac nosfer, non vero actu dissentiat, qui est sensus compositus & adversariorum. Sed hæc adhuc clarius patent ex sequentibus.

VII. §. 2. Secundum fundamentum hoc est, quod, cum causa libera ab Adversariis definitur, quæ possit omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere, agere hoc vel illud, in sensu composito, illud dupliciter intelligi possit. 1. ita, ut compositio fiat inter requisita ad operandum & ipsam operandi & non operandi potentiam: & tunc sensus compositus est, quod potentia operandi & non operandi sit simul in eodem subjecto cum antecedenter requisitis ad talem talis potentie operationem certam: & hic sensus compositus est verissimus, & eum libenter admittimus. Sed 2. ita potest intelligi, ut compositio fiat inter requisita antecedenter ad talem actum certum & inter carentiam talis actus certi aut actum contrarium: & tum sensus compositus hic est, quod omnia præquisita, & ex parte Dei, & ex parte intellectus pratici, ad operandum talem actum particularem, & carentia ejusdem actus aut actus contrarius, possint esse atque aliquando sint simul in eodem subjecto, in eadem causa libera. Et hic sensus compositus admittitur ab Adversariis, à Nobis rejicitur. Nos haec tenus admittimus, sensum compositum, quatenus in eadem causa libera simul cum Præquisitis & motione Dei prævia ac simultanea consistit & conspirat amice

facutas seu potentia, qua possit operari vel non operari & operari hoc vel illud, sed ut simul sit, quod possit in omnibus de facto non operetur aut operetur contrarium, diserte negamus, ac fieri non potest. Sane nullum ex præquisitis, quin ne motio quidem Dei, seu prævia seu simultanea, qua efficaciter determinatur causa libera ad agendum ac de facto agit, & agit hunc actum particularem ac certum, tollit ab ipsa facultatem aut potentiam ad non agendum aut agendum oppositum, sed tantum hoc efficiunt præquisita, decretum & præscientia ac motio Dei, tum prævia, tum simultanea, ut causalibera, cum possit operari & non operari & operari hoc vel aliud, infallibiliter tantum & nihilominus libero operetur hunc actum certum & particularem: itaque compositionem inter præquisita & carentiam talis actus certi aut actum contrarium non admittimus, & tamen servamus libertatem cause liberae sartam teatam, ac, quod plus est, servamus indifferentiam, quoque servari potest ac debet: nempe, hæc sunt incompossibilita, ut pro eodem instanti temporis in eadem causa libera omnia sint antecedenter requisita ad productionem talis actus, & causa libera istum actum non producat aut producat contrarium, & nihilominus cum hac incompossibilitate stat vera simul liberitas, imo & indifferentia causæ liberæ, quia, licet maneat compositio inter præquisita & ipsam potentiam agendi, in sensu composito, hæc tamen compositio & hic sensus compositus indifferentiam à causa libera non afferunt, quia non tollunt potentiam agendi, sed vero eam ponunt, nam actum tantum contrarium aut actus negationem solum eunt sublatum; manet quoque indifferentia in sensu diviso, ut fuit explicatum.

VIII. Quia vero exempla valde illustrant, exemplo totum hoc negotium declarabimus. Causa libera, puta homo, producat actum dilectionis vel fidei: inter præquisita est efficax Dei decretum, quo Deus decretivit, ab extero, ut homo talem actum produceret, & ejus motio in tempore, qua hominis voluntatem p̄m̄ovet ad eundem actum: in ipso enim movemur, & ille efficit non velle & operari:

rari : sed cum efficaci decreto ac motione Dei non stat simul , ut causa libera non producat illum actum , vel dilectionis , vel fidei , aut ut eliciat actum contrarium , vel odii , vel infidelitatis , & tamen libere producit istum actum immo etiam ea libertate , quæ est sita in indifferentia ; potest enim in sensu diviso illum actum non producere , quatenus si non poneatur decretum aut motio efficax , cum non produceret : potest etiam in sensu composito illum non producere , quatenus cum jam producit eum ex prædeterminatione decreti ac motionis divine , retinet nihilominus potentiam non producendi : nam ista potentia per decretum & motionem divinam non auferitur , sed tantum actus contrarius illi , odium aut negatio dilectionis , infidelitas aut negatio fidei in actu secundo , seu negatio & credendi .

I X. Atque hæc maximi sunt usus & momenti in Theologia: v. c. impossibile est , hæc duo esse simul vera : Spiritus Sanctus vult aliquem movere ad actum dilectionis aut fidei , & ille tamen non diligit nec credit : At vero ex sententia Adverfariorum hæc sunt verissima : quia illis motio Spiritus Sancti & negatio actus eliciendi aut non elicere actum , simul componi & stare possunt , nimurum , ut liberi arbitrii *αὐτοφερία* , indifferentia in sensu composito , salvetur : hinc dicunt ; resisti posse operationi Spiritus Sancti per vires liberi arbitrii : hinc dicunt , hominis cor moveri posse à Deo cum intentione ut gratiam consequatur , ut convertatur , & tamen de facto , posse non consequi gratiam , posse non converti : nimurum , alioquin homo non foret causa libera , non foret ei liberum arbitrium . Sed vero , Nos , negando illam sensus compositi in libero arbitrio *αὐτοφερία* , decreti , scientiæ , motionis divinae , infallibilitatem ac certitudinem , adstruimus , nec tamen naturam liberi arbitrii destruimus , ut illi quidem , sed falso existimat , licet actus secundos ejus & vires exercitas negemus : Manet enim libertas causa libera , quamdiu manet lubentia rationis , quin hic amplius est , & duplex quidem indifferentia , una in sensu diviso , altera in sensu composito , quatenus est compositio inter prærequisita quæcunque , etiam præbias Dei ope-

rationes , & inter potentiam ipsam agendi & non agendi , non vero , quatenus est composicio inter prærequisita & inter ipsum actum contrarium aut negationem actus , ut Jesuitæ volunt & omnes qui pro libero certant arbitrio . Ergo nos non omnem à causa libera indifferentiam ubique & semper excludimus , sed vero duplē agnoscimus : tertiam , sensus compositi Jesuitici , rejicimus . Nunc porro videamus , unde indifferentia causa libera , cum in ea reperitur præter spontaneitatem cum ratione , ortum ducat .

X. Causæ liberae indifferentia tota fundatur ac radicatur in indifferentia intellectus practici , qua judicat objectum propositum , esse vel amandum vel fugiendum , prout convenientiam habuerit cum agente vel non , prout ad finem ultimum vel adducit vel abducit : nam qui istam indifferentiam in sola locant voluntate , ut faciunt illi , qui voluntatis libertatem perire putant , nisi indifferens maneat , ad volendum vel non , & ad volendum hoc vel contrarium , etiam posito dictamine intellectus practici ultimo , in sensu , ut ajunt , composito , illi toto errant cœlo : nam in voluntate nulla est indifferentia , nisi illa prius fuerit in intellectu : nam voluntas intellectum sequitur , ab eoque ad volendum ac noleendum determinatur ; ideoque ita se habet ad objecta & actiones suas , prout ab intellectu ducitur ac regulatur : cum igitur intellectus est indifferens , & voluntas quoque est : cum intellectus non est indifferens , nec voluntas est : intellectus non est indifferens circa res omnes ; sic nec voluntas ; intellectus non est indifferens circa finem ultimum , sic nec voluntas : intellectus enim non potest non judicare , finem ultimum esse amandum , & voluntas quoque non potest non eum amare : sic & nulla utriusque est indifferentia circa media , quæ necessariam cum fine ultimo seu summo bono dicunt & habent connexionem : at vero circa illa media , quæ non habent necessariam cum fine ultimo aut summo bono connexionem , indifferens est intellectus & indifferens quoque voluntas : itaque , quas res esse bonas vel malas judicat intellectus *αὐτοφερία* , sine deliberatione , ab iis necessario movetur

movetur ac determinatur: ab intellectu determinato non potest non determinari voluntas: quæ vero res sub deliberationem cadunt, circa eas à tali determinatione liber est intellectus, & indifferens, liberrimeque pro iudiciorum sui indifferentia præscribit eligendum voluntati hoc vel illud medium, quod cæteris præstare judicat, voluntas ex præscripto intellectus judicantis agit, & vel hoc vel illud medium eligit, quod ab intellectus iudicio aliis est prælatum. Voluntas cum sic agit, potentiam non agendi non amittit, sed eam retinet,

ac potest, etiam cum agit, non agere, si intellectus non præscribat, aut aliud agere, si intellectus aliud præscribat: si nulla res inter propositas intellectui placeat, omnes rejicit, & voluntas nihil appetit, quia intellectus nihil suo iudicio præscribit. Quare, ut concludam, causa libera est indifferens, quando ex indifferenti rationis practica iudicio agit; quod si, non indifferens, sed determinatum fuerit, adhuc manet libera, modo agat, ut agit semper, quod intellectui lubet, videtur, approbatur, iudicatur.

### Disputationum ex Philosophiâ selectorum

Voluminis Secundi,

D E C I M A - Q U I N T A ,

D E

## CAUSA EFFICIENTE PER SE ET PER ACCIDENTS.

### T H E S I S I .

**N**on inter postremas est *Causæ Efficientis* divisio, in eam, quæ est *per se*, & eam, quæ est *per accidentem*. Causa Efficienti per se est, quæ effectum producit naturæ suæ aut consilio consentaneum: causa efficienti per accidentem est, quæ effectum producit naturæ suæ aut consilio dissentaneum.

II. Notandum est, nō *per se* & *per accidentem*, duobus modis de causa efficiente enunciari, eique tribui: *vel ratione ipsius causæ, vel ratione effecti*. Tò *per se* causæ efficienti adscribitur, ratione ipsius causæ, cum illa effectum producit, qua est talis, i.e. ea ipsa virtute, à qua denominatur: *clarus*, cum effectum referatur ad principium tale, à quo ipsa causa nomen habet, v.c. si Architectus ædificet, aut Musicus canat, uterque est causa *per se*, ut Tò *per se* referatur ad ipsam causam, quia causat uterque effectum, qua est talis: nō ædificare enim proficitur à peritia ædificandi, principio tali in Architecto, quod ipsum Architectum denominat; ita nō canere proficitur à Musico, per se, ratione Musici, quia proficitur à tali principio, quod Musicum talem facit ac de-

nominat. Tò *per accidentem* Causæ Efficienti tribuitur, ratione ipsius causæ, cum illa effectum producit, non qua est talis, i.e. non ea virtute, à qua denominatur, sed alia, quæ per accidentem causa efficienti superveniat; *clarus*, cum aliquid attributum additur causa efficienti, praeter virtutem propriam, à quo tamen effectus non est. v.c. si aliquis, qui Architectus est votacione, simul Musicam calleat, & canat, & dixerit, Architectus canit, aut, qui Musican profitetur, ædificet, uterque causa est efficienti per accidentem ut nō *per accidentem* referatur ad causam, Architectus in canendo, Musicus in ædificando, quia actio & scientia canendi adiungitur ei, qui per se ædificat, est enim is Architectus, & actio ac scientia ædificandi adiungitur ei, qui per se canit, est enim is Musicus: itaque, quando Musicus ædificat, proficitur à Musico, causa per se canendi, ædificatio, quæ tamē non est à Musico, aut peritia canendi, quæ ipsum Musicum denominat, sed aliunde, nam Musicus quidem ædificat, sed non qua est Musicus, ideoque per accidentem causa est ædificationis: sic Architecto, causæ per se ædifi-

ædificandi, cum canit, per accidens actio canendi oritur ab Architecto, quia non oritur à peritia ædificandi, quæ ipsum denominat Architectum, sed aliunde: nam Architectus quidem canit, sed non qua Architectus, ideoque per accidens causa est cantationis.

111. Tò per se causæ efficienti adscribitur, ratione effecti, quæ fine suo potitur; Tò per accidens, cum fine suo frustratur: Illa finem assequitur, cum effectum producit, quod intenderat, si fuerit causa libera, aut quod naturæ sua & inclinationi naturali convenit, si fuerit causa necessaria: hæc fine suo excidit, cum effectum producit, quod, aut cum intentione sua ac confilio, aut cum natura sua ac naturali propensione non convenit. Ergo. Tò per se causæ efficienti tribuitur, ratione effecti, cum causæ agenti, juxta intentionem voluntariam aut propensionem naturalem, effectus respondeat, ut sic & principio agendi conveniens; nò per accidens eidem tribuitur, ratione effecti, cum effectui, per se ex intentione aut propensione causæ agentis productio aut producendo, adjungitur effectus alius, præter aut intentionem aut propensionem: sic pescatoris effectum per se est pescari, & pescationis pisciumque capturæ causa per se est pescator, ratione effecti, quia hoc effectum respondet ejus intentioni, intendit enim pescari: at huic pescationi per se intenta opponatur effectus alius, non intentus, veluti extractio aurei trípodis; hic effectus erit per accidens, quia oritur præter intentionem causæ, & pescator est causa per accidens, ratione effecti; sic natura, cum producit effectum sibi simile, est causa per se, ratione effecti, quia effectum respondeat propensioni naturali & qua agit, & quo protendebat ipsa; at si monstrum producat, est causa per accidens, ratione effecti, quia illud non respondet propensioni ejus naturali, neque enim illa propendebat eo ut monstrum produceret, sed monstri effectio, ut effectus alius, præter propensionem causæ naturalem, adjungitur effectui per se intento.

IV. Causa efficiens per accidens, ratione effecti, subdividi solet in fortuitam & casualē, vulgo fortunam & casum. Effectum per accidens, quod adhæret effecto per se causæ libe-

ræ, est effectum fortuitum: effectum per accidens, quod adhæret effecto per se causæ necessariae, est effectum casuale. Causa ergo fortuita, est causa libera per accidens, in quantum effectu ejus per se intento annectitur effectum aliud non intentum, sic causa fortuita inventi tripodis est pescator. Causa casualis, est causa per accidens necessaria, in quantum effectu per se causæ naturalis apponitur aliud effectum præter naturalem propensionem causæ, ut cum tegula decidens de tecto lœdit præter euntis caput; nam præter propensionem naturalem lapidis id est, ut lœdat prætereuntem, & tamen hoc ipsum est conjunctum cum effectu lapidis per se, quod est moveri ad centrum suum.

V. Casus interdum sumitur late pro omni causa per accidens, & sic fortunam sub se comprehendit, &c, sic, quicquid est à fortuna, à casu est; non vero omne quod à casu est à fortuna; interdum sumitur strictè prout fortunæ opponitur; & tum casu agit causa, quæ, quando per se agit, non tamen agit per intellectum ac voluntatem, sed per propensionem naturalem tantum; fortunā agit causa, quæ, quando per se agit, per intellectum agit & voluntatem: ideoque hæc, quando per accidens agit, effectum producit præter aut scientiam aut voluntatem, i. e. quod aut non præscivit aut non ante decrevit; illa, quando per accidens agit, effectum producit, ad quod ante non propendit.

V I. Quæri hic commode potest: An Deus possit dici efficiens per accidens ullius effecti? Resp. Deus nullius effecti est causa per accidens, sed omnium, quorum est causa, est causa per se: quia hoc derogat summae Dei sapientiæ, ut aliquis effectus dicatur fieri à Deo, præter ejus, aut scientiam, aut intentionem: Qui dicunt, Deum esse causam per accidens aliquorum peccatorum, solent proferre, quod Deus considerit voluntatem in homine, & voluntas sit causa peccati: quod vero est causa causæ est causa causati, si non per se, saltem per accidens: & sic Deus, qui est causa voluntatis peccantis, erit saltem per accidens causa peccati; absit blasphemia dicto. Sed enim isti homines non satis percipiunt, quid sit causa efficiens

efficiens per accidens. Causa enim per accidens, quæ producit effectum præter consilium atque intentionem: itaque, quando causa libera producit aliquid aliud, quam quod producere intendit atque decrevit, est causa per accidens: atqui Deus sapientissimus nihil præter intentionem producit; quæ enim præter intentionem eveniunt, præter exspectationem eveniunt & minime opinantibus, quod ignorantiam arguit: at eam Deo tribuere, impium est: *Deus igitur nec peccati nec ullius rei est causa per accidens;* sed quæ producit omnipotensissimus, eorum omnium est causa per se: peccati vero causa est, nullo modo; nec per se, quia malum non facit, ( nec enim à lege deficit, cum lex ei non sit posita; at malum est *avocata illegalitas;* ) nec sua efficientia positiva terminari potest in privationem; at malum privatio est bonitatis moralis; neque per accidens, quia nihil accedit præter ejus notitiam, consilium, intentionem, decretum. Sed vero Deus multa efficit per se, ut actiones omnes naturales, etiam eas, ad quas peccata esse secuta, aut potius quas peccata esse concomitatura novit, & novit, quia decrevit, ut sequentur aut concomitantur, non quidem se efficiente ( neque enim omnia, quæ decrevit fore, efficit, neque argumentatio valet ab efficacia decreti ad efficientiam rei decretæ) sed se permittente: itaque actionum, quæ substernuntur peccato, seu *materialis*, i. plius peccati, Deus est causa per se, at vero i. plius peccati, seu malitia, vitiositatis, illegalitatis, irregularitatis ( & ut barbare loquar cum Barbaris ) peccaminositatibus in actionibus, Deus, nec per se causa est, nec per accidens, quia plane causa non est: interim quod in actione hac aut illa hominis peccantis sit peccatum, in abstracto sumtum, id non est præter Dei aut notitiam aut intentionem; Deus enim non tantum præscivit, sed & voluit, immo præscivit quia voluit, peccatum fore, & licet oderit peccatum, ut malum in honestum, ut privationem rectitudinis moralis actionibus humanis inesse debite, ut transgressionem legis suæ, ut aversionem à se tanquam summo bono, illud tamen decrevit fore, ac voluit, existere in rebus natura suo modo, nam existentia proprie-

est entis realis & à causis efficientibus, at peccatum est non ens reale & à causis deficientibus, quæ male vocantur cause, quia virtutem aut vim propriæ nullam conferunt sed eam negant ( voluit, inquam, existere, tanquam medium illustrande misericordiae suæ in illo condonando & justitiae in puniendo: nam non fieri peccati, à Deo est volitum decretumque, tanquam bonum utile, & ex natura sua ordinabile, & à Deo ordinatum, ut medium conducibile ad finem, gloriam manifestandam suæ misericordiae ac justitiae, novit enim ex tenebris eruere lucem: creatio mundi fuit à Deo volita ac decreta est, tanquam medium illustrandi suam potentiam, bonitatem, & sapientiam ) nec tamen Deus ullo modo aut sensu, nisi cum summa ejus injuria aut blasphemia, potest dici causa per se peccati, quia non intendit aut voluit ipse facere, cum ne facere quidem possit, sed, ut ab aliis fieret, tantum permettere: quod permettere, non est aliquid conferre ad peccati productionem, sed aliquid non conferre, & negare gratiam specialem ad peccatum vitandum necessariam, quam cum conferre Deus non tenetur, cum ab ea conferenda deficit, deficientia est non moralis aut culpabilis, qua quis deficit ab eo quod debet, sed Physica, qua quis deficit ab eo, quod potest, licet potentiam istam ad actionem traducere non tenetur: At vero causa efficiens per se est, quæ ita vult & intendit aliquid, ut ipsa faciat illud. Ergo, ut concludam, cum Deus peccatum non faciat, nec facere possit, utcunque ab æternō voluerit atque intendenter peccatum fore ac fieri, atque ipsam malitiam actionis male decreverit extirpar, ut medium utile fini suo obtinendo ( qui est gloria sua ) peccati tamen causa per se dici non potest: & multo minus causa per accidens, 1. quia causa ejus est nullo modo, cum non faciat illud, sed tantum ex decreto suo fieri permittat: at causa per accidens vere facit, efficit, producit, effectum, licet præter intentionem suam: pescator vere extrahit aureum tripodem, hoc est, effectum illud vere producit: at Deus peccatum non producit ullo modo. 2. causa per accidens, præterquam quod vere agat, ita tamen agit, ut agat præter intentionem.

intentionem: Atqui, ut vere agere respectu peccati, i. e. vere producere peccatum, non convenit Deo, ita nec convenit ipsi, agere præter intentionem. Prius in sanctitatem Dei impingit, posterius in sapientiam ejus incurrit & omniscientiam tollit: Quæ omnia sunt blasphemæ & horrenda.

VII. Reftat, ut fortunam & casum cum providentia Dei conciliemus: nam hic quoque nonnulli faciunt naufragium veritatis, dum sic argumentantur. Si omnia fiant juxta Providentiam Dei, ergo nulla datur fortuna aut casus, & per consequens, male ad causas per accidens referuntur. Relp. A positione Providentia divinae ad fortunæ aut casus eversiōnem, nulla est sequela: Nam quod respectu cause primæ, Dei, fit consulto ac destinato & ex pravio ejus consilio, idem tamen respectu causa secundæ, creature, fieri potest inopinato, ex improviso, & præter ejus vel intentiōnem vel propensionem naturalem: Nam casus & fortuna, seu causa per accidens fortuita ac casualis, tantum sic dicuntur & dividuntur respectu causarum secundarum, non primæ: nam Dei respectu, qui omnia, quæ fiunt, quocunque modo fiant, bene vel male, necessario vel contingenter, ex intentione creature aut propensione aut præter eam, ab aeterno decrevit ac predeterminavit, atque hinc praescivit futura & tali modo futura (nam Deus non tantum ab aeterno praedefinivit rerum futuritionem sed & modum futuritionis) nihil potest dici fieri fortuna vel casu, nihil quoque per accidens, sed quocunque fiunt, quocunque modo fiunt, Dei respectu per se, non quidem Deo illa semper efficiente, sed quadam tantum interdum permittente, ut hoc jam fuit dictum. Atque hinc natus est Canon Logorum ac Philosophorum. Omnis effectus per accidens, respectu scilicet causarum secundarum, reducitur ad aliquam causam per se, sc. primam, Deum, à quo intenduntur & cognoscuntur effectus omnes fortuiti & causales, ad quos concurrit effectus, & defensus morales, ad quos concurrit permissio. Sed quia, ob hunc canonem assertum in *Systemate Logico*, laboriosissimus & doctissimus Keckermannus Scheiblero misere vapulat, ope-

ræ est hunc breviter ad partes vocatae & examen.

VIII. Hæc sententia satis Calviniana est, inquit Scheiblerus Lutheranus Top. cap. 3. num. 72. pergit. Imprimis enim aliquando effectus per accidentem sunt peccata, quæ, non nisi Calvinistæ, ad primam causam tanquam causam per se reducuntur. Sed in hac crassa atque invidiosa ac falsa Scheibleri, sola invidia & Calvini ac Calvinianorum odio turgentis, censura multa reprehendi possunt. Non dicam, inepte ipsa peccata effectus ab ipso dici, cum non habeant causam sui efficientem, sed deficientem, quæ non est causa proprie dicta, sed fortassis causa sine qua non aut conditio antecedens, quemadmodum sol deficiens ab Horizonte nostro illuminando non est causa proprie dicta tenebrarum, sed causa tantum sine qua non seu conditio antecedens: sed hoc transfeat cum ceteris ejus erroribus: Verum nego ipsi, à Keckermanno, Calvinio, aut quam Calvinianorum, peccatum, hoc sensu, reductum unquam ad Deum, tanquam ad causam efficientem per se, sed tantum ad Deum tanquam permittentem in tempore & permittere volentem ab aeterno: itaque hæc est mens Keckermannii, & omnium, quos odio Calvinianorum nomine proscindit; quod, peccata fieri, non est præter Dei notitiam aut intentionem, quia permittit alioquin permitteret, quod nec sciret nec vellet fieri: at Deus, & novit, & voluit, peccatum fieri, se non efficiente, sed permittente: quo sensu non per accidens se habet Deus ad peccata, cum fiunt, sed per se, non tamen quatenus causa proprie dicta efficiens, sed ut deficiens, & causa sine qua non & per modum antecedentis ad peccatum ut consequens, non tamen per vim causalitatis; nam peccata non fierent, nisi Deus fieri permitteret, Deus non permitteret, nisi permittere decrevisset ac praescivisset: at Decretum Dei permissivum mali, tam est efficax & immutabile, quam est effectivum boni, & præscientia mali futuri tam est infallibilis, quam futuri boni: hoc tantum est discriminis, quod Decretum Dei circa bonum sit ejus causa efficiens per se accidente divina potentia, at decretum Dei circa

malum non sit causa per se efficiens ejus, sed tantum conditio & hypothesis antecedens absque causalitate ipsam permissionem & malum permisum, quod quia nec fit, nec permittitur, præter Dei voluntatem decerit-

tem aut intellectum præscientem, non potest vel fieri vel permitti per accidens respectu Dei. Sed hæc ad retundendam Scheibleri calumniam, & de Causa per se & per accidens, sufficerint.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

D E C I M A - S E X T A ,

D E

## DIVISIONE CAUSÆ EFFICIENTIS IN PRINCI- PALEM ET MINUS PRINCIPALEM.

### T H E S I S I .

**S**I quæ est *Divisio Causæ Efficientis* explicatu difficultis, ea est in Principalem & minus principalem: Nam difficulter explicari potest, in quo ratio formalis utriusque confusat, & quomodo à se invicem distinguntur. Certe Suarez, *Disp. Met. 17. scđ. 2. explicatur rationem formalis causæ efficientis principalis*, suo more prolixissime rem agit, qui vi deri potest. Nos, omissis variorum sententiis, mentem nostram breviter explicabimus.

**I.** *Causa efficientis principalis* est, quæ effectum producit virtute propria, & ex se proportionata ac sufficiens, ad productionem effecti, ut non egeat virtute alterius causæ secundæ, à qua elevetur, adjuvetur, præmoveatur, promoveatur, utpote quæ existat cum effecto ejusdem ordinis vel etiam superioris, nunquam deterioris, quia ejus virtus tanta est, quæ effectum producit, ut in ea contineatur quicquid in effecto est. Dicitur autem continere effectum in virtute causæ dupliciter, vel formaliter, vel eminenter. *Formaliter*, cum effectum & causa efficiens sunt ejusdem naturæ specificæ. *Eminenter*, cum non sunt ejusdem naturæ specificæ. Cum effectum continetur in sua causa efficiente formaliter, vocatur illa causa univoca, cum eminenter, æquivoca; utraque principalis: at cum neque formaliter, neque eminenter, continetur in causa effectum, dicitur illa causa, minus-principalis.

**II.** *Causa definitur vulgo Univoca*, quæ producit effectum sibi similem specie, ut ignis ignem. *Æquivoca*, quæ producit effectum alterius speciei, ut Sol Murem: illa, sc. univoca, quatenus talis est, determinata est ad unum effectum in specie; alioqui non erit univoca: hæc, sc. æquivoca, potest esse universalis in causando plures effectuum species: itaque, ut causa dicatur æquivoca, duo vulgo requirunt Philosophi; unum ex parte causa, alterum ex parte effecti. Ex parte effecti, ut effectum fit alterius speciei quam causa, uti est mensa & arcularius, cœlum & Deus: ex parte causa, ut causa æquivoca fit ordinis eminentioris quam effectum: Deus enim est aliquid eminentius quam cœlum, & arcularius quam mensa. Sed enim non videtur secunda hæc conditio esse vera. *Quid enim?* an Sol, qui ad generationem viventium concurrit, ut causa æquivoca, est eminentioris ordinis, quam effectum? an non-vivens dignus est vivente? imo unica Musca aut Scarabeus est dignior Sole, licet ad productionem Muscae aut Scarabæi Sol concurrat, ut causa efficiens principaliæ æquivoca. Scilicet, vivus canis est præstantior mortuo Leone, & generatim, quicquid vita est prædictum, longe est excellentius & præstantius eo, quod vita destituitur: itaque gratis hoc dicitur, causam omnem æquivocam esse eminentioris ordinis quam est effectum, cum hoc fallat

fallat in Sole, in cœlo, & aliis, si intelligatur de entitate seu essentia, tum causæ, tum effecti.

I V. Causa minus principalis vulgo dividitur in impellentem & instrumentalem: illa, in procatarcticam & proëgumenam. Proctarcticæ est, quæ efficientem extrinsecus impellit ad agendum. Proëgumena, quæ intrinsecus efficientem causam, in qua est, impellit, priorit, disponit, ad agendum. Instrumentalis est, quæ per virtutem insufficientem & improportionatam influit in effectum, & non nisi elevata, præmota, ac promota, ad agendum, à virtute alterius causæ principalis secundæ.

V. Quæri hic potest, *An bene Deo, causa in agendo principali, adiungatur causa procatarctica, quæ extra Deum, ipsum tamen ad agendum impellat;* nam quin proëgumena ipsi recte adscribatur, nullum est dubium: ita recte dicimus, Bonitatem & Misericordiam Dei esse causam impellentem proëgumenam, ob quam voluerit redimere genus humanum; siquidem id, quod impellit hic Deum, in ipso est. At vero, an aliquid, quod extra Deum est, recte eum impellere dicatur ad hoc aut illud agendum, & respectu Dei se habeat ad modum causæ procatarctica, quo sensu nonnulli Theologorum in locis suis communibus dicunt, miseriæ humani generis fuisse causam impulsivam externam in Deo, ad Christum dandum in mortem, Meritum Christi esse causam procatarcticam justificationis, inquire non sine causa potest, & an non tutius & rectius loquendum sit; præfertim cum videamus, hanc loquendi formulam, ob humana mentis in Divinis imbecillitatem, & lingua balbutiem, hactenus toleratam, in prætextum errorum verti atque eorum defensionem trahi. Hinc enim est, quod Heterodoxi quidam Philosophi ac Theologi, statuentes aliquid extra Deum tanquam causam impulsivam externam, electionis statuerint causam procatarcticam, fidem ac perseverantiam in fide præfam, reprobationis vero, infidelitatem & impenitentiam finalem similiter præfam; alii merita & bona opera afferuerint causam impellentem externam respectu Dei eligentis ac justificantis: quod tam longe absit à

rei veritate, ut ne Meritum quidem ipsius Christi causa fuerit in Deo externa impellens, vel electionis vel justificationis: ita libertas loquendi abiit in licentiam. Sed vero, nullam dari causam proprie impulsivam externam extra Deum, quæ ipsum impellat ad volendum hoc vel illud, quodcunque tandem fuerit, sic probamus.

V I. Si detur extra Deum causa procatarctica seu impellens externa, ob quam velit hoc aut illud, oporet illud sit creatura, aut aliquid creaturae, creatum, aut concreatum. Sed hoc est absurdum; nam sic aliquid creatum melius foret & majus Increato illo Ente, quia eo esset prius, & Ens Increatum esset minus & posterius. At Deo nihil est prius, & eo nihil melius aut melius cogitari aut esse potest. Ergo & absurdum est illud sc. Voluntatem Dei habere causam extra se, à qua ad volendum impellatur. Et Scholastici optime dixerunt, nullam esse causam assignandam Divinæ Voluntatis ex parte actus volendi, licet posset assignari ratio ex parte volitorum, in quantum sc. Deus vult, unum esse propter aliud, ita ut sit ordo causalitatis & prioritatis inter ipsa objecta & volita, non tamen sit ordo prioritatis & causalitatis inter objectum volitum & voluntatem divinam, incipiendo ab objecto volito & progrediendo ad ipsam voluntatem: hoc sensu rectissime dicunt, Deus vult, hoc esse propter hoc: sic, unum, quod vult, est causa alterius, quod vult, sed unum non est causa, ob quam velit alterum; & male loquuntur, qui sic dicunt, Deus propter hoc vult hoc, propter fidem vult vitam æternam electis conferre; Deus vult quidem, propter unum esse aliud, sed cur velit unum esse propter aliud, neutrum causa est volendi, sed ipse sibi: itaque vult Deus, vitam æternam esse, & conferri electis, propter Christum & fidem in Christum: sed nec Christus, nec fides in Christum, est causa ipsius voluntatis, qua & ob quam velit, vitam æternam dare electis; verum Christus & fides in Christum, est causa rei volitæ, sc. vitæ æternæ, quam vult Deus electis dare: motus & impulsus ad hoc volendum, non ab aliqua causa externa, aut Christo ipso aut fide in Christum, aut meritis bonorum operum, sed à

bonitate sua , quæ interna impellens causa seu proëgumena dici solet : ideoque, nec Christus mediator, nec fides in ipsum præviæ, nec bona opera, possunt dici causa impulsiva electio-  
nis ad vitam æternam, itius sc. volitionis, qua Deus salutem voluit nonnullis, voluit tamen, iis salutem & vitam æternam contingere, propter Christum & fidem in Christum , quin & propter bona opera ; id est , voluit , ordinem causalitatis & prioritatis , in rebus istis volitis esse atque inter eas , ut Christus sit causa salutis , volitæ electis , & fides itidem esset causa salutis , volitæ iisdem , imo & bona opera es-  
sent quoque causa salutis , volitæ à Deo suis ; unaquæque causa in suo ordine , sed causa tam-  
en: nihil tamen istorum trium est causa volitionis , qua Deus salutem voluit quibusdam. Quod bona opera causam etiam facio salutis , nemini mirum videri debet , quia loquor hic & nunc de salute possidenda , non impetranda: at salutis possessio tam parum obtineri potest sine bonis operibus , quam fine fide , imo quam fine Christo : ad vitam enim æternam non sufficit , ut quis fidem habeat in Chri-  
stum, sed & ut bonis operibus fidem istam ex-  
primat.

VII. Ad causam procataciticam referri solet hæc 4. *Objectum, Octaſio, Causa Merito-  
ria, & Author sive causa moralis.* Objectum  
tum demum hoc spectat, cum non tantum est terminativum actionis , sed & motivum , ut cum dicimus , Objecta movent sensus : at si ratio terminandi tantum spectetur in objecto , non item movendi , ad adjunctum pertinet externum ; objecta terminantia solum sunt tribuenda Deo , non item moventia . Sic ob-  
jectum creationis , conservationis & provi-  
dentialia divinæ , est mundus cum omnibus in eo contentis. Octaſio vix cause nomen mere-  
tur aut titulum , quia vix est invenire ullam ejus causalitatem , nisi talis dicatur loci tem-  
poris commoditas , ( quemadmodum dici-  
mus , occasio facit fures ,) quæ ipsa tamen ad adjuncta potius externa pertinet. Est enim , præter objectum & signum , illa ejus species , quæ circumstantia dicitur. Meritorum hactenus causa dici potest , quatenus qui bene mereret  
de alio , eum obstringit ad retaliandum , red-

hostiendum , & gratias agendas. *Author sive  
causa moralis* dicitur , quæ dat effectui esse , non quidem realiter & effective in eum influendo , sed vel applicando activa passivis , vel faltem non impediendo effectum , cum debeat ac possit , vel inducendo causam aliam & inclinando eam per rationem moralem ,hortationem , dehortationem , fussionem , diffusionem , precationem , comminationem , &c. ad aliquid agendum vel non agendum : Huic morali Causæ , minus principali , impellenti , externæ , opponitur Causa Physisca , quæ per realem influxum dat esse effectui , ut causa principalis , ut cum Deus creat Angelum .

VIII. Queri sub explicatis statim terminis solet , *Virum Deus sit causa conversionis , Moralis tantum , an vero etiam Physica ?* Veritatis & fane Philosophia hostes , moralem tantum causam conversionis faciunt Deum , ut partes aliquas relinquant libero arbitrio , cui hac sua sententia potiores in conversione partes quam ipsi Deo tribuant: Si enim Deus sit causa conversionis , tantum moralis , erit tantum ejus causa , minus principalis , impulsiva , externa , procatacistica ; & liberum hominis arbitrium , si sit conversionis causa Physica , erit ejus causa principalis ( sc. Deus deprimendus est , ut liberi arbitrii idolum , in negotio salutis , erigatur) quin & homo plus faciet in converfione sui , quam Deus , quia Deus tantum agit moraliter , docendo , suadendo , hortando , dehortando , comminando , precando , &c. homo se convertet Phyzice & reipfa. At vero Scriptura Sacra Deo adscribens conversionem nostri , dicit eum in nobis creare cor novum , præscindere præputium cordis , largiri Spiritum novum , &c. quæ actionem designant Physicam : & eadem , Deum omnia facere in conversione , afferit , hominem nihil , quando dicit , nos ex Deo nasci , ex Spiritu Sancto re-  
generari , vivificari , qui eramus mortui , Deum eximere nobis cor lapideum , dare cor carneum , legem inscribere cordibus no-  
stris , &c. quæ ostendunt , Deum in converfione agere solum , cum ista nuspian tribuantur homini , ac contra nihil ei tribuatur , quam quod non fit idoneus ex se vel ad cogitandum aliquid boni . Sed manum de tabula , ne in  
messem .

messem Theologicam falcam immittamus nostram.

X. *Instrumentum est*, quod agit supra vires, & per virtutem, sibi quidem inherentem, sed insufficientem & improportionatam efficiunt producendo, ideoque eget, adjumento, elevatione, premotione, promotione, & applicatione, alterius causæ, puta principalis secundæ, ad talis effectus productionem: unde vulgo dicitur agere in virtute causæ principalis, qua phrasí non significatur, quod causa instrumentalis aliquam virtutem à principali accipiat, qua sibi communicata operetur, etiam absente causa principali, ut instrumentum tamen ejus; hoc enim de ratione instrumentalis causæ nullo modo est: sed, sive à causa principali virtutem suam accipiat, sive aliunde acceperit, id nihil facit ad rationem instrumenti, sed vero agere in virtute causæ principalis secundæ & elevari ab ea, est agere supra vires, supra virtutem, supra qualitates inherentes, & causæ principali secundæ, auxilio, motione, directione, presentia, adjuvari.

X. Distinguui solet vulgo instrumentum, in *conjunctionem* vel *separatum*: atque intelligitur utrumque, vel *quoad suppositum atque entitatem*, vel *quoad virtutem seu causalitatem*. *Instrumentum conjunctionem causæ principali quoad suppositum sive entitatem dicitur*, quod causa principali unitum est, vel per contactum, vel per realem unionem, vel per aliam praesentiam, ut manus homini. *Separatum quoad entitatem & suppositum est*, quod illo modo, quoad

suum esse sc. non est unitum cause principali, ut lumen receptum in medio, instrumentum est secundum esse separatum à sole, sed conjunctionem tamen Soli quoad causalitatem, quia ad illuminandas partes aeris remotores indiget influxu actuali Solis. *Conjunctionem secundum virtutem aut causalitatem instrumentum dicitur*, quod indiget actuali influxu agentis principialis, ut penna eget influxu manus. *Separatum quoad causalitatem aut virtutem est*, cum absente agentis principialis influxu operatur, ut semen à generante decissum uteroque receptum. Verum enimvero, tale instrumentum quoad activitatem separatum ab agente principali, quod tamen ut instrumentum ejus agat, licet in Moralibus forte detur, in Physicis datur nullum: & feminis exemplum id non probat, quod cum operatur & agit, jam utero receptum, in conformatione fœtus, patre, vel absente, vel distante, vel extincto, non agit amplius, ut instrumentum generantis, sed ut causa principali: nam instrumenti ratio hec est, ut non agat, nisi motum ab alio: sunt diffrcta verba *Ariſt. l. 8. Phys. c. 5. l. 37.* Atqui aliud illud, sc. generans, à quo moveri deberet semen in conformatione fœtus, absit, distat, extinctum est. Ergo non agit ut ejus instrumentum: itaque ex hoc exemplo, instrumentum Physicum à causa principali separatum, quoad activitatem, causalitatem, virtutem, non evincitur, nec ullo alio exemplo aut ratione evinci potest: quod in confictu, si necesse est, ostendere sumus parati.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

*Voluminis Secundi,*

D E C I M A - S E P T I M A ,

D E

### CAUSÆ EFFICIENTIS DIVISIONE IN PRIMAM ET SECUNDAM.

T H E S I S I.

**E**X variis *Causæ Efficientis divisionibus non* *Secundam. Prima est*, quæ non pendet à priori. *Secunda*, contra. *Prima est* vel *absolue* talis;

*talis, vel in suo genere. Illa est, quæ à nulla plane alia pendet, & à qua omnes alia pendent, non tantum quatenus operantur, sed & quatenus fiunt ac sunt, estque solus Deus: hæc, à qua pendent omnes alia Causæ ejusdem generis & ordinis: sic Cælum est prima causa in genere & ordine causarum naturalium & materialium. Causa, quæ pendet ab alia, dicitur inferior: & illa, à qua pendet, superior. Dependet vero una causa ab aliis triplici modo, vel dum sit, vulgo, in fieri, ut Filius à Patre, vel dum existit, vulgo, in esse, ut lumen à Sole, vel dum operatur, vulgo, in operari, ut calamus à manu, vel omnibus tribus modis, ut creaturæ à Deo. Hæc Causarum efficientium dependentia à se invicem, inferiorum à superioribus, vulgo dicitur subordinatio: estque ea duplex, essentialis seu per se, & accidentalis seu per accidens: illa est, quæ causa inferior dependet à superiori, non tantum quando causat, sed quatenus causat effectum tale, ac sub talibus circumstantiis singularibus. Hæc est, quando vel causa inferior non dependet à superiori in causando, sed tantum in fierendo aut effiendo, vel, licet dependeat à superiori, etiam in operando, non tamen dependet ab ea, quatenus operatur effectum tale ac sub talibus circumstantiis singularibus. In Causis essentialiter & per se subordinatis, valet receptissimus ille Canon, *Quod est causa causa, est causa causati; in causis accidentaliter seu per accidens subordinatis, non item.**

II. *Dependentia causarum secundarum à prima, creaturarum à Deo, ratione & fieri, dicitur creatio, ratione & esse, conservatio, ratione & operari, cooperatio seu concursus: & fundatur hæc triplex creaturarum à Deo dependentia in triplici earundem indigentia seu imperfectione: scilicet, 1. Res creatæ non sunt puri actus: talis enim solus est Deus: entia autem non pure actualia possunt esse sub esse possibili, & aliquando fuerunt: ad hanc igitur actualitatem, quam habent, postquam actu sunt, devenire nequeunt, nisi extrahantur primum de potentia objectiva seu de esse potentiali, aut possibili, aut potestativo, qualunque vocum barbararum uti placuerit: illa autem rerum de non esse ad esse traductio fit*

per creationem, & sic occurritur primæ creaturarum indigentia, qua, cum non sunt, indigent & esse, ut sint five existant. 2. Res creatæ, postquam facta sunt, indigent Deo, ut retineant illud esse, quod acceperunt per creationem, nam hoc illico amitterent iterum, nisi aliunde suffarentur. Huic indigentia atque imperfectioni, qua ne ad momentum quidem persistere valent ex se & sibi reliæ creature, succurrit Deus per conseruationem. 3. Res creatæ, sicut seipſas nequeunt producere, sicut ex se non sufficiunt, ut persistant in esse accepto, ita multo minus sufficiunt, ut ex se & per se solas operentur: ideoque non minus in operando, quam in persistendo, aut fiendo, à causa prima dependent; & huic indigentia atque imperfectioni creaturarum in agendo, quatenus nulla est primum se movens, sed agit mota ab alio, obviat ut Deus cooperatione sua seu concursu. Verum quia dubitari solet, *Vtrum hæc triplex creaturarum à Deo dependentia in re fieri, esse, & operari, ratione naturali possit innoteſcere,* singulatim eam probabimus.

III. §. 1. Quicquid est, hoc ipsum quod est, per participationem, illud etiam est ab eo, cui per essentiam convenit esse tale: Ex. gr. ferrum ignitum, quia per participationem est tale, habet illud esse ignitum ab igne, qui per essentiam est ignitus. At vero omnia alia, præter Deum, sunt id ipsum, quod sunt per participationem, non sunt suum esse, ut Deus, sed participant illud. Ergo habere debent illud esse ab eo, quod habet esse per essentiam, qui est Deus; Hic enim solus est ens per essentiam: si esse aut essentiam habent ab eo, sc. Deo; ergo datur creatio: aut detur alius modus, quo exponatur defluxus & dependentia & esse participati, ab eo quod habet esse per se. Dicitur autem id habere esse per se, quod ita est actu, ut non possit non esse; & hinc dicitur illud existere per essentiam, quia ita essentiale est ipsi & existere quamquevis alia prædicata: quod sic existit, à seipso est, nec ullo indiget ut existat: tale ens est Deus. Cætera omnia, cum ex se possint esse & non esse, non existunt per essentiam: quod autem est ejusmodi, ab alio est: & à quo, nisi à Deo?

Nam

Nam deveniendum est ad unum, quod à nullo est , nisi quis processum velit admittere in infinitum , quo nihil absurdius . Si à Deo sunt cætera omnia , quomodo ? non nisi per creationem . Aut ostendatur via alia , per quam res sint , quæ ante non erant , qua esse suum participarint . Nam cum ex se illud non habent , omnino aliunde accipere debent . At qua ratione accipient nisi per creationem ? Ergo datur creatio .

I V . § . 2 . Sed enim , postquam res suum esse à Deo acceperunt per creationem , nulla videtur causa , cur tum adhuc amplius ab influxu ejus actuali dependant . Nulla enim res semetipsam privat suo esse , quia , postquam semel facta est , studiose se conservat , modo per actionem contrariam non destruatur . Ergo nulla videtur esse opus conservatione Dei . Verum eam dandam esse , naturali ratione sic probamus . Deus potest omnes suas creatureas , quas fecit , annihilare : ad Omnipotentiam enim Dei spectat , ut possit res , quas condidit , in nihilum redigere , si velit . At vero res annihilari nequeunt actione positiva , quia actio positiva tendit ad aliquod esse , & non ad aliquod non - esse , in quod tamen tendit annihilationis . Ergo annihilari tantum possunt influxus positivi subtractione , ablatione , negatione . Sed annihilationis fieri non potest per solam subtractionem influxus , nisi res à tali influxu positivo ante penderent . Ergo datur influxus positivus Dei in esse creaturarum , quamdiu sunt . At hic nihil est aliud quam conservatio . Et modus essendi sequitur modum fiendi : ideoque , quemadmodum creature dependent ex intrinseca sui necessitate à Deo dum sunt (nihil enim seipsum facere potest , sic enim idem esset & non esset ) ita non minus dependent à Deo cum jam factæ sunt & existunt : qui tam sunt entia per participationem , cum sunt , quam cum sunt : & , quam parum semet ipsas facere valent , tam parum seipias possunt conservare citra Dei influxum : nam si creatura se ipsam se solâ possit conservare , vel quoad horæ quadrantem tantum , potest quoad horam ; si quoad horam , potest quoad diem ; si quoad diem , potest quoad annum ; si quoad annum , potest quoad

seculum ; si quoad seculum , potest quoad plura ; & sic se posse facere aeternam . Et impium est , ullam entitatem vel ad momentum temporis subtrahere conservationi divinæ , quia ens omne , si fibi relinquatur , statim in nihilum ruit , & credit in nihilum quod fuit ante nihil .

V . § . 3 . Ex stabilitate , naturali intellectus lumine , tum creatione , tum conservatione , sic probamus Dei cooperationem seu concursum . Modus operandi est proportionatus modo essendi & fiendi : hinc , si omnes causæ secundæ dependent à prima in fieri & esse , etiam dependebunt ab ea in operari , ita ut non minus hæc influat in illarum operari , quam in earum fieri & esse . Sed verum est prius ex th . 3 . & 4 . Ergo . Ratio hæc confirmatur ab absurdo . Si Deus non influat in actionem causæ secundæ , ergo actio causæ secundæ , ut sit , non postulabit influxum Dei . Atqui hoc est absurdum : nam actio causæ secundæ ens est suo modo , si non ex se , saltem beneficio termini ad quem , cum quo identificatur & à quo non distinguitur realiter . Sed omni enti , ut sit , necessarius est influxus Dei seu causæ primæ : omne enim ens & quicquid habet rationem entis , quod diversum est à Deo , dependet ab eo : hoc enim est enti omni , prater Deum , essentiale & specificum , in quo à Deo , qui solus est independens , omne ens aliud distinguatur . Ergo & actio seu operatio causæ secundæ dependet à prima . At hæc dependencia creature in operando à Deo , nihil est aliud quam Dei concursus seu cooperatio .

V I . Tria hic proferri solent , quæ breviter solvi debent . § . 1 . Si detur influxus Dei in actionem causæ secundæ , aut idem erit cum ea aut diversus : Non idem , quia impossibile est , eandem numero actionem produci à duabus immediatis agentibus numero distinctis : non diversus , quia per eum , aut totus effectus causæ secundæ produceretur , aut pars ejus : si totus , actio causæ secundæ est frustranea ; si pars , ergo partim erit effectus à causa prima , partim à secunda , eruntque causæ partiales , nec agent secundum idem . Resp . Influxus causæ primæ & actio causæ secundæ est eadem actio , & tota est à Deo , & tota à creatura , non partim

partim ab illo, partim ab hac, & ab iis simul, tanquam à duabus causis totalibus, non partialibus, sed subordinatis, non coordinatis: quando autem ex duabus causis concurrentibus, una est universalis, altera particularis, una prima, altera secunda, aut una alteri quovis modo subordinata, potest unus idemque effectus & actio procedere à duobus agentibus, & quidem immediate: nec sequitur causam secundam esse frustaneam, si actio tota & effectus producatur à causa prima: nam eadem tota & idem totus producitur à secunda, ab illa ut universalis & prima, ab hac ut particulari & secunda.

VII. §. 2. Si detur influxus Dei in actionem causæ secundæ, perit hujus libertas: quia hoc influxu posito, necessario movetur voluntas, nec ei relictum est, velle & non velle, agere & non agere, & sic actum est de ejus libertate. Resp. Tota hæc objectio fundatur in mala intelligentia libertatis, quæ vulgo collocatur in indifferentia ista, volendi & non volendi, agendi & non agendi, etiam posito influxu Dei, & prævio & simultaneo: sed pessime, uti disp. 14. hujus Curriculi est offensum, & Consequens falsum est, posito cōcursu Dei, libertatem voluntatis tolli, nec ratio subiecta vera est; nam necessitas, qua voluntas

mota à Deo per influxum actualēm, necessario vult & agit, quia hypothetica est, profecta ex hypothetica externa concursus, tum prævii, tum simultanei, libertatem non tollit, quam sola auferit necessitas interna, quemadmodum id disp. cit. fusa est explicatum.

VIII. §. 3. Si causæ secundæ nihil agerent, nisi actu cooperante prima, sequitur, omnes causas secundas esse instrumenta Dei. Hoc est absurdum. Ergo & illud. Resp. Neg. majorem. Causæ enim secundæ, in stricta & propria significatione instrumenti, uti de eo egimus disp. 17. hujus curriculi, non operantur ut instrumenta Dei, licet ejus influxu ad operandum egeant, sed sunt suarum actionum causæ principales, quia vires sufficientes habent ad operandum in ordine causarum secundarum, nec producunt actiones, & effecta se nobiliora, nec ab aliis creaturis ad agendum elevantur, applicantur, determinantur, licet premoveantur à Deo. At in causa instrumentalis, præter prævium Dei & simultaneum influxum, requiritur, ut ab alia causa secunda & sui ordinis ad agendum attollatur & ad effectum se nobilius, quod se solâ attingere nequeat, & ad quod vires sufficientes non habeat. Sed de hoc negotio disp. præced. actum fuit.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

*Voluminis Secundi,*

D E C I M A - O C T A T A ,

D E

### DIVISIONE EFFICIENTIS CAUSÆ IN PRIMAM ET SECUNDAM.

#### T H E S I S I .

**D**isputatione præcedenti assertuimus & probavimus, Causæ primæ actiones tres, Creationem, Conservationem, & Concursum. De Creationis aternitate impossibili, actum fuit gemina Disp. in Curriculo Disp. select. vol. primi, sc. 19. per duas ejus partes. Nunc in-

quirere placet in questionem hanc. An nulli creaturæ possit tribui creatio, vel ut principali cause vel ut instrumentalis? Sunt Philosophi, qui utroque modo id fieri posse existimant. Ita sensit, qui hodie omnium fere Philosophiæ studiosorum manibus teritur, *Carolus d' Abra de Ra-*

de Raonis, in tertia parte sue Philos. qui postquam pronunciat, *Creaturam posse causam esse instrumentalem creationis*, hanc insuper propositionem format. *Potest Creatura esse causam principialis creationis alicujus entis creabilis*: Quæ verba miror à Christiano, ut haberi vult hic Philosophus, & quod plus est, à Concionatore Regio, ut se scribit esse, proficiisci potuisse. *Quid enim hoc est aliud, quam ex creatura facere creatorem, ex causa secunda primam?* sed folenne est Pontificius ~~20072008~~ instituere, & creature, ut sic loquar, Deificare. Alii Philosophorum, creaturam posse creare ut causam principalem, negant, ut instrumentalē, admittunt. Ita præter impium Draconem Philosophi fere omnes vulgo recepti, etiam illi, qui Reformati audiunt: inter quos quoque est Scheiblerus: nimirum, ut Sacra menta operari physice per modum cause instrumentalis in gratia regenerantis productione, quæ ipsa est creatio, sustineant. Hoc enim est argumentum Scheibleri. Ejusdem est, inquit, *Virtutis, καὶ ζεινής ἀποκτηνέειν, creare & regenerare: quia igitur creatura, ut Sacramentum, competit regenerare instrumentaliter, etiam non competit creare instrumentaliter*. Videre hinc est, quam caute sint legendi vulgares Philosophi, quibus mos est fere ut talia dogmata cudent in Philosophia, quæ patrocinentur suis erroribus & opinionibus in Theologia. Nos aduersus utrumque hunc errorem juvenatum Philosophicam muniemus.

II. §. 1. Nulla datur virtus finita, quæ sese extendat ad omne objectum creabile. Quia nulla datur creatura tantæ perfectionis, quin dari possit creatura usque perfectior ac perfectior, nulla tamen tam perfecta, ut Deus. At virtus, quæ se extendit ad omne ens creabile, debet esse tantæ perfectionis, ut ea non possit dari perfectior, quinimo requiritur perfectissima, adeoque infinita, quia extendit se ad omne ens creabile. Amplius; Omnis virtus finita, creata est: Ergo si detur virtus finita, quæ possit se ad omne objectum creabile extenderem creando, poterit & seipsum creare, & in seipsum terminari creando, quo nihil potest cogitari absurdius.

III. §. 2. Nulla datur virtus finita, quæ postquam dependentia à causa infinita virtutis

quicquam agere, nedum creare. Quia omnis virtus finita est creata: sed omnis virtus creata est causa secundæ: atqui omnis causa secunda dependet à prima, non tantum in fieri & esse, sed & in operari, ut hoc Disp. præced. est ostensum. Sed dicent Adversarii, dicimus creaturam dependere nihilominus à Deo, et si eam faciamus causam principalem creationis, si non omnis, saltem alicujus entis creabilis. Dico ergo,

I V. §. 3. Nulla datur virtus finita, quæ per modum cause principalis proxime dependentis à prima possit creare certum ordinem & certam species rerum creabilium. Quia uti ad producendum aliquid ex potentia passiva ad actum entitativum requiritur aliqua virtus activa, ita quo remotior est potentia illa magisque distat ab actu, eo major requiritur virtus agendi. Sed in creatione respectu entis creabilis nulla supponitur ac præcedit potentia passiva: est enim creatio productio substantiæ ex nihilo, vel subiecti vel termini ad quem producendi. Ergo, si eo major requiritur virtus finita, quo minus præcedit potentia passiva rem producendam, ergo ubi nihil potentia passiva præcedit, ibi requiritur virtus producendi maxima adeoque infinita: At in creatione nihil præcedit potentia passiva. Ergo. Hæc consequentia fundatur in distantia, inter ens creabile & nihil. Quæcumque habent finitam distantiam, habent aliquam inter se rationem ac proportionem. At ens creabile & nihil non habent aliquam inter se rationem aut proportionem. Ergo non habent inter se distantiam finitam. Ergo infinitam. Ergo opus est virtute in finita, ut aliquid ex non ente ens fiat, seu ut aliquid ex nihilo producatur, vel creetur. D' Abra de Raonis cum Iohanne Duns Scoto, ex quo hoc mutuatus est, dicit esse falsum, quod detur distantia infinita inter ens creabile & nihil: & opponit, quod ens infinitum longius distet à nihilo quam ens finitum, ac proinde creatura, quæ est finita, non differt infinite à nihilo: & distantia inter Deum & nihil, est utrinque infinita, & à parte Dei positive, & à parte & nihil negative: At distantia inter ens creabile, quia finitum est, & inter nihil, infinita est tantum à parte & nihil & negative, sed non à parte entis creandi

*creandi & positive.* Resp. Sufficit, si infinita sit distantia inter ens creabile & nihil à parte ḡ nihil, qua nihil in infinitum removeatur & abeat ab ente creando, ut nullus entitatis gradus in ḡ nihil includatur, ut nihil omnem entitatem entis creandi neget, & actualem & potentialem: nam n̄ nihil dicit infinitam abyssum nihilitatis, omnem entitatem & entitatis gradum excludens; sed potest etiam aliunde roborari & alio tibicine fulciri nostrum argumentum, ut vis consequentia nostræ non tam nitatur, distantia infinita inter ens creabile & nihil, quam proportione, ut sic dicam, quæ est inter ens & non ens, aut potius, ut loquar rectius, quæ nulla est inter ens seu virtutem producendi, & nihil seu terminum à quo productionis; ut hoc sit fundamentum, quo fundetur consequentia nostra; quod nulla sit proportio inter virtutem finitam & nihil; & ideo virtus finita non potest creare, i. e. producere rem ex nihilo: & tum hoc erit argumentum. Omni passiva potentia respondere debet activa virtus ei proportionata; ideoque, quo remotior est potentia ista, eo major debet esse virtus agendi, ut statim fuit dictum. Ergo, ubi potentia passiva sine ulla proportione recedit ab actu, ut sit in eo quod est nihil, ibi etiam virtus activa sine ulla proportione debet augeri. i. e. debet esse infinita. Atque ut hoc argumentum tanto sit robustius, hoc fundamentum substernimus. Quod omnis virtus finita servet aliquam proportionem ad aliam finitam. Hoc posito, sic pergimus. Sicut inter ens & nihil nulla est proportio, saltem ex parte ḡ nihil, ita inter virtutem activam, quæ producit aliquid ex nihilo, & inter eam, quæ producit aliquid ex ente, nulla est proportio. Sed inter qualibet agentia potestatis & virtutis finitæ est proportio. Ergo agens ex nihilo oportet esse infinitæ virtutis, siquidem ad illud agens finitæ virtutis nullam dicit proportionem, sed tantum ad agens aliud virtutis finitæ. Atqui esse agens infinitæ virtutis in nullam cadit creaturam. Ergo neque in creaturam cadit, aliquid producere ex nihilo, i.e. creare. Et profecto, cum ipsum nihil sit infinitum & indeterminatum negans, continens totum & omne non esse, nulla res aut causa

potest habere vim, virtutem, jus, potestatem, facultatem, efficaciam, in ipsum nihil, nisi ea res quoque sit infinita & indeterminata positive, continentis in se totum & omne esse. At talis res & causa, quæ totum & omne continent esse, est solus Deus, ut qui solus est infinitus & indeterminatus positive (nam qui materiam primam & in ea quantitatem faciunt indeterminatam & infinitam, intelligunt id negative, quatenus est neque quid, neque quantum, neque quale, &c., qui mundum statuant indeterminatum & infinitum, aut potius indefinitum, id intelligunt respectum mentis humanae & rationis nostræ, quæ fines & terminos mundi assignare nequit, non respectu entis & ipsius mundi, nam corpus, materia, & quantitas, infinitæ molis, sua mole ruunt) Ergo, solus Deus creare potest, nulla vero creatura, quod erat demonstrandum. Præterea, sicut Deus aliqua ex suis attributis communicat creaturis, ut sapientiam, justitiam, sanctitatem, bonitatem, &c. quādam vero minime, ut esse independens, immensus, æternum, ita verisimile est, præter actiones, quas Deus communicat creaturis, ut sunt, velle, intelligere, aliquam esse actionem propriam Dei, ut Deus est, incommunicabilem creaturis, qualis est, aliquid producere ex nihilo, seu creare. Quid? quod per creationem, ut sibi propriam, ab aliis rebus omnibus se distinguit Deus, quæ creare non possunt. ut videre est *Iob. 38.4. & seq.* atq; alibi. Sed Sacra non attingimus, contenti Philosophicis egisse rationibus.

V. Denique per inductionem sic argumentamur, pro eo quod nulla creatura possit creare ut causa principialis creationis. Omnis creatura est, vel materialis, vel spiritualis. Neutra creare potest. Ergo. Substantia materialis, si creare potest, vel per materiam facret, vel per formam, vel per accidentia. Non per materiam; partim, quia hæc non est activa; partim, quia tanta perfectio, quantam creatio indicat, plane pugnat cum tanta imperfectione, quantam materia præ se fert: neque etiam per formam creare potest substantia materialis, quia forma illa est principium creandi, aut materiam, aut formam aliam, aut compositum:

situm : non posset creare materiam , quia forma est posterior materia , & ordine naturae supponit illam, ut ipsa esse possit: non formam aliam , quia produceret , aut spiritualem , aut materialem ; non spiritualem , quia non potest excedere suum ordinem ; non materialem , quia producere formam materialem , est , producere formam dependentem , à materia , seu à subiecto ; sed creare est actio , quæ à nullo subiecto aut materia dependet , faltem à nullius materiae aut subiecti potentia : non potest ergo forma substantia materialis creare , vel materiam , vel formam: ergo nec compositum , quia hoc creari non potest , nisi ab eo qui etiam potest creare materiam & formam : Non etiam potest substantia materialis esse principium creationis , per sua accidentia , quia si forma materialis non potest esse principium creandi , propter naturalem dependentiam , quam habet , à materia , multo minus poterit accidentis esse principium creationis ; quod & magis est dependens à materia & minus perfectum . Ergo substantia ma-

terialis nullo modo potest creare . Sed an potest substantia immaterialis creare ? si ulla potest , hæc potest : sed neque hæc potest . Si posset creare Angelus ; aut per naturam posset , & sic crearet necessario ; at creatio non est actio necessaria aut naturalis ; aut libere posset , si libere , ergo media intellectione & volitione ; at non potest creare Angelus , per intellectionem & volitionem ; nam intellectio & volatio , sunt accidentia aut modi faltem accidentiales , & actiones internæ : sed accidens aut modus accidentalis , non potest esse principium creandi substantiam , & creatio est actio externa ; præterea intellectionis & volitionis Angelicæ terminus est intra Angelum ; at creationis terminus est extra creantem . Ergo neque Angelus potest creare . Si non posset Angelus , multo minus poterunt creare substantiae aliæ immateriales , ut Animæ rationales . Ergo nulla substantia , nec materialis , nec immaterialis , creare potest , ut causa principialis , quod erat demonstrandum contra Racionem & alios .

---

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

D E C I M A - N O N A .

D E

### DIVISIONE CAUSÆ EFFICIENTIS IN PRIMAM ET SECUNDAM.

#### T H E S I S I.

**P**robavimus *Disp. præced.* nulli creature creationem tribui posse , ut causa principiali: restat , ut nunc expendamus , an creatio ei tribui possit , ut causa instrumentalis ? Resp. Quod non . §. 1. Nam instrumentum , ut propriæ fit activum , necesse est , ut habeat formam aliquam ac virtutem activam , qua activè agat in suo ordine , quod patet in serra , securi , & aliis instrumentis artis ; in calore naturali animalis , cum operatur ut instrumentum ignis in producendis carnibus : & ratio id docet ; actus secundus necessario præsupponit actum pri-

mum , operatio formam ac virtutem activam à qua egreditur : sed nulla forma aut virtus activa creature potest attingere creationis terminum , etiam instrumentaliter . Ergo *Prob. min.* quia illa forma aut virtus agendi instrumentalis creature , velerit materialis , vel immaterialis . Sed neutra potest esse creationis principium , ut *thes. ult. disp. præc.* est ostensum : quod licet probatum ibi fit de causa principali creationis , non minus tamen verum est de instrumentalis : nam hoc manet , five principalis fuerit causa creationis , five instru-

instrumentalis, creatura, cum sit futura forma & virtus activa creaturæ, quæ ad creandum concurrit, finita tantum erit. At forma & virtus activa finita non potest attingere terminum creationis, qui est infinitus, ut ostensum est *th. 4. disp. præced.* quod si id non possit prestatre creaturæ virtus ut causa principalis, multo minus ut instrumentalis.

II. §. 2. Instrumentum non adhibetur à principali agente, nisi ut per propriam suam actionem aliquo modo disponat materiam ad productionem effectus, quem agens principale intendit, ut patet in malleo & instrumentis aliis. Sed ad productionem ejus, quod creaturæ in instanti ex nihilo, nulla dispositio potest præcedere: ubi enim recipetur? an in nihilo? At deberet præcedere subjectum, in quod operari valeat dispositio instrumentum. Sed nihilum, quod præcedet rem, quæ creaturæ, & ipsam creationem, negat subjectum. Ergo. Si dicas, esse materiam inhabilem, nihilominus virtus causæ instrumentalis ad istam inabilitatem tollendam non assurgit. Concludimus itaque, creaturam ne quidem instrumentaliter concurrere posse ad creandum.

III. Objectio hic quædam solvi debet. Creatura potest cooperari Deo per modum instrumenti in faciendis miraculis. Ergo & in creatione: nam tam illic quam hic requiri virtus infinita. Estius in *Mag. sent. l. 2. dist. 1.* respondebat, quod motus creaturæ, cuius opera utitur ad miraculum Deus, sit operatio ejus dispositiva, ad effectum causæ principalis, non quidem naturaliter ei competens, sed quatenus ad hoc à Deo assumitur. Sed enim ego dicere, ne quidem per potentiam obedientialeм elevatam à Deo, ullam creaturam, ut instrumentum adhiberi in miraculis. Instant. Christus adhibuit lutum & salivam, cum cæco visum restituit. Resp. Inde non sequitur, illa fuisse instrumenta: sed contra, sequitur, illa non fuisse instrumenta, quia illa, quæ adhibuit Christus, nullo modo potuerunt operari dispositive ad visus restitutionem, & ideo non fuerunt instrumenta, nec esse potuerunt: quin visum potius sustulissent, quam ut ejus restitutionem promovissent: ideoque tanto magis

virtus Christi divina in isto miraculo eluxit: quemadmodum enim interdum nihil est usus ad faciendi miracula, ut ostenderet virtutem suam divinam, ita interdum adhibuit illa, quæ nullo modo poterant esse instrumenta, ut & hic vis sua divina pateret. Instant. Apostoli & Prophetæ miracula patrarunt. Atqui hi fuerunt virtutis finitæ. Ergo. Resp. Non fuerunt causæ physice in faciendis miraculis, sed morales vel causa fine qua non: nam orando, sive externe, sive interne, vi sua fidei à Deo impetrarunt, ut Deus per illos, ad illorum verba, praesentiam, vel tactum, miracula fecerit, non tanquam per instrumenta cooperantia Physice sed moraliter tantum. Alii respondent, verba Prophetarum & Apostolorum, ad que facta sunt miracula, fuisse tantum signa indicantia, quid Deus faceret, non vero instrumenta physice operantia. Instant. Verbum Dei est instrumentum regenerationis, nam illud dicere hic nudum signum, nimis est crudum. At regeneratione nostrâ tam fit ex nihilo quam creatio: est enim nova creatio: præterea, productio gratiae, quam quoque vocant vulgo creationem, instrumentaliter attingitur à creaturis. Resp. Et verbum Dei, & is, qui illud proponit, ambo sunt instrumenta moralia tantum, in nostri regeneratione: ipse Deus est causa ejus Physica, aut, ut rectius loquar, hyperphysica. Sacraenta sunt gratiae signa ac figilla eam confirmantia, non instrumenta Physica eam producentia. Instant. Si homines celesti possunt vera miracula facere, ut instrumenta physica, Ergo non requiritur hic virtus infinita. Sed possunt. Patet in *historia Pharaonis*: & in *Evangelio*, dicuntur in nomine Iesu ejecisse Daemonia. Resp. 1. Distinguatur inter miracula & mira. Miraculum, est quod præter ordinem totius naturæ creatæ fit: & hoc à solo Deoprofiscitur. At cum aliquid sit præter ordinem naturæ creatæ nobis nota, per virtutem creatam, nobis ignotam, id quidem mirum est in oculis nostris, & miraculum dicitur apud vulgus hominum, non tamen est tale respectu Dei: Hinc multa fiunt à Magis ipsisque Demonibus, nobis mirabilia, non tamen in se miracula, sed admiranda tantum, quia non excedunt vim omnem naturæ. At Miraculum propriè dictum est actio Dei, evidens ad sensum,

fūm , universa natura creatā vim excedens. Quare in historia Pharaonis , mira quidem sunt præstata à Magis , sed non miracula proprie dicta , præsertim cum fuerint facta in mendaci itabilitionem : at Deus gratiam miraculorum concedere non solet in falsa fidei confirmationem , quia veritas ipsa , ut mentiri nequit , ita mendacium miraculis comprobare non potest: mira v. faciunt Dæmones 1. per motum localem , quia mirabili celeritate pollent , & vi ac fortitudine supra omnes humanae vires. 2. applicando activa passivis , eaque commiscendo per causas naturales. fed 3. mira fiunt à Dæmonibus per Magos , commovendo spiritus , sanguinem , & humores in corporibus humanis , unde spectra , imagines , & simulachra rerum , quæ in his conservantur , in ipso motu coram phantasia seu imaginazione feruntur , & ea ratione atque ordine , quo turbator spiritus ea connectit : ac sic fere præstigiis suis & circulatoriis deceptionibus , ope Dæmonum , ludunt & illudunt sensibus humanis mendaci specie Magi , ut , quæ facta minime fint , homines decepti facta existiment. Atque tribus fere modis hic agit Dæmon , mutando , aut objectum , ut si ex aere vel aliis elementis corpora effingat quedam , qualia judicentur esse , qualia apparent , aut medium , illud aliqua qualitate inficiendo , ut species per medium delatae objectum , non quale est , repræsentent , aut organon ,phantasiā , hominum valide commovendo ac perturbando , ut existiment se videre & audire , quod non existit , quemadmodum & in formis nobis contingit. Certe per vitiatam phantasiam , etiam ex morbo solo , varie illudi hominibus experientia docet ; quanto magis si vitiatam ad phantasiam accedat Dæmonis operatio fallax. Resp. 2. Deum uti scelestis hominibus , ut instrumentis moralibus , in quibusdam effectis , ut , v. c. in prædicatione Verbi sui , in administratione Sacramentorum , quidni iisdem eodem modo utatur in miraculis patrandis , v. c. in ejectione Dæmoniorum ; cum miracula sint quid minus , quam prædictio Verbi aut administratio Sacramentorum ; quandoquidem Verbum , & Sacraenta sunt media salutis , miracula non item.

IV. Secundam Causæ p̄fimæ actionem fecimus disp. 17. hujus curriculi Conservatiōnem , quæ distingui solet in directam vel indirectam , positivam vel privativam , quam alii vocant negativam , alii permisivam. Illa fit per influxum realem , hec consistit in non destructione. Quæritur , in utro consitit Conservatio divina ? Nicolaus Taurellus , Philosopher in multis egregius , sed in hoc negotio imprudenter impius , Deum non aliter conservare mundum scripsit , in suo Metaphysicæ Triumpho , & alibi , quam quatenus eum non privat suo esse , quod habet. Verum enimvero , conservat Deus non tantum permittendo , ut res sint ac maneant eo statu , quo semel creavit , sed positive insuper influendo & continuando illud esse , quod semel dedit , omnino sicut Sol conservat lumen suum , quod priimum procreavit , continua radiorum sparitione. Prob. Si Deus non conservet res influxu positivo & directo , non poterit Deus res annihilare. At potest res annihilare. Ergo. Conseq. prob. Annihilatio non consistit in aliquo positivo , quia tendit ad non esse rei simpliciter : qui enim rem annihilat , facit ut non sit : consistit ergo annihilatio , in aliquo privativo : si annihilatio privat subjectum , aliquo privabit ; nam privatio dicit alicujus , & quidem positivi , negationem. Atqui annihilation non privat rem , nisi eo , quo conservabatur in esse , erat aliquid , & quidem positivum ; conservatio ergo influxus est positivus , ipsa vero annihilatio est istius positivi influxus privatio , negatio , absentia.

V. Quæri hic solet , An conservatio & creatio Causæ prima sint duæ diversæ numero actiones ? Resp. quod non : sed est una eademque numero actio ; unde etiam conservatio optime dicitur continuata creatio : & prob. Conservatio nihil addit creationi nisi permanctionem in influxu inchoato : hæc permancio non est nova entitas : alioqui tot novæ entitates & conservationes erunt fingendæ , quot sunt momenta , quibus res conservatur : at hoc absurdum est. Ergo. Quemadmodum , quando incipio videre aut intelligere , & permaneo in videndo & intelligendo , est una eademque

vizio & intellectio, quæ postquam cœpit, aliquamdiu durat: ita creatio est inchoatio influxus divini, conservatio tantum est permanentia in influxu inchoato. Porro, si creatio & conservatio sunt actiones distinctæ, creatio primum cessaret, antequam conservatio inciperet: quod si fieret, rogo: vel eodem momento incipit conservatio, quo cessat creatio, vel alio: non eodem, quia tum res simul crearetur & conservaretur, i. e. eodem momento acciperet esse & haberet, i. e. haberet & non haberet: non haberet, quatenus crearetur; haberet, quatenus conservaretur: si conservatio incipiatur in momento sequenti post creationis cessationem, cum inter duo momenta sit interjectum tempus, res, isto intermedio tempore, nec crearetur, nec conservaretur. At hoc est absurdum. Ergo & absurdum est, ut creatio & conservatio sint duas actiones Dei diversæ: aliqua tamen inter eas est distinctio, sed rationis tantum ratiocinatae seu cum fundamento in re; atque hoc patet, vel ex ipso loquendi modo diverso: nam, 1. res non dicitur conservari in primo instanti, in quo creatur, nec creari post primum instantis reliquo tempore, quo conservatur. 2. creatio connotat novitatem essendi (est enim hæc de ratio-

ne ejus) sed conservatio non item: creatio significat negationem esse præhabiti, conservatio notat possessionem esse præhabiti: esse autem rationis tantum discrimen, probatur ex termino utriusque, & creationis, & conservationis, eodem: nam creatura ut existens in primo instanti, cum creatur, & eadem, ut existens reliquo tempore, cum conservatur, ratione tantum à se ipsa potest distingui: idem est dicendum de creatione & conservatione, quæ eadem est actio, sed ratione à se ipsa distinguitur, prout ipsi termini: nam quæ ratio est terminorum ad quos, eadem est actionum, quia illi cum his identificantur. Dices. *Quare ergo diversa fortinuntur nomina, creatio & conservatio, si sint eadem actio.* Resp. Ob recessus diversos & diversam connotationem ad creaturæ esse, vel inchoatum, vel continuatum. Dices. *Si conservatio est idem quod creatio, Ergo res semper erit in fieri.* Atqui hoc est absurdum. Ergo. Resp. Tā fieri interdum significat novitatem essendi, i. e. de novo incipere, & sic verum est, creaturam non semper fieri; interdum significat actualē dependentiam creaturæ in esse, sic creatura semper fit, quia semper actu dependet à Deo, & servat esse sibi continuum per continuum Dei influxum.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

*Voluminis Secundi,*

V I G E S I M A ,

D E

### DIVISIONE CAUSÆ EFFICIENTIS IN PRIMAM ET SECUNDAM.

#### T H E S I S I .

**D**ivisionem causæ efficientis in Primam & Secundam, Disputationibus tribus persecuti sumus, & Disputatione quidem 1. Causæ pri-  
mæ adstruximus actiones tres ex lumine natu-  
ræ, Creationem, Conservationem, & Concur-  
sum. De Creatione, præterea, quæ erant dis-  
putata disp. 19. partibus duabus Curriculi prio-

ris, disputavimus insuper disp. hujus Curriculi,  
18. & 19. de potentia creandi, posse illa com-  
municari creaturis, per modum causæ, seu prin-  
cipialis, seu instrumentalis? & utrumque nega-  
vimus, ac negationem nostram probavimus.  
De Conservatione quæsivimus, utrum illa con-  
sistat in positivo & reali influxu, an vero tantum  
in non

*in non destructione? & sitne eadem cum creatione, an diversa numero actio? disp. 19. nunc hac 20. restat, ut circa concursum Causæ primæ quædam inquiramus. Ac quamvis materia hæc videatur fere exhausta à nobis disp. 7. 8. 9. 10. 11. in priori Curriculo de ea institutis, attamen ejus fertilitas aliquid adhuc reliquit pro spicilegio. Dari Concursum causæ primæ disp. 7. prioris Curriculi, quid sit, disp. 8. quod præter simultaneum detur prævious. disp. 9. 10. explicatum est: & contra præviū, objectio-nes, qua adferri solent, disp. 11. solutæ sunt. Quod Dei concursus sit determinans, & non deter-minabilis, particularis, non universalis, expositum est, disp. 10. & 11. Nunc, circa con-cursum præviū, Analecta quadam sunt col-ligenda, hæc disp. Duobus ergo tibicinibus, præter allata olim fulcra, concursum Dei præ-vium fulcimus.*

II. §. 1. Si, quoties voluntas creata aliquid non vult, ideo non vult, quia Deus non deter-minat eam ad volendum, concursu sc. prævio, ut velit, ergo, quoties aliquid vult, ideo vult, quia Deus eam determinat concursu prævio, ut velit. *Consequentia manifesta & per se nota est:* contraria enim contrariorum sunt consequentia: Unde bene demonstravit Brawardin. in præclaris illis de *Causa Dei contra Pelagium libris*, Quod, sicut in omni non actione Deo & creaturis communi, prius est, Deum non velle, quam creaturam, ita in omni actione iis communi, prius est, Deum velle, quam creaturam. *Affirmo itaque.* Sed, quoties voluntas creata non vult aliquid, ideo non vult, quia Deus concursu suo prævio eam non determinat, ut velit. Ergo, quoties volun-tas aliquid vult, ideo vult, quia Deus concursu suo prævio eam determinat, ut velit. *Datur itaque Concursus Dei prævious.* Minor ab Ad-verfariis negabitur, quam oportet ut confir-memus: *Quod si fecerimus, vicerimus.* Si quoties voluntas creata non vult, sequitur 1. *Quod Deus eam non determinet ad volen-dum, 2. Quod simul verum sit, quod hæc sus-pensio determinationis divinæ causa sit fine qua non & antecedens, cur non velit,* Ergo quoties voluntas non vult aliquid, ideo non vult, quia Deus non determinat eam, ut velit.

Sed quoties voluntas creata non vult aliquid, sequitur 1. *Quod &c.* 2. *Quod simul verum sit, quod &c.* Ergo &c. *Consequentia iterum manifesta est*, quia posita causa fine qua non aut posito antecedente ad quod necessario se-quitur consequens, ponitur effectus aut de-fectus potius: quemadmodum posito recessu solis à nostro horizonte necessario conse-quuntur tenebrae: si itaque suspensio deter-minationis divinæ sit causa fine qua non & antecedens ad quod necessario se-quitur, quod voluntas non velit, certe quoties voluntas non vult, ideo non vult, quia Deus suspendit determinationem suam, i. e. quia negat con-cursum præviū & prædeterminantem. Sed minor iterum nobis probanda venit: ea bi-membris est. *Prius* quidem membrum per se notum videtur, nec multa probatione indige-re, sc. quoties voluntas creata non vult aliquid, Deum non determinare eam ad volendum: si enim determinaret eam, jam vellet: Deo enim determinanti quis restitit, aut resistere valeat? Ergo, quando non vult, id signum est, eam non determinari hoc tempore à Deo ad volendum. Sed alterum minoris membrum unice nobis probandum est: sc. suspensionem determinationis divinæ esse causam fine qua non & antecedens, cur quis non velit. Aut hæc est causa &c. cur quis non velit, sc. sus-pensio &c. aut danda est alia causa fine qua non & antecedens, ex parte Dei, aut omnino nulla datur: hoc est, ut clarius me exprimam, aut Deus omnino non poterit antecedenter voluntati creatæ efficere, ut ea non velit; aut, si poterit, non tamen hoc faceret, suspenden-do determinationem suam in voluntatem creatam, sed alio modo: aut, concedendum est, meram suspensionem determinationis divinæ sufficere ad hoc, ut voluntas creata non velit aliquid. At horum primum dici non poterit, quia hoc derogat omnipotentiæ divinæ, quæ extendit se ad omnia, quæ non im-plicant contradictionem. Sed hīc nulla im-plicatur contradictione. Verum, praterquam quod inconveniens sit omnipotenti Deo derogare istam potentiam, qua possit antecedenter voluntati creatæ efficere, ut ea non velit, probo insuper, Deo istam potentiam dene-gandam

gandam non esse. Poteat Deus antecedenter voluntati creatae efficere, ut ea velit: habet enim imperium, ut in omnem creaturam, ita præsertim in voluntatem humanam: neque hoc à *Suarezio*, *Arminio*, aut quoconque concursus prævii, particularis, & determinantis, hoste, neque ab ullo mortalium, negari potest. Quæ enim Dei, qui omnia potest, erit potentia, si tantum non possit antecedenter voluntati creatæ efficere, ut illa velit? Si vero id possit Deus, poterit &; ut non velit: nam qui potest efficere, ut quis faciat aliquid, præculdubio & poteat efficere, ut idem non faciat: imo hoc posterius aliquanto minoris est potentiae quam illud prius; nam multo facilius potero cohibere proximum, ne aliquid faciat, quam illum impellere, ut illud faciat, imo hoc saepè non potero, & prius potero. Ergo omnino poterit Deus antecedenter voluntati creatæ id effectum dare, ut ea non velit. Sed jam queritur ulterius. An hoc præstaret, suspendendo suam determinationem, vel alio modo. Non potest hoc præstare alio modo, quod sic probo. Si Deus non efficeret antecedenter voluntati creatæ, ut ea non velit, suspendendo suam determinationem, sed alio modo, tum vel, quia omnino non faceret hoc actione suspensiva, sed potius id faceret positiva actione, vel, quia licet hoc faceret actione suspensiva, qua aliquid suspendit, id est, negat, non tamen hoc faceret, suspendendo, i.e. negando determinationem suam, sed suspendendo, i.e. negando aliquid aliud. Atqui horum neutrum dici potest. Ergo Deus hoc faceret, sc. ut voluntas non velit, suspendendo suam determinationem. *Probo minorem*, sc. neutrum modum Deo convenire in efficiendo, ut voluntas creatæ non velit: non priorem, sc. ut Deus dicatur actione positiva efficere, ut illa non velit: nam, si per actionem id præstaret positivam, tum actio Dei positiva terminaretur ad non ens, sive, ad negationem entis alicujus, puta, actus volendi, requiretur actio positiva. Sed hoc est absurdum: quippe, si positio actus divini requireretur ad non-vele creature, ergo à contrario, negatio actus divini requireretur ad nō velle creature, quo nihil potest cogitari ineptius. Sed nec

secundus modus efficiendi, ut creatura non velit, Deo convenit, sc. ut id præstet, actione quidem suspensiva, verum non suspensione fux determinationis, sed alterius alicujus: Nam quod voluntas creatæ non velit, ex parte Dei, fiet per suspensionem, aut concursus divini, aut alicujus tertii: non fiet per suspensionem concursus divini, quia is tantum simultaneus agnoscitur ab *Adversariis*, & sic non fieret ista suspenso concursus divini antecedenter voluntati creatæ, sed subsequentes potius aut faltem simultaneæ ac concomitantes, quia ipse concursus divinus expectare actionem voluntatis humanae, sequi, aut faltem concomitari, illis dicitur, unde & nomen simultanei & concomitantis concursus illi est inditum. Tertium aliquid dari præter concursum Dei, cuius suspensione fiat, ex parte Dei, ut creatura non velit, sub nullius imaginationem hactenus cadere potuit, & vero fingi non potest. Restat ergo ultimum *Minoris membrorum* concludendum, sc. ut Deus dicatur efficere antecedenter voluntati creatæ, quod ea non velit, sola suspensione, determinationis sua, seu concursus prævii determinantis, & non actione positiva, nec suspensione alicujus alterius tertii. Ergo *concludo repetito primo sillogismo*. Si suspensione determinationis divinae, seu concursus prævii determinantis, sit causa sine qua non & antecedens, cur voluntas creatæ non velit, ergo ipsa determinatione divina seu concursus prævius determinans erit causa, cur eadem velit. Sed verum prius ex jam probatis. Ergo & posterius. Ergo datur talis concursus, quod erat demonstrandum.

III. §. 2. Alterum pro concursu Dei prævio, particulari, determinante, argumentum nostrum hoc est. Si Deus concursu prævio non determinet voluntates nostras, nec erit omniscius, nec omnipotens. Consequens est absurdum. Ergo & antecedens. *Probo maiorem*, quod prius membrum, sc. de omnisciencia. Si Deus non certo scit actus liberos voluntatis nostræ futuros, nisi à se prædeterminentur, ergo si eos concursu suo prævio non prædeterminet, non certo eos sciet, & sic non erit omniscius. Sed Deus certo scit. &c. Ergo &c.

Ergo, &c. *Consequētia clara est. Minor sic prob.* Nosse actum liberum futurum v. c. voluntatis meæ, est, nosse, me tale quid volitum, atque adeo est, nosse, me ad istam volitionem pro certo tempore determinatum. Sed Deus non novit istam determinationem, sublato concursu prævio, prædeterminante. Ergo eodem sublato, non novit, quod ego sim libere volitus, & sic non erit omniscius. *Major huius syllogismi certa est, Minor probatur.* Aut Deus, sublato concursu prævio & prædeterminante, novit voluntatis meæ determinationem in seipso, atque adeo in me, aut in determinatione voluntatis suæ, atque adeo in se: Non in determinatione voluntatis suæ, quia sublato concursu prævio auferitur voluntas Dei determinans; si enim Deus non concurredit prævie determinando me, neque voluit me prædeterminare; si enim voluisset, fecisset; omnia enim, quæ voluit, fecit; si non voluit me prædeterminare concurrendo, non potest nosse aut scire determinationem voluntatis meæ in voluntate sua determinante, quæ non est: Ergo novit voluntatis meæ determinationem in seipso, id est, in me: aut, si hoc est absurdum, ut est absurdissimum, cum plane non novit, & sic non erit omniscius. *Probo* verò esse absurdissimum, ut quis dicat, Deum voluntatis meæ determinationem nosse in se ipso, id est, in me: quia absurdissimum est, ut Deus scientiam suam mutuetur à creaturis, ut creature ipse sint objecta motiva cognitionis: sed si aliter non novit determinationem meæ voluntatis, quam in se ipsa, i. e. in me, mutuatur scientiam suam à creaturis, sc. à mea voluntate, suntque ipsi creaturæ, i. e. mea voluntas se determinans ad voluntendum, objectum motivum cognitionis. Ergo, cum non liceat dicere, quod Deus cognoscat actum liberum voluntatis meæ futurum, in determinatione voluntatis meæ, nec, quod eum cognoscat in determinatione vo-

luntatis suæ, quæ nulla est, concursu prævio & prædeterminante sublato, ergo plane non cognoscit, consequenter, non est omniscius. *Probo* nunc alterum membrum *Majoris*, de omnipotentiā. Qui non potest omnia, quæ non involvunt contradictionem, is non est omnipotens. Sed si Deus non determinet concursu prævio voluntates nostras, non potest omnia, &c. Ergo &c. *Probo Minorem.* Deus, sublato concursu prævio & determinante, non potest producere consensum meæ voluntatis, faciendo certissime, ut consentiam & velim id, quod ipse voluerit, ergo non potest omnia. *Probo Antecedens.* Deus tantum potest producere, quod in se habet & continet. Sed consensum meæ voluntatis, supposita sententia *Adversariorum*, negantium præsumptum Dei & prædeterminantem concursum, non habet nec continet in se, quod probo: unumquodque est, in quantum est determinatum: sed determinatio meæ voluntatis non est in Deo, quia, ex hypothesi *Adversariorum*, Deus non determinat meam voluntatem: ergo consensus voluntatis meæ, ut hoc velim, non est in Deo. Ergo non potest eum producere. Ergo non est omnipotens.

**I V.** Ad argumentum hoc thesi 3. propositum, gemino cornu, quod *Adversarios* non ferit sed conficit, nihil potest responderi aut excipi, quam hoc unicum, quod vulgo adferri solet, Deum scil. per tubum opticum scientiae mediae penetrare & cognoscere quid sit factura voluntas humana, si sub hac aut illa conditione ponatur, & inde Deo esse cognitionum, quid ipse possit. Sed vero exceptio falsum supponit, & fingit scientiam medium inter scientiam simplicis intelligentiæ & viviæ, quam immanem bellum, *Iesuitarum & Remonstrantium* Helenam, multis telis confundimus, *disp. 3. Curriculi prioris disp. select.* Stet ergo, maneat, æternumque perséveret, *Cause primæ influxus prævius & prædeterminans.*

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

V I G E S I M A - P R I M A ,

D E

CAUSÆ EFFICIENTIS DIVISIONE IN PRIMAM  
ET SECUNDAM.

## T H E S I S I .

**V**Ti *disp. preced.* Concursum causæ i. præ-  
vium & prædeterminatum, olim *val. i.*  
*Disp. selecī. 9. ac 10. assertum, & 11. ab*  
*Adversariorum* objectionibus vindicatum,  
duobus insuper tibicinibus fulcivimus; ita  
eundem, ut particularem, & influentem, in  
esse actionis physice, non tantum genericum,  
sed & specificum, atque individuale, & non  
determinabilem à causa secunda, sed deter-  
minantem ipsam, *disp. 10. cit.* adstratum, &  
ab impugnationibus contrarie partis libera-  
*disp. 11. cit.* denuo sub examini incu-  
dem vocare est animus, præsertim, quod hoc  
monstrum concursus divini, illimitati, inde-  
terminati, indifferentis, communis, & uni-  
versalis, in *Pelagianorum* veterum cerebro na-  
tum, à recentioribus tenerime exceptum,  
non posset satis configi, ne *Philosophos & Philo-*  
*Sophantes* in posterum transversos agat. *Con-*  
*cursus ergo divini, universalis, seu determina-*  
*tionem, seu contractioem, seu limitationem,*  
*ad certam in specie, quin ad unam numero, actionem,*  
*philosophice examinemus.* Nam *Philosophiæ*  
ab una parte usum; ab altera parte abusum,  
videre hic licebit: sic procedo.

II. Omnis limitatio & contractio natura  
communis, ad certam speciem, est, vel Meta-  
physica, seu, ut alii loquuntur, Logica, vel  
Physica. Limitatio Physica, est materiæ per  
formam. Metaphysica, seu Logica, est con-  
tractio generis per differentias. Metaphysica  
seu Logica concursus Dei universalis limita-  
tio & contractio, ad certam actionis speciem,  
hic locum habere nequit; neque enim con-  
cursus Dei, genus est; sed est influxus quidam  
specialis & singularis à Deo proveniens in

causam secundam, ejusque actionem: præter-  
ea, concursus causæ secundæ, ut volitio no-  
stra, est etiam quid singulare: at duo singularia,  
ut fuit concursus divinus & humanus, non  
possunt concurrere in unum, ut genus & dif-  
ferentia ad constituantem speciem unam: Si  
ergo hæc contractio & limitatio Metaphysica,  
seu Logica, locum habet in concursu Dei ge-  
nerico, universalis, indifferente, limitando,  
contrahendo, determinando, oportet dicere,  
quod concursus Dei sit genus contrahibile,  
concurus cause secunda differentia contra-  
hens, & hinc unum specie concursum ad u-  
nam specie actionem, v. c. ambulationem,  
conflixi: quod nemini absurdum videri non  
potest, & ab unoquoque Philosophia Tyranno  
refutari. Notum est ex Logicis, quod omnis species sit unum per se: omne unum  
per se constituit ex actu & potentia: ex duo-  
bus acto existentibus constituitur unum per  
accidens: sed concursus Dei & Creaturae actu  
existunt: ergo ex iis constituetur unum per  
accidens. Rursus, quod ex genere & differen-  
tia oritur, est quiddam universale: atqui uni-  
versale, ut sic, non existit in rebus extra ani-  
mam. Sed concursus Dei & Creaturae sunt  
concursum particulares, in rerum natura exi-  
stentes: ideoque ad speciem constituantem  
coalescere non possunt. Non potest ergo con-  
cursus cause primæ, universalis, & indifferens,  
contrauti aut limitari, per concursum cause  
secundæ, contradictione aut limitatione Me-  
taphysica vel Logica, quæ est generis per dif-  
ferentiam in species: sed fortassis contrahetur  
ac limitabitur, contractione & limitatione  
Physica, à concursu cause secundæ particulari  
& deter-

& determinato, sicuti forma limitat materiam: sed neque hoc dici ullo potest modo: Nam, si concursus Dei sit veluti Materia, concursus creaturæ veluti Forma, multo dignior foret & nobilior concursus causæ secundæ quam primæ; forma enim præstantior censetur materia, & materia appetit formam, ait Aristoteles, ut femina appetit esse mas. At hoc iniquum est, dicere, quod concursus causæ secundæ longe sit nobilior concursu causæ primæ. Præterea, limitatio materiae per formam tantum habet locum, in generatione corporum, non autem actionum, quæ simplices sunt formæ & neutriquam admittunt compositionem. Adhæc, materia prima est genericum quid, & ex natura sua indifferens, concursus Dei non est quid genericum, sed ex natura sua singularis, à principio singulari procedens, & ad singulare quid terminatus. *Concludo.* Concursus ergo Dei, nullo modo contrahi aut limitari potest: &, Concursus Dei, ut contrahibilis, ut universalis, ut indifferens, ut determinabilis à concursu creaturæ, commentum est, præter omnem rationis sobrietatem, excogitatum; & nullibi in Philosophia fundatum.

*I I.* Sed cum concursus Dei à concursu creature determinari nequeat, determinatione Physica, nec Metaphysica aut Logica, videamus, an aliud genus determinationis detur, quod melius quadret huic negotio. Philosophantur nonnulli hic de determinatione activa & passiva. Consideremus utramque, an præsentis negotio accommodari valeat. Activa determinatio fit, quoties artifex determinat instrumentum, in illud agendo. Sic non potest dici causa prima determinari à secunda, sed contra: nam prima non est instrumentum secundæ. Passiva determinatio fit, quoties materia determinat actionem agentis. Ex. gr. Lignum parum idoneum ad formam ab artifice intentam recipiendam, actionem artificis determinare dicitur, ad enorritatem formæ; nam non ex quolibet ligno fit Mercurius, ut habet vulgatum verbum: sic charta humida determinat scriptoris actionem ad scriptiōnem deformem & incompositam: sic eadem Solis operatio, pro varia

materie dispositione, ceræ videlicet aut lutis, determinari dicitur ad varios effectus, vel liquefactionem vel indurationem: in hisce materia determinat operationem Solis, non tamen agendo in Solem aut operationem ejus, sed patiendo tantum à Sole ejus influxum juxta capacitatem atque naturam suam, sine renisu tamen aut reluctance contra operationem Solis, quemadmodum materia saepe renitur operationi artificis, quia Sol sc. non intendit aliter agere quam secundum Naturam rei uniuscujusque suam. Videamus, an concursus Dei utrolibet modo determinari possit à concursu creaturæ? Non potest determinatione activa, quia sic causa secunda ageret in primam. Atqui causa secunda non agit in primam, neque voluntatem Dei Physice movet ad producendum actum voluntas creata: nam sic fieret, ut causa prima subiecteretur causa secunda in operatione Physica, & consequenter, non prima foret, sed secunda, quia non obtineret in agendo partes primas sed secundas. Verum super hæc, quomodo hoc faciet voluntas creata, ut Deum determinet activa in concurrendo ad certam actionis speciem? vel id faciet volendo, vel aliquid aliud agendo. Non faciet id volendo, nec facere potest, quia actus volendi est actus immanens: determinatio Dei, qua determinaret à creatura activa, actus transiens: volitio nullam habet vim transeundi in aliud nisi imperando: at vero imperat facultatibus inferioribus corporisque membris, non Deo: ergo hæc activa determinatio, qua concursum Dei determinat voluntas creata, non potest esse volitio. Sed nec actio alia esse potest: nam à voluntate nulla alia proficiuntur immediate, quam volitio: &, quænam, quæso, actio creaturæ tranferit in Deum, eumque ad agendum determinaret? quomodo ageret in concursum Dei? cum actio, puta Dei concursus, non possit esse subiectum aut objectum determinationis creatae. Sed videamus, an non hic obtinere valeat determinatio passiva, ut sic Deus in agendo à creaturis determinetur. Verum enim vero ne hoc quidem ullo modo dici potest: Nam, si voluntas creata determinet concursum Dei

indifferentem determinatione passiva , quo modo cera actionem Solis differentem determinat ad liquefactionem , ergo Deus statuet agere , aut in ipsam voluntatem creatam , aut in voluntatis creatae influxum , quod Sol agit in ceram , dum cera eum determinat , aut dum ille determinatur à cera ad liquefacionem . Sed ipsi Adversarii negant , Deum tali modo agere , in voluntatem creatam , aut in ejus influxum : dicunt enim , Deum concurrere , non influendo aliquid , in causam secundam , aut in ejus actionem , non operando aliquid in ea , sed operando aliquid cum ea : si enim agnoscerent , Deum aliquid operari in causa secunda , vel in ejus actione , jam concursum præsum admitterent , quem rejiciunt : nam statuunt , Deum tantum operari cum cause secunda actione : exspectans enim operationem creaturæ , quam per tubum opticum scientia media prævidet aliquando futuram , si hæc in hisce aut illis conditionibus ponatur , cum ea adest , suum concursum conjungit foliummodo , & simul cum illa operatur , ac proinde non potest determinari à concurso cause secundæ determinatione passiva , ut determinatur Solis actio à cera ; nam tum deberet Deus , prius natura , non tempore , (nam de prioritate temporis hic nunquam loquimur ) deberet , inquam , prius natura influe re in causam secundam , aut in ejus actionem , ut ab ea determinari suis concursus & influxus poslit . Sed hoc non admittunt Adversarii : quare & rejiciant necesse est , istam concursus divini determinationem passivam , velint , nolint , utpote qui in influxu Dei in causam secundam ejusque actionem fundatur , & non in ista simultanea divina operationis conjunctione .

IV. Sed pergamus ulterius , & probemus insuper , posito influxu Dei , in ipsam causam secundam , & in actionem cause secundæ , & unus enim idemque influxus est , pro terminorum diversitate , ad quos respectus dicit diversos , juxta nostrum concipiendi modum distinctus tantum ) posito , inquam , isto Dei influxu , quem disp. præc. & in priori curriculo disp. select. astruximus , adhuc tamen non est dicendum , quod concursus Dei à causa secun-

da determinetur determinatione passiva , nec ratione ejus , quod Deus influat in ipsam voluntatem creatam , nec ratione ejus , quod influat in actionem ejus .

V. Quod Deus influendo in ipsam causam secundam , non determinetur ab ea , determinatione passiva , sic probo . Si Deus influat in voluntatem creatam , ergo non determinatur ab ea passive , sed vero ipse illam determinat active . Prob. conseq. Quia creatura non potest reniti aut resistere creatori . Dicos . At sic cogetur voluntas . Resp. Minime : nam Deus non potest agere in voluntatem contra naturam ejus , eam defruendo : At voluntas cogi non potest : quia voluntas coacta non est Voluntas , estque contradictione in adjecto : ideoque , si Deus voluntatem creatam moveret ad volendum , siue ad nolendum , hæc tamen convenienter nature vellet aut nolle id , ad quod , vel volendum , vel nolendum , est à Deo determinata . Sed , dicent Adversarii , hoc fieri secundum voluntariam Dei dispensationem , quippe qui vult operationem suam modificare per concursum Voluntatis creatæ , & sic Deus ab ea determinatur passivo , quemadmodum Solis actio modificatur à cera in liquefactione , & ab ea ad liquefaciendum determinatur . Resp. Est elenchus parium : hæc enim à parte Dei & Solis non habent se similiter : Nam quero ex illis , qui istam concursus divini modificationem & passivam à concursu creaturæ determinationem statuunt ; utrum Deus creaturam moveat , tantum ad agendum in genere , ita ut voluntas creata à scipla accipiat & habeat , quod moveatur hoc motu in specie , ut Adversarii volunt , an vero à Deo moveatur , tum ad agendum in genere , tum ad agendum hac specie motus , qua agit , uti nos statuimus . Prius , quod Deus creaturam tantum moveat ad agendum in genere , & non ad speciem actionis , jam disp. 10. & 11. vol. prioris disp. select. refutatum est olim , & omnino falsum est : tum , quia creatura tam indiget moveri ad agendum in specie , quam in genere , cum species perfectior sit genere : tum , quia influxus Dei , cum sit influxus singularis , non potest terminari ad naturam genericam : tum denique , si voluntas creata non indigeat influxu

fluxu & concursu Dei ad agendum actum, secundum speciem actus, vel non indiget eo, ad agendum actum secundum speciem actus, vel in genere Naturæ, vel in genere Moris. Non potest dici prius, quia quicquid indiget concursu & influxu Dei ad naturam actus genericam producendam, etiam indiget eo ad producendam actus naturam specificam, quia natura actus genericus produci nequit nisi producta natura ejusdem specifica, utpote in qua includitur; universalia enim existunt & continentur in particularibus & singularibus, genera in species, & species in individuis. Posterior quod spectat, speciem puta, aut naturam specificam actus, in genere Moris, nemamus, bonum & malum esse species actus moralis, licet vulgo sic dicantur, uti id refutatum est, vol. 1. disp. selec. 11. sed sunt tantum accidentia actionum naturalium, que ex-trinseca solū denominatione actionibus convenienti; omnis enim actio denominatur, aut bona, aut mala, quatenus sit, vel conformiter legi, vel ei disformiter, actionem eandem aut præcipienti, aut vetanti: ideoque, si constituit, Adamum equisffe influxu & concursu Dei ad comeditionem, certam in genere natura speciem actionis, ante interdictum Dei, qui fieri potest, ut non indigerit eodem influxu & concursu Dei ad comeditionem eandem, ut est species actionis in genere naturæ, post interdictum Dei? Ergo Deus, non tantum movet in genere, sed & in specie atque etiam in individuo, ad agendum hunc actum naturalem, particularem, singularem. Quod si verum est, ut verum esse demonstravimus & nunc & alias, infero ergo: Ergo Deus nullo modo determinatur passiæ à causa secunda, dum eam præmovet ad actum, non tantum, in genere, sed & in specie, atque in individuo, in genere naturæ, verum ipse determinat active causam secundam; nam ista præmotio, iste influxus in causam secundam, est ipsa Dei, causam secundam prædeterminantis, prædeterminatio: tantum abest, ut ejus influxus passiæ determinetur ab ipsa causa secunda.

V I. Verum enimvero, nec Deus determinatur in concurso suo passiæ à causa secunda,

ratione ejus, quod influat in actionem ipsam causæ secundæ: quod fuit membrum posterius s. b. 4. & sic probo contra omnes illos, qui in concurso simultaneo concurrentis Dei & causæ secundæ existimant aliquid esse in concurso Dei, quod determinetur à concurso creaturæ. Si concursum actualis Dei, ac simultaneus, determinatur ab actione causæ secundæ concurrentis, ergo actio causæ secundæ prior erit, non quidem tempore, sed natura saltem, ipso concurso Dei simultaneo, quia determinans prius natura est determinato. Atqui actio causæ secundæ non est prior, ne natura quidem, concurso Dei simultaneo, quia una eademque est actio concurrentium, Dei & creaturæ, qua v. c. ambo concurrunt ad ambulationem, ac proinde una non est prior altera; consequenter, non potest actio causæ primæ determinari ab actione causæ secundæ. Quod non sint duas actiones, sed una eademque actio, concursum Dei & creaturæ, licet ratione agentium, à quibus proficiuntur, diverse concipiuntur, alias & alibi fuit demonstratum. Certe actio sumit distinctionem à termino; est enim via & motus ad terminum: ac proinde, ubi fuerit unius & idem terminus, uti est hic in concurso Dei & creaturæ, una tantum est actio.

V II. Sed, querat aliquis, si concursum Dei simultaneus non determinetur à concurso creaturæ, an ergo concursum creaturæ determinetur à concurso simultaneo Dei? quemadmodum ostendimus, creaturam determinari ad agendum, affi-ve à concurso Dei prævio, an non pariter eam determinet, cum influat non tantum in potentiam ejus agendi, sed in actionem ipsam? Resp. Nullo modo: & fictitia tantum est determinatio, que statuitur à quibusdam, qua Deus concurrendo concurso simultaneo creaturam dicitur determinare: Nam par est utriusque concursum, & divini & humani, simultanei ratio, quia una eademque est actio Dei & creaturæ concurrentium, &, uti in ista actione creatura non determinat Deum, ita nec Deus determinat creaturam actuali & simultanea co-operatione, quia neutrum hic altero prius est: probo vero, ratione concursum simultanei, Deum non determinare causas secundas ad

agendum. Concurrere & cooperari, aut simul agere cum aliquo ad producendum effectum, non est, determinare agens illud: nam, & creatura concurrit cum Deo, nec tamen determinat Deum, ut statim vidimus, ergo nec Deus simul concurrens cum creatura operante, eam ad operandum determinat: nam concursus simultaneus, nihil dicit aliud, quam, alio producente, illum effectum simul comproducere: sed hoc non est, determinare: quemadmodum, cum duo homines eundem lapidem volvunt, aut duo equi simul idem plaustrum, aut eandem navem, trahunt, uterque cum altero concurrit, sed neuter, vel hominum, vel equorum, alte-

rum determinat: sic nec Deus simul cooperans cum creatura, istac actione creaturam determinat, multo minus cratura Deum. Ergo, ut omnia concludam uno verbo, Deus nullo modo determinatur in agendo à creatura, nec Metaphysice seu Logice, nec Physice, nec active, nec passive, sed ipse concursu prævio active determinat creaturam ad agendum, & in genere, & in specie, & in individuo. Itaque, concursus Dei cum nullo modo determinari possit, contrahi, limitari, non est indifferens, universalis, indeterminatus, contrahibilis, sed est determinatus & determinans, particularis, restrictus, quod erat demonstrandum.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

*Voluminis Secundi,*

V I G E S I M A - S E C U N D A ,

D E

## CAUSÆ EFFICIENTIS DIVISIONE IN PROXIMAM ET REMOTAM, TOTALEM ET PARTIALEM.

### T H E S I S I .

**O**cupavimus nos aliquot *disp.* in explicanda divisione Causæ Efficientis in primam & secundam, sed præter hanc & ante explicatas, dividitur illa quoque in Proximam & Remotam. *Proxima est, quæ producit effectum immediate.* *Remota est, quæ producit effectum media causa propinquiore.* Quæ utraque definitio, quo sensu sit intelligenda, seq. thesi sic explicamus.

**I.** Quando causa proxima dicitur *immediate* producere effectum, vel intelligitur hoc sic, ut nihil omnino interveniat inter ipsam & effectum, nec causa alia, sive ejusdem, sive diversi, ordinis, nec virtus ulla, nec conditio ad causandum requisita, sed qua ipsa sua existentia effecto conjungitur ac sic illud attingit, quæ est *causa absolute proxima*; vel intelligitur illud *immediate* sic, ut inter causam proximam & effectum non interveniat causa alia

eiusdem ordinis & speciei, licet intervenire possit causa media diversi ordinis & speciei, licet & interveniat media virtus seu caufalitas, licet interveniat media conditio ad agendum requisita, quæ est debita approximatio agentis ad patiens, & hæc est *causa efficiens proxima in suo genere*; ac posteriore hoc sensu, *causa proxima* proprie hic sumitur cum opponitur remota, ut *Remota* dicatur impræsentatum, quæ producit effectum, *mediæ*, non tantum virtute, quomodo opponitur *causa absolute proxima*, sed & mediæ causâ alia, non tantum diversi ordinis & speciei, sed & ejusdem ordinis & speciei, quo modo opponitur *causa proxima in suo genere*; &, hæc remota causa, neque existentia, ut *causa absolute proxima*, neque virtute, ut *proxima in suo genere*, cum effecto conjuncta est, & neutrò illud attingit modo. In exemplo res utrimque est manifesta.

manifesta. Causa absolute proxima est emanativa omnis: ignis respectu caloris, qui est in se; anima rationalis respectu risibilitatis, & forma omnis substantialis respectu proprietatum, quia inter ignem, ut caulam, & calorem suum, ut effectum, nihil intercedit medium, nec causa ulla, nec virtus ulla vel causalitas, nec conditio ad agendum requisita, quin, ignis sua existentia effecto conjugitur, quia sua existentia calorem suum intra se producit, ut emanativa omnis: pariter se res habet in anima rationali respectu risibilitatis, & forma qualibet substantiali respectu sua proprietatis. Ignis quoque est causa proxima caloris externi extra se producti in alio, pater liborum, non absolute; nam inter causam utramque & effectum intercedit media virtus, & approximatio agentis ad patiens, quin intercedit media caula, sed alterius ordinis, qua nihil impedit, quo minus sua virtute effectum attingat causam utraque, & proxima dici possit, sed in suo genere, non vero absolute; inter ignem enim & calorem extra se productum intercedit media calefactio. & calor ignis internus, inter patrem & filium semen; at calor ignis internus & semen, alterius sunt ordinis & speciei causae efficiens, nimurum instrumentales, quam ipse ignis & pater, qui sunt principales, &, quia calor internus ignis & semen sunt instrumenta quoad existentiam & activitatem causis principalibus conjuncta, censentur una eademque causa cum causis principalibus, nihilque impediunt, quo minus causa principalis utrobique dici possit proxima, licet interveniant haec ut instrumenta: At causa remota est avus respectu nepotis, qui producitur, quia hic inter avum & nepotem intercedit alia causa media principali ejusdem ordinis & speciei cum avo, nimurum pater. Duplex ergo est oppositio inter causam proximam & remotam: nam, si causa proxima sumatur pro ea, inter quam & causatum nihil plane intercedit medium, ne quidem virtus ulla, jam etiam illa, quæ dicitur causa proxima in suo genere, remota erit, ut pote inter quam & effectum media intercedit virtus; sed si causa proxima sumatur pro ea, inter quam & effectum non intercedit ejus-

dem ordinis & speciei causa efficiens, jam illa tantum remota erit, inter quam & effectum alia ejusdem ordinis & speciei causa intercedit, quo pacto nos causam Remotam definivimus.

III. Causa absolute proxima semper tantum est unica in uno effecto: estque, vel in eodem subiecto, in quo est effectum, vel non est: si sit, vocatur interna; si non sit, externa. Quia anima rationalis, causa proxima absolute, risibilitatis, effecti, est in eodem homine, in quo est risibilitas, est causa absolute proxima, interna: sed interpositio terræ inter Solem & Lunam, quia non est in ipsa Luna, in qua est effectum ejus, tanquam cause absolute proximæ, dicitur causa absolute proxima, externa.

IV. *Causa efficiens alia quoque est totalis, alia partialis. Totalis est, quæ per se sola in suo ordine & specie totum effectum producit; ut ignis est causa totalis producendi alium ignem, quia non indiget alia causa efficiente particuliari, principal, i. e. sui ordinis & speciei causa ad alium ignem producendum, licet indigeat celo, ut causa universalis, quæ est alterius ordinis & speciei opposita, licet indiget materia, diversi generis causa, licet indigeat calore, ut instrumento, alterius quoque speciei causa. Partialis, quæ per se sola in sua specie & ordine totum effectum producere nequit, sed quæ jungi debet causis aliis & sociis ejusdem ordinis ac speciei, atque unaquaque ex parte tantum causatum producit: ut sunt duo homines portantes idem pondus, ad quod neuter est sufficiens. De hac utraque causa queri solet, *An plures causæ efficientes, seu totales, seu partiales, seu ejusdem speciei, seu diversæ, conjungi possint in effecti ejusdem productione?* Quæ questio quia est ardua, & peculiarem habet usum in Theologicis, circa questionem, *An Deus & homo sint causa socia & conjunctæ in hominis conversione, quin & in omni bono opere?* per distinctos meretur decidi paragraphs.*

V. §. 1. *Possunt sociæ esse & conjunctæ causæ plures efficientes ejusdem effecti & ad id producendum concurrere, ejusdem ordinis & speciei, sed partiales.* Idem numero filius à patre procreatur & matre simul, ut causis efficientibus parti-

particularibus, partialibus: idem pondus trahitur à duobus equis, causis pariter talibus: neutrobique enim una causa sine altera sufficit ad effectum utrobique producendum, & sunt utrimque ejusdem ordinis & speciei causa. Notandum autem est, has causas semper esse coordinatas, non subordinatas, quia neque quoad existentiam, neque quoad causalitatem, neque quoad utrumque, una causa dependet ab altera, nec parens à parente, nec equus ab equo, sed uteque existentiam & causalitatem possidet neutri mutuo debitam.

V I. §. 2. *Possunt esse plures causæ efficientes sociæ & conjunctæ & concurrere ad ejusdem effecti productionem, diversi ordinis, sed totales.* Possunt ad idem effectum concurrere causæ efficientes, v. c. superiores & inferiores, universales & particulares, principales & instrumentales, proxima & remotæ, aliae alii semper subordinatae, omnes tamen totales, quia singula in sua specie, sine auxilio alterius causa ejusdem speciei, totum producunt effectum: sic scriptio tota est à calamo, & tota à scriptore, solus enim calamus, ut instrumentum artificiale, scribit; & solus scriptor, ut causa principalis, scribit; & calamus scriptori subordinatur, quia quoad causalitatem, ut scribat calamus, à scriptore dependet. Habet hæc res insignem usum in concurso divino explicando, quando queri solet. An Deus & homo concurrant ad eosdem actus, naturales, morales, imo & supernaturales, ut causæ partiales & ejusdem ordinis, an ut causæ totales & diversi ordinis, aut, an concurrant, ut causæ coordinatae, quod volunt *Iesuitæ & Renonstrantes Philosophi*, an vero ut subordinatae, quod volunt *Thomistæ* & quicunque sincerius Philosophantur, & nos adstruximus *disp. de concurso Dei*, hoc & priori select. *Disp. volume habitis.*

VII. §. 3. *Non possunt plures causæ totales ejusdem ordinis sociæ & conjunctæ concurrere ad idem effectum.* Quod ita verum esse censent *Thomistæ*, contradictionem ut implicet illis, idem numero effectum produci simul à duabus causis totalibus ejusdem ordinis inter se conjunctis, atque adeo non tantum naturaliter id impossibile, sed & supernaturaliter, esse asseverent. Ratio certe defunta ex vi definitionis, qua definitur causa totalis, id fieri posse clare evincit: nam causa totalis est, quæ sola in sua specie & ordine totum effectum producit. Si ergo plures causæ totales in eadem specie concurrerent ad ejusdem effecti productionem; vel catena omnino nihil causarent, quia una sufficeret; vel, si cetera cauerint, frustra causabunt; agent enim, quod est actum, producent id, quod est productum, efficient effectum, quod nunc est, quia, ut esset, una solum causa totalis sufficiebat, quæ cooperatur; at natura nihil facit frustra. Deinde, si plures concurrerent causæ totales ejusdem speciei ad idem numero effectum producendum, plures etiam erunt actiones totales: illis enim multiplicatis & hæc multiplicarentur. At hoc fieri non potest: unus enim numero effectus fieri non potest, nisi per unam numero actionem totalem, quia actio est via ad effectum, seu effectum in fieri: ideoque unum numero effectum postulat tantum unum numero influxum ex natura sua & unam tantum ex se actionem, per quam fiat; nam esse unum postulat tantum unum fieri adæquatum. Quod si ergo non possunt esse plures actiones totales, quibus unum numero effectum producatur, Ergo nec possunt esse plures numero causæ totales ejusdem ordinis, quod erat demonstrandum.

## Disputationum ex Philosophiâ selectorum

Voluminis Secundi,

VIGESIMA-TERTIA,

DE

## CAUSA FINALI.

## THESES I.

**P**Lacet impræsentiarum Philosophicam de Causa Finali instituere ventilationem. De Causa dicimus Finali, & non de fine, ut ambiguitatem evitemus, qua finis interdum significat extreum aut terminum quemvis, seu magnitudinis, seu durationis, interdum extreum aut terminum perfectum, bonum, atque adeo causam finalem. Hoc sensu finem definimus, Causam externam, propter quam seu cuius gratia res est: vel, que causam efficientem impellit ad agendum, adeoque ad consecutionem sui. Quæ definitio ut tanto intelligatur clarius, hæc quatuor jam nunc discutiemus.

1. *Quenam sit ratio formalis, secundum quam finis causat?*
2. *Quenam sit conditio ad finalizandum, barbare, seu ad caudandum in fine requisita?*
3. *Quenam sit ipsa finis causalitas.*
4. *Quodnam sit causalitatem finis?*

II. *Quod spectat rationem formalem, secundum quam finis causat, ea est, uno verbo, bonitas: finis enim omnis, seu ultimus, seu subordinatus, bonus est, vel per se, vel per aliud: omne autem ens potest induere aliquam rationem finis, quia omne ens aliquam bonitatem habet. Bonitas ergo formalis ratio est causæ finalis, sive ea sit vera, sive apprens: non enim omnis finis semper revera bonus est; semper tamen bonus, si non revera, falso apparenter. Ratio hujus rei hec est. Quod finaliter causat, id amari debet atque appeti: appetitus autem objectum, bonum est, aut verum, aut apprens: nemo enim, intendens ad malum, operatur, & malum, qua malum, appeti non potest, uti habent axioma vulgata. Cum ergo malum non possit appeti, non potest exercere causalitatem finalem,*

ideoque nullum malum formaliter sumtum; qua tale, potest esse finis; quamvis mala multa, materialiter sumta, id est, res, quæ male sunt, finis rationem habere possint, non tamen, quatenus sunt male, sed quatenus habent rationem boni: ita, explere libidinem, possidere bona aliena, res sunt male, & tamen fines sunt, libidinosi & avari; sed vero res mala, non ut tales, sed ut bonæ, ab iis considerantur. Finis ergo & bonum sunt idem; id est, eadem res est finis & bonum; distinguuntur tamen formaliter, quatenus est alia definitio & ratio formalis, *Scotus* diceret, formalitas boni, alia finis.

III. Nunc secundum ac tertium simul videamus, nimirum: *Quenam conditio requiratur ut finis causet? & quenam ejus sit causalitas?* Ut hoc utrumque explicemus, observandum est, finem considerari posse dupliciter, vel ut intentum, vel ut obtentum: ut enim bonum considerari potest, vel in quantum intenditur & necrum existit, vel in quantum obtinetur & exitit, ita quoque finis considerari potest, vel in intentione, vel in executione. Finis consideratus in executione, prout jam productus est, & actu existit, effectum est, ut sanitas, in aliquo, qui ægratus fuit: & sic de eo, ut effectum est, hic non agimus, sed, in quantum causa est, eum hic consideramus; est autem causa, in quantum est in intentione: sic autem consideratus finis, in quantum est in intentione, prout intenditur à mente, duplex quasi esse habet, unum in se & à se, alterum in mente & à mente: prius esse, quod scilicet sanitatis intenta à mente, ut finis, in se habet, solent Scholastici vocare esse reale possibile,

Mm quia

quia possibile est, ut sanitas, quæ nondum actu existit, actu existat, &c., licet nondum existat, habet tamen esse reale, quia, ut rosa quæ jam non existit, habet tamen esse reale & verum, illud sc. quod definitione exprimitur, sic & sanitas: ens enim in potentia tam est ens reale, quam ens in actu, quia tam definiri potest illud, quam hoc: esse vero seu essentia nihil est aliud, quam id quod definitione exprimitur. Quodcunque ergo vere definiri potest, id habet esse reale ac verum: sanitas nondum acquisita, sed intenta adhuc seu ut finis in intentione, definiri potest: ergo sic quoque habet esse reale ac verum; possibile tamen, non actuale: at esse possibile est esse, uti ens in potentia ens quoque est. Jam vero hoc modo movet & causat causa finalis. Quod vero motio causæ finalis ab ente in potentia possit ori-ri, patet in simili exemplo defuncto à cognitione nostra: movent enim intellectum etiam ea, quæ adhuc in causis suis latent. Cur non & appetitum ea movere possint? Et hoc quidem est prius esse, quod finis in intentione consideratus habet in se & à se, sc. reale possibile. Sed deinde habet etiam finis in intentione consideratus, esse aliquod in mente & à mente, quod Scholastici vocant esse intelligibile, seu esse cognitum. Hoc esse intelligibile seu cognitum est conditio necessaria, ad exercendam causalitatem finaliem requista: sicuti ad causalitatem efficientis necessaria est passi propinquitas, seu debita approximatio agentis ad patiens, ita ad causalitatem finaliem necessarium est, ut finis ejusque bonitas cognoscatur: quia autem hæc cognitionis diversas rationes formales appetitui proponit, pro ejus varietate varie moveret appetitus; unde sequitur, hanc finis notitiam, non esse sp̄eculativam, sed practicam; imo illud ipsum est dictamen intellectus practici, à quo voluntas seu appetitus determinatur. Hoc igitur esse cognitum seu intelligibile, est conditio sine qua non, in fine ad causandum requista.

I V. Causalitas finis consitit in motione metaphorica, seu in amore, quo agens fertur in finem, ex injecto finis desiderio. Sed enim hoc paulo clarius est dicendum. Quando finis, sub ratione boni propositus agenti, desiderium sui

in illo excitat, atque ad se agentem allicit, dicitur agentem moveare metaphorice, non quia illa motio non sit vera motio aut non sit realis, sed quia non est physica: quod enim est ens in potentia, id actionem physicam edere nequit, motus enim physicus fit à movente actu existente; ideoque actio, qua movet finis, cum sit entis existentis in potentia, non potest esse physica, atque ob eam causatum dicitur metaphorica. Debet vero hæc motio metaphorica intelligi in actu secundo, i.e. ita ut voluntas actu moveatur: ex quo sequitur, quod hæc motio simul sit & causalitas finis & effectum voluntatis: neque hoc est absurdum: nam & actio & passio, licet sint unus idemque motus, diversæ tamen sunt causalitates, actio, efficientis, passio, materiæ. Néque tamen dicendum est, quod nonnulli ex Scholasticis dixerunt, iccirco finem causare secundum esse intelligibile, quasi causalitas finis in esse intelligibili consistat: minime gentium: hactenus tantum admitti debet illa propositio, quando finem dicunt, causare in esse intelligibili, quatenus res illa, quæ causalitatem finaliem exercet, eam exercere non potest, nisi accedat hæc conditio, ut cognoscatur vel apprehendatur ac potius judicetur à mente agentis. Quod vero ipsa causalitas finis non consistat in hoc esse intelligibili, seu, quod finis non sit causa in esse cognito vel intentionaliter, facile probari potest.

V. 1. Finis, qui movet, proponitur nobis, ut acquirendus. At finis, secundum esse intelligibile seu intentionale, præsens est & non proponitur acquirendus. Ergo secundum esse intelligibile non movet. 2. Finis in executione retinet esse intelligibile & tamen deficit causare; ergo causalitas finis non est ipsum ejus esse intelligibile, quia aliqui manente isto esse intelligibili, tanquam causalitate, maneret finis, tanquam causa. At manet esse intelligibile in fine in executione: finis in executione non est causa. Ergo &c. 3. Voluntas non intendit finem consequi in esse intelligibili, sed in esse reali, ergo non movet secundum esse intelligibile, sed secundum esse reale. Confirmatur hoc argumentum. Finis est tale quid, ut propter illud res seu causatum sit, & sic

& sic alliciat agens. At propter illud esse intelligibile res non est, nec ista cognitio finis allicit agens, sed vero esse reale possibile ipsius finis cogniti. Solent alii hanc rationem sic instituere. Cujus praesentia desiderium nostrum impletur, ejus absentia ad concupiscentium inotatur. Sed non adimpletur animus noster praesentia finis intentionalis. Ergo neque incitat animus absentia finis intentionalis. Ergo finis sic non movet. Exemplo rem declareremus. Medicum movet sanitas agroti, ut medicinam faciat: sed quae? non intentionalis sane, sed realis. Non prodest agroto sanitas intentionalis, id est, cognitione sanitatis, sed sanitas realis cognita, & huic restitui cupit, non alteri: haec, ut possibilis, movet eum ad remedia adhibenda, haec acquisita voluntatem satiat, non vero intentionalis sanitas aut cognitione sanitatis. Quod si aliquando alicujus objecti cognitionem appetimus sub ratione finis, veluti, cum desideramus videre Deum, cognitione tum spectatur secundum esse reale: secundum quod appetitur.

V I. Quartum restat explicandum, quodnam sit causatum finis? Resp. uno verbo, media: quatenus haec vox actiones quoque circa media complectitur. Quia vero vis causa finalis clarius dignoscitur in creatura rationali, hominem adhibebimus pro exemplo, in quo causatum finis declaremus. Notum est, in homine dum generum actiones reperiri, elicitas & imperatas: imperatae actiones mediate tantum à fine causantur, interventu nempe actionum elicitarum. Actiones elicite, vel circa finem sunt, vel circa media. Circa finem, velleitas, intentio, fructus. Circa media, consultatio, electio, imperium. Actiones circa media, fine dubio à fine causantur; omnes enim ex intentione finis proficiuntur, & in finem diriguntur. Actiones immediate circa finem occupatae, à fine quidem proficiuntur, non tamen ut à causa finali, sed ut ab ob-

jecto exercente causalitatem causæ efficientis procatarcticæ. Finis enim non causat finaliter, nisi in intentione. At velleitas intentionem etiam precedit: deinde intentione non potest esse causa sui ipsius, i. e. finis intentus non potest causare intentionem: denique, fructus versatur circa finem in executione, ita ut habeat potius rationem effecti, & finis rationem objecti, non moventis, sed terminantis. Causatum ergo finis proprie erunt media & actiones circa media.

V II. Finis causat media, nec causat solummodo, sed dat illis bonitatem, mensuram, & ordinem. Dat mediis bonitatem finis, quia nulla nobis appetuntur media, ut in se bona, aut propter se, aut ratione sui, sed bonitatem suam derivant à fine, & propter hunc expetuntur; quemadmodum, quod Rhabarbarum nobis bonum sit, & à nobis expetur, ideo est, quia conveniens nobis est, & expetur sanitas, ad quam acquirendam conducit, absque qua si foret, omnes Rhabarbarum aversaremur, nec ut bonum appeteremus: deinde finis etiam ordinem ponit mediis ac mensuram; quemadmodum Medicus non quolibet pondere, sed certa dosi ac mensura, exhibet medicamenta, & suo ordine varia pro ratione agri prescribit, ita tota illa praescriptio & exhibicio medicamentorum, ut mediorum, causatur à sanitate agro restitunda, ut fine. Unum hic notandum venit, cum dicunt Philosophi, media accipere bonitatem à fine, non esse hoc intelligendum de bonitate morali aut honestate, quasi finis, si moraliter bonus sit aut honestus, faciat media quoque esse talia, sed intelligitur sic, quod medium, ut sic, in se, per se, propter se, non sit expetibile agenti, nec ab eo ametur; sed quod ab agente habeatur pro bono, diligatur, atque expetur, inde est, quod sit utile ac conducibile ad finem asequendum, quem agens expetit.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

Voluminis Secundi,

V I G E S I M A - Q U A R T A ,

D E

## C A V S A F I N A L I

## T H E S I S I.

**C**AUSÆ Finalis in causando rationem formalem, conditionem requisitam, causalitatem, & denique causatum, exposuit disputatione precedens: hæc expoget, quenam agentia, & quomodo propter finem agant. Resp. uno verbo, omnia agentia, quæcumque tandem, agunt propter finem, sed non eodem modo. Atque hic sese jucundissima offert contemplandi materia, & multa hinc sunt, quæ in pleniorern notitiam, tum Dei, tum nostræ, nos adducant. Quare opera fuerit, paulo plenius hoc totum negotium oculos ponere.

II. § 1. Res omnes naturales agunt propter finem, aut potius aguntur ad finem, quatenus à Deo diriguntur ad finem singulis præfixum. Per res naturales intelligo res inanimatas & animatas anima vegetante, & oppono res naturales rebus animatis anima sentiente aut rationali, seu agentibus cum cognitione, aut sensuali, aut intellectiva: & sic, res naturales voco, corpora naturalia, tam simplicia, quam mixta; tam inanima, quam animata non sentientia, ut sunt plantæ. De quibus omnibus si quis dubitet, an etiam revera propter finem agant, eum remitto ad ordinem rerum pulcherrimum, & varias actionum vicissitudines, certasque leges à quibus in agendo non recedunt: agunt enim, tum res inanimatae tum plantæ, uno eodemque modo, singulæ, & proximocultate sua summo studio pugnant. Et, cum conscientiae sint sui interitus, cui singularia sunt obnoxia, in specie sua aeternitatem quandam consequi annituntur, & magis de universi quam de sui ipsius salute sollicitæ esse videntur, quia quali neverunt ex universi corruptione maius malum securum esse.

Quis vero adduci poterit, ut credat, ista omnia fortuito fieri & temere, ac non potius statuat, hæc omnia agentia vel maxime propter finem agere. Hæc ut certa sunt, ita pulcherrima de iis oritur dubitatio. Diximus enim Disp. præced. ut causalitatem finis exerceat, necessariam esse conditionem non esse intelligibile finis, seu, necessario intercedere cognitionem practicam finis. At rebus naturalibus, tum inanimatis, tum plantis, finem suum cognoscere, non est datum. Ergo non agunt propter finem. R. Verum est, in iis rebus ipsis nullam esse cognitionem finis, non tamen agunt sine prævia, imo perfectissima, cognitione finis, quæ, utcunque non proficiatur ab ipsis, proficitur tamen ab ente perfectissimo, à quo diriguntur: hæc tamen enim res naturales propter finem agunt, quatenus ad finem à Deo fibi præfixum tendunt, ex Supremi Numinis ordinatione ac directione. Et hæc est pulcherrima speculatio, qua ad Dei ipsis cognitionem ascendimus. Enimvero, cum causa naturalis (loquor de rebus inanimatis ac plantis) finem suum non cognoscat, & tamen neque frustra neque temere agat, necesse est, naturam quandam dari superiorē, quæ naturam in actionibus suis recte informet, & ad optatum finem deducat. Hæc causa nequit alia esse, quam quæ infinita virtute fit instruta, & summa sapientia prædicta. Quomodo enim aliqui tam pulcram, tam constantem rerum varietatem, adeo artificiose digessisset & constanti adhuc lege conservaret. Fateri cogimur, quod sapientissimi artificis manus hæc omnia formaverit, atque etiamnum ad fines à se præstitutos res naturales cognitionis expertes.

expertes ducat ac dirigat: Ita Dei providentia, ex hac de fine Philosophia, innoscit. Quisquis ita Philosophatur, ut Deum, Deique Attributa, proprietates, & operationes, ex Philosophia, quantum fieri potest lumine naturae, cognoscat, is demum vere ac sobrie Philosophatur, & ex Philosophia animi veram voluntatem capit; nam Dei cognitio nostra est perfectio: A quo fine quam longe abeat Philosophandi consuetudo, in vanis tantum & infrugiferis ac barbaris questionibus constituta, boni, & qui veritatem vere amant ac sectantur, omnes vident & & deplorent. Sed querelæ isti non est nunc locus. *A rebus naturalibus & plantis*, quæ propter finem agunt ex prævia cognitione & directio-*nē* Dei, *transfuso ad ea agentia*, quæ agunt ex propria cognitione finis; atque hic primum occurrit *Bruta*.

III. §. 2. *Bruta* propter finem agunt perfectius, quam res naturales, quia ipsa finem cognoscunt, id est, cognoscunt rem istam, quæ est finis, cognoscunt hoc bonum quod est finis, non tamen cognoscunt finem quatenus est finis; qui modus agendi propter finem foli agenti rationali convenit. *Bruta* ergo animantia adhuc imperfete agunt propter finem, ac perfectam causalitatem agendi propter finem causæ etiam debent primæ, quæ concurrit cum fine ad ejus causalitatem exercendam, & à qua diriguntur non minus quam res naturales inanimatae & plantæ: cognoscunt *Bruta* bonitatem quidem objecti, sed non cognoscunt rationem finis: finis autem causalitas, & propria ejus motio, hoc exigit, ut bonitas mediorum cum fine conferatur, & ut ope discursus media ad finem referantur: hoc autem in *Bruta* animantia, quia ratione carent, non cadit: ideoque motio & causalitas finis in iis quodammodo imperfeta est, & à prima causa perficitur: hinc est, quod *Bruta* animantia ad unum eundemque finem, eodem modo, naturali instinctu, tendant, nec cum deliberatione aliqua agant, sed quodam naturæ impetu, quem iis indidit *Supremum Numen*, in appetendo fine gubernentur ac dirigantur.

IV. §. 3. *Creatura rationalis sola à fine per-*  
*fette moveretur, quia ratione est prædita, & per-*

*hanc intelligit bonitatem finis, non simpliciter, sed*  
*novit insuper discernere inter bonitatem finis ac*  
*mediorum, & dijudicare habitudinem mediorum*  
*ad finem. Soli homini datum est, de mediis*  
*deliberare, &, si una via res non processerit,*  
*alia ratione ad finem pervenire, juxta Teren-*  
*tianum illud, hac non processit, alia aggredie-*  
*mur via: & hoc maxime facit ad nostri noti-*  
*tiām (quæ præter notitiā Dei est altera pars*  
*felicitatis humanae in hac vita) ut recte per-*  
*pendamus, quantum nobis concesserit naturæ*  
*author Deus, præ Brutis & rebus inanimatis*  
*ac plantis, qui finem cognoscimus & nobis*  
*propinquim, & media ad finem ipsi dirigi-*  
*mus, postquam deliberavimus & decrevimus,*  
*quānam media ad finem obtainendum maxi-*  
*me conducant. Scholastici barbaris suis termini-*  
*nis hoc totum negotium sic solent efferre. Res*  
*inanimis & plantæ agunt propter finem vir-*  
*tualliter, id est, in virtute Dei dirigentis, *Bruta*:*  
*materialiter, i.e. agunt propter rem à se cogni-*  
*tā, quæ est finis, Homines formaliter, i.e. agunt*  
*propter rem cognitam à se, non tantum, quæ*  
*est finis, sed & cognitam, quæ est finis.*

V. §. 4. *Inter Creaturas omnium perfectissi-*  
*me propter finem agunt Angeli, quia omnium*  
*perfectissime cognoscunt finem: Neque hoc ulte-*  
*riori explicacione eget, quia fatis est notum.*

V I. §. 5. *Deus, uti infinitis parsangis supe-*  
*rior est omnibus creaturis, ita modo eminentissimo*  
*agit propter finem, non qui extra sè sit, uti agunt*  
*proper finem creaturæ, sed qui ipse sit sibi. Sed*  
*hoc negotium explicari meretur. Duum ge-*  
*nerum actiones sunt considerandæ in Deo;*  
*immanentes & transeuntes. Actiones imma-*  
*nentes Dei non sunt ullo modo propter finem,*  
*quia sunt ipsa essentia divina: quatenus autem*  
*actiones Dei immanentes libere tendunt in*  
*creaturas, nullam quoque habent entitatem*  
*distinctam ab essentia divina, ac proinde, nec*  
*ab efficiente, nec à fine causantur. Cum er-*  
*go Deus dicitur amare creature propter se*  
*ipsum, non est hoc sic intelligendum, quasi*  
*Deus amore sui ipsius moveretur ad amorem*  
*creaturarum, sed quod amor sui ipsius fit ratio*  
*amandi creaturas. Quod attinet operatio-*  
*nes transeuntes Dei, illæ à fine recte causari*  
*dicuntur; atque hoc sensu recte dicitur.*

Deus fecisse omnia propter se met ipsum: nam cum actiones hæc externæ ponant distinctam aliquam entitatem in creaturis, diversam ab essentia divina, necesse est, ut efficientem causam habeant, proinde & finem.

VII. Quærat hic aliquis. *An Deus moveatur à fine?* R. Non est hoc de ratione finis in genere, ut moveat efficientem, sed hoc tantum est de ratione finis creaturarum, qua se non possunt ad agendum applicare nisi per realem motionem, & mutationem, & causaltatem, proprie dictam: Deus autem, qui sine ulla sui mutatione, fine dependentia aut causalitate, modo quodam eminentissimo ac perfectissimo, ad agendum se applicat, agere potest propter finem, et si ipse à fine non movatur. Causalitas ergo finis in Deo respectu actionum & effectuum ad extra, ut loquuntur, consitit in eo, quod amore suæ bonitatis effectum producat extra se. Et hoc sensu capiendum est hoc; Deus omnia fecit propter se: Nam Deus omnia fecit propter aliquid: atqui extra Deum nihil erat, nisi ipse: fecit ergo omnia propter se, non quod istis, quæ fecit, indigeret, (sic enim propriæ moveretur à fine instar hominum) sed ut rebus istis, quas fecit, suam bonitatem impertiret: quod Scholastici enunciarunt hoc modo. Deus omnia fecit propter finem, non indigentia, sed affimulationis, qui est, quo agit quis, non ut sibi commodum querat, sed ut bene alii faciat, quæ sunt extra se, rebus. Ita Deus nihil sibi querit ex eo, si quid faciat: quid enim ipsi accedere possit, qui est perfectissimus? sed, si quid facit, id facit, ut bene faciendo cognoscatur, non gratia sui; nam si Deus cognoscatur, siue non agnoscatur à nobis, nihil inde commodi ad eum reddit, sed ut agnoscatur gratia nostri & bono nostro.

VIII. Receptum est & maximi usus Axioma de fine. *Finis, quo posterior est in executione, eo prior est in intentione, & contra.* Ratio axiomatis est, quia se habent plane contrario ordine rerum intentio & executio: nam intentio oritur à maxima perfectione, & executio in maximam perfectionem definit: maximam perfectionem appello, tantam, quanta ab efficiente causa obtineri potest, & consen-

taneum est, ut obtineatur. Huic axiomati affine est istud. *Finis est prior in intentione quam media.* Ratio est, quia media sunt propter finem & non finis propter media: unde quoque sequitur, decretum de fine prius esse decreto de mediis. Qui hæc duo axiomata bene intellexerit, non facile errabit in explicanda Prædestinatione, neque eam fidei aut operibus prævisis adscribet; quia enim salus & vita æterna est posterior in executione, quam fides & bona opera, debuit illa esse prior in intentione. *Quotiescumque ergo queritur, Vtrum Deus ex eo nos elegerit ad vitam æternam, quia credituri eramus & in fide perseveraturi, an vero ex eo, quia nos elegit ad vitam æternam, elegerit nos quoque ad fidem & perseverantium in fide?* facile videt unusquisque, quid sit respondendum; scil. posterior dicendum est, & non prius. Ratio est ex hoc axiome, quia finis prior est in intentione quam media, & finem prius volumus quam media, quia propter finem media volumus. At vero vita & æterna & salutis consequenda sunt media, fides & perseverantia in fide: ergo prius vult & decernit Deus vitam & salutem æternam, ut finem, cum eligit, ac tum vult & decernit fidem & perseverantiam in ea conferre, ut media; prout nos homines, secundum varia instantia rationis, ordinem Decretorum divinorum dixerimus.

IX. Objiciunt Adversarii adversus axiomata posita. *Vti quid Deus facit in tempore, ita ab æterno decrevit.* *Atque vitam dat æternam in tempore, nec dat, nisi prius credant.* Ergo ita decrevit, sc. prius dare fidem & tum dare vitam æternam. Resp. 1. in genere, esse ignorantem elenchi: neque enim hæc quæstio est. Utrum Deus decreverit credentibus (de adultis loquimur) vitam æternam conferre: sed hoc est in quæstione, Anne Deus propterea voluerit vitam æternam ac decreverit, quia credituri eramus, an vero voluerit nos credere & fidem decreverit, quia vitam æternam datus erat. Nos posterius asserimus; Adversarii prius. 2. In specie, ad majorem. Verba ista, *Vti Deus ab æterno decrevit facere, ita in tempore facit, vel contra, duplē sensum admittere possunt; vel hunc, quo ordine Deus decrevit*

res ab æterno, eo etiam ordine facit in tempore, vel hunc, quas ab æterno res decrevit facere & quales, has facit in tempore & tales; ita ut prior sensus accipiatur de ordine quo Deus vult & decernit quædam ab æterno; posterior sensus accipiatur de natura rerum volitarum & decretarum, de earum qualitatibus & circumstantiis: prior sensus admitti non potest, quia sic Deus prius finem exequeretur, & postea media; prius enim decernit finem quam media: at hoc ne in homines quidem cadit, nedum in sapientissimum Deum. non enim homines, quod prius decernunt, prius executioni mandant. Décerno Amicum invisere, qui est Hagæ, tum decerno media, quibus hunc finem obtinere valeam, currum confondere aut navem &c. sed non, ut prius decerno Amicum invisere, post currum confondere aut navem, ita ago aut exequor; nec enim prius Amicum inviso, & tum currum aut navem confendo, sed contra; quod in decernendo postremum est

ordine mihi, primum est in executione, & quod in decernendo est primum, est postremum in exequendo: prius decerno Amicum invisere, postremum inviso: posterius decerno currum confondere aut navem, prius hoc facio. Ergo hic sensus, Quo ordine res Deus decrevit ab æterno, eo in tempore exequitur, est falsus. Deus prius ordine decernit finem, & postremo obtinet; post decretum finem decernit media, & ea primo adhibet: sic primum decernit vitam æternam ut finem quibusdam, tum decernit media, fidem & perseverantiam in ea, &c. haec media primo adhibet in executione, & vitam eternam postremo confert. Sensus posterior Majoris nihil ad rem facit, quia quas res decrevit ab æterno & quales decrevit facere, eas & tales in tempore facit: nihil enim est verius: ita decrevit dare quibusdam fidem & perseverantiam in ea, ut medium vitæ æternæ obtainendæ, & sic quoque facit & dat in tempore. Sed Meditatum de Fine hic esto Finis.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

V I G E S I M A - Q U I N T A ,

D E

## SVBJECTO ET ADVNCTO.

T H E S I S I .

**T**Itulus hujus disputationis duo proponit ventilanda, *Subjectum* & *Adjunctum*: cum enim sint relata, ut totum & pars, causa & causatum, atque omnia argumenta topica, & per se mutuo definiuntur, & simul tractari solent, ac debent. *Subjectum* est, cui aliquid preter aut extra essentiam adjungitur. *Adjunctum* est, quod alicui præter aut extra essentiam adjungitur. *Subjectum* multis modis dicitur in Philosophia. Est *subjectum* quoddam *pædicationis*, quod alii vocant *denominationis*, seu *intrinsecæ*, seu *extrinsecæ*: est quoddam *inceptionis*, quod alii vocant *recipiens in se*: & aliud

*adceptionis*, quod nonnulli vocant *recipiens ad se*: est & *occupationis*, quod alii vocant *subjectum occupans*, alii *objectionum*, quod tamen alii contra *adjunctum* vocant: invenias & *subjectum informationis*, *considerationis*, *operationis*, in artibus & prudentiis, & *adæquationis* ac *perfectionis*, in scientiis; atque in iisdem, *subjectum materiale* & *formale*. Et quis omnes *subjecti* acceptiones recenseat Scholasticis usitatas? Filo opus foret Ariades, ut quis ex hoc Labyrintho sese expediatur. Nos sic procedimus.

II. *Subjectum*; vel est *affectio thematis simplicis*,

plicis, & tum dicit relationem ad adjunctum, vel est affectio thematis complexi, & tum dicit relationem ad praedicatum. P. Ramo prius subjectum vocatur *Topicum*, posterius *Axiomaticum*. Prius est, vel *inhesionis*, vel *adhesionis*, vel *occupationis*, prout *adjuncta*, vel *inherentia*, vel *adherentia*, vel *occupant subjectum*: posteriorius dicitur vulgo *prædicationis* vel *denominationis*. Et ad hanc claves omnes aliae subjecti nomenclatura possunt referri. Prius est anguitius posteriori, & posterius est latius priori. Multa sunt *subjecta praedicati*, quæ non sunt *subjecta adjuncti*, quamvis omnia *subjecta adjuncta* sint *subjecta praedicati*: nam modus praedicandi sequitur modum essendi. Quæcunque enim predicanter de aliquo negare, ut, homo non est *planta*, vel *falso*, ut liber est *lapis*, vel *essentialiter*, ut *brutum est animal*, in iis quidem reperire est *subjectum praedicati*, sed non item *subjectum adjuncti*: quod tum reperitur, quando aliquid predicatur de alio, *affirmate, vere, praeter aut extra essentialiam ejus*, de quo dicitur, &c, ut Scheiblerus loquitur, *extra essentialiter*; & sub illis conditionibus tantum idem sunt *subjectum topicum & axiomaticum*; extra hos casus, *subjectum* quidem dabitur *axiomaticum*, sed non item *topicum*. Nihil autem refert, si ve de *subjecto topico* aliiquid predicetur *prædicatione externa, sive interna, sive absoluta, sive limitata*, modo predicetur *prædicatione accidentalis*, & non *essentialis, vera & non falsa, affirmata & non negata*.

III. *Subjectum & Adjunctum* iisdem dividuntur modis, quia relatum sunt & correlatum: Utrumque ergo dividi potest in *absolutum & limitatum, internum & externum*. *Subjectum absolutum* dicitur, cui adjunctum convenit simpliciter & absque restrictione. *Limitatum*, cui adjunctum convenit quadammodo, i. e. secundum certam naturam, partem, circumstantiam loci aut temporis, aut certo respectu. Notandum hic est, *numquam adjunctum limitatum enunciandum esse absolute de subjecto*, nec *absolutum limitatum*: quod si fiat, enunciatio, aut *falsa* est, & committitur sophisma *Aristotelis*, à dicto simpliciter ad dictum secundum quid, vel vice versa, aut est *Synechdochica: falsa* erit, ut si dixerim simpliciter, *Ethiops est albus*, quia id

tantum verum est secundum quid, puta dentes: *Synechdochica*, ut in loco communis de Persona Christi, & in Scripturis Sacris, cum Christus dicitur natus ex Maria Virgine: ubi rō nasci ex Maria Virgine, quod convenit Christo secundum naturam humanam tantum, enunciatur de ipso absolute, non tamen falso, quia sacra pagina falsitatis est expers, sed licet vere, attamen *improprie, figurate, tropice, synechdochice*, per *synechdocham partis*, quæ, quod convenit parti, enunciatur de toto, secundum istam tamen partem intellectum. Hanc *synechdochicam adjunctam de subjecto absolute* enunciationem, in negotio personalis unionis durarum naturarum in Christo, Theologi vocant *κοινωνίαν ιδεομάτων*, communicationem idiomatum, quando attributa unius naturæ in Christo propria in enunciatione tribuantur toti personæ *γενηθλίων*, idque vel absolute, vel ab altera natura denominatae: *absolute*, ut cum dicitur, Christus est mortuus: *ubiquitas* est *adjunctum Christi limitatum* (modo hic adjuncta vocem tutto usurpare licet: sed ita loqui solent Theologi in locis communibus) item & mors: illud, *divina naturæ*, hoc, *humana*, est attributum; predicanter tamen de Christo *absolute*: at cum Deus dicitur in sacris monumentis Ecclesiam redemit suu sanguine, aut Dominus gloria crucifixus, non taptum *adjunctum naturæ humanae* tribuitur Christo, ut *subjecto absolute*, sed insuper, ut *denominatur à natura altera*, scil. *divina*: neque enim dicitur in textu *simpliciter, Christus est crucifixus, aut Ecclesiam redemit suu sanguine*, sed Dominus gloria est crucifixus, &, Deus ecclesiam redemit suu sanguine: quod utrumque Christo convenit secundum naturam humanam tantum, quæ sola sanguine est prædicta & crucifigi potest, & tamen utrumque per *synechdocham* tribuitur toti Christo, etiam ut ab altera natura denominatur, sed, quod notandum est accurate, *in concreto, non in abstracto*. Neque enim dicitur, Deitas Ecclesiam redemit suu sanguine, aut *divina natura, quæ est domina glorie, est crucifixus*: neque enim, quæ de Christo dicuntur, ut toto, & in concreto, possunt enunciari de singulis ejus partibus aut naturis, & in abstracto: ideoque, quamvis liceat dicere, *Christus homo est ubique*,

*ubique, non tamen licet dicere, Christi huma-*  
*nitas est ubique: sic verum est, Christus Deus*  
*est passus, crucifixus, mortuus, sanguinem effu-*  
*dit, non est verum, Deitas est passa, mortua,*  
*crucifixus, sanguinem effudit, neque hæc commu-*  
*nicatio idiomatum est realis in Christo, sed ver-*  
*balis tantum, quia non potest proprium na-*  
*ture divinae in humanam, aut humanæ in*  
*divinam transfundi, ut in subjectum; sic enim*  
*propria quarto modo communicarentur sub-*  
*jectis specie diversis; quod monstrum jam*  
*ante multis debellavimus Disp. scđ. vol. disp. 4.*  
*Atque hæc omnia accurate lunt tenenda con-*  
*tra Ubiquititas.*

I V. *Subjectum internum est, cui adjunctum*  
*inhæret. Externum est, cui adhæret, adjacet,*  
*circumstat, seu ad quod ordinatur illud. Hinc*  
*oritur duplex denominatio, intrinseca, cum ad-*  
*junctum internum, extrinseca, cum externum*  
*de subiecto dicitur. Non debent hic temere*  
*confundi, subjectum & substantia, adjunctum &*  
*accidens, quasi illa pari passu ambulent: nam*  
*& dantur accidentia, que sint subiecta alio-*  
*rūm accidentium, & quidem inhæsionis, &*  
*dantur substantiae, quæ sint adjuncta aliarum*  
*substantiarum: superficies in pariete est sub-*  
*jectum alboris, & intellectus ac voluntas sunt*  
*subiecta habituum: formæ substanciales sunt*  
*adjuncta materiæ, arma adjunctum militis.*  
*Adjunctum externum, est, vel objectum, vel si-*  
*gnum, vel circumstantia.*

V. *Objectum est, circa quod res, i. e. subje-*  
*cum operando versatur. Raro, Scheiblero,*  
*aliis, non adjuncti, sed ipsius subjecti species*  
*est, & vocatur subjectum occupans. Sed in hoc*  
*negotio parum est situm, modo objecti natura*  
*bene intelligatur. Objectum proprio competit*  
*actionibus circa se occupatis; nam in ordine*  
*ad illas definitur: substantia, potentiis, habi-*  
*tibus, non tribuitur, nisi per & propter actiones.*  
*Objectum aliud est terminativum tantum,*  
*aliud, terminativum & motivum simul. Ter-*  
*minativum tantum, in quo sicutur solum actio*  
*agentis, uti charta, scriptoris, tabula, pictoris,*  
*est objectum: hoc sensu, actionibus divinis*  
*tribuitur objectum, creationi & conserva-*  
*tioni hoc universum, cooperationi actiones*  
*creaturarum: absit, ut unquam Deo agenti*

tribuamus objectum motivum, quod non tan-  
tum terminat actionem agentis, sed agentem  
movet ad agendum: ac Deus à nullo movetur  
extra se: atqui objectum, tam motivum, quam  
terminativum, est extra agens. Objectum ter-  
minativum tantum, est species adjuncti exter-  
ni: motivum simul, si moveat potentiam co-  
gnoscentem vel intellectum, vel sensum, ut,  
cum dicimus, objecta movent sensus, habet  
rationem cause Procaracticas; si moveat po-  
tentiam appetentem, sensitivam aut rationa-  
lem, habet rationem cause finalis, vel subor-  
dinatae, vel ultimæ. Objecti divisiones, in ma-  
teriale & formale totale seu adæquatum, &  
partiale seu inadæquatum, per se & per aliud,  
simile vel alias, impræsentiarum omittimus,  
quia, & facile intelliguntur, & apud Scheible-  
rum, Keckermannum, Alstedium, Burgersdi-  
cium, aliosque videri possunt.

V I. *Signum est, quod seipsum sensui ex-*  
*tero, & id, cuius signum est, vel phantasiz,*  
*uti in brutis, vel intellectui, ut in homine,*  
*offert. In signo omni itaque tres sunt respe-  
ctus, 1. ad rem significatam tanquam adjuncti*  
*ad subjectum, 2. ad sensum externum, qui-*  
*cumque sit, quia in aliquem debet incurare,*  
*3. ad Phantasiam aut Intellectum, quia alter-  
*utri debet repræsentare aliquid, quod in sensu*  
*externo non incurrat, vel quod absit, vel*  
*quod sit occultum. Neque haec tres  $\chi\omega\sigma\tau\alpha$  te-  
merare debent confundi.**

V II. *Quæri hic solet, An signatum de si-*  
*gno enunciari possit in casu recto? Resp. Non*  
*posse prædicatione propria alterum de altero*  
*affirmari, quia sunt relata (an prædicamenta-*  
*lia, an transcendentalia, nihil refert) at relata*  
*sunt oppositi, quæ de se invicem in casu re-  
cto prædicari nequeunt, uti nec de eodem*  
*tertio singulari: quemadmodum non licet di-  
cere, Pater est Filius, respectu scil. ejusdem,*  
*ita non licet dicere, hedera suspensa est vinum,*  
*aut iris est diluvium; improbia tamen & figu-*  
*rita loquitione per metonymiam adjuncti*  
*seu signi, potest signatum dici de signo, quod*  
*licet nonnulli negent, admittere tamen co-*  
*guntur, velint nolint, convicti autoritate*  
*& vi sacrarum litterarum, ubi Gen. 40.. Tres*  
*propagines sunt tres dies. 41. Septem boves &*  
*Septem*

*septem spicæ sunt septem anni & alibi, Petra erat Christus, & in institutione Sacra Coenæ, hoc, i. e. hic panis, est corpus meum, & circa alterum N. T. Sacramentum, Baptismus est ablutione peccatorum, & passim extant enunciaciones, in quibus signatum de signo enunciatur in casu recto: quæ tamen enunciations falsæ dici nequeunt aut pro falsis haberi, nisi quis falsitatis arguat verbum Dei, nec tamen propriæ sunt; nam spicæ aut boves non erant anni, Petra non erat Christus ipse, nec panis, quem Apostolis distribuebat, erat ipsum corpus Christi, quo accumbebat mensæ, &c. Fatoe hoc axioma ab omnibus receptum esse & pro verissimo haberi, Nulla opposita, consequenter, nec relata, possunt de se invicem affirmari in casu recto, ita nec disparata, attamen video extare tales enunciations in sacris litteris. De relatorum mutua emunciatione in casu recto, exempla protulimus: de disparatis extat Joh. 1. 14. Verbum caro factum est, Deus est homo; quæ quidem vulgo habentur pro disparatis: rectene an secus, nunc non disputo. Quicquid fit. Alterutrum hic cedat, oportet, aut axioma in Philosophia receptum, aut verbum Dei. Utrum rejicietur, ut falsum?*

Canon Logicus aut Metaphysicus, ab hominibus errori obnoxii proculus, an Sacra Pagina, à Deo fallere & falli nescio profecta. Ego sane malim, cuicunque demum axiomi Philosophico fidem detrahere, quam vel tantillum derogare veritati sacrarum litterarum. Quid? quod is sit genius linguae Ebrææ, ut alio modo loqui nequeat, cum signatum prædictabit de signo; nam non habet verbum, quod respondeat Græco οὐκαίνι, aut Latino significare. sed cum dicturi essent Ebræi, ista imago significat, οὐκαίνι, principem, dicentes, ista imago est princeps, qui modus loquendi & nobis Belgis est usitatislimus, quibus tamen vocabulum Belgicum, beteekkenen, suppetit.

VIII. *Divisionses signi, in naturale & arbitrarium, formale & instrumentale, notificans, menorans, & certificans, &c, si quæ sint aliæ, consulto omittimus, quia facile intelliguntur, & in Logicis ac Metaphysicis, Keckermannii, Alfredii, Scheibleri, Burgerjdicti, libellis extant, atque etiam in aliis.*

IX. *Circumstantia est, quicquid, præter objectum & signum, rei, i. e. subjecto, adacet, circumstat, appensum vel appositum est ullo modo; atque latissime sese extendit.*

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

*Voluminis Secundi,*

**V I G E S I M A - S E X T A ,**

*D E*

## S V B J E C T O E T A D I V N C T O .

### T H E S I S I .

**S**ubjecti & adjuncti naturam exposuit dis- putatio preced. hæc usum horum terminorum in variis ostendet questionibus, iisque gravissimis. §. 1. Quæri potest. An Deus possit dici subiectum suorum attributorum, v. c. omniscientie, omnipotencie, &c. ut hæc dicantur ad juncta? Quam questionem obiter tetigimus tb. 3. disp. preced. Affirmat Scheiblerus cum multis aliis, & est phrasis recepta Philosophis ac

Theologis. Verum enimvero, si definitio subiecti & adjuncti obtineat, quæ poni solet, & à nobis posita est & exposita, disp. preced. imprudenter, ne dicam, falso, quicunque, & quarumcunque etiam sint partium, seu Philoſophi, seu Theologi, sic loquuntur. Adjunctum præter essentiam ad subiectum accedit. Sed omnisciencia, omnipotentia, &c. præter essentiam ad Deum non accidunt. Quare errandi ansam præbere

præbere queant hæc notiones Logicæ & termini Metaphysici, cum Sanctissimo Enti, Deo, tribuuntur, nisi primum purifcentur. *Quasi subjectum & quasi adjunctum* dici hic malim, ad morem *Iurisconsultorum*, qui loquuntur de *Contractu & quasi-contractu*. Quid vere & proprie est *adjunctum*, id est, extra rationem & essentiam *subjecti*: secus est in iis, quæ explicantur per modum *adjuncti*, ac si essent *adjuncta*, quæ possunt esse idem cum *subjecto* essentialiter: ita exemplum habemus in ente, cuius *quasi-adjuncta* sunt, *unitas, veritas, bonitas*, non tamen vere & proprie *adjuncta*, quia non sunt extra essentiam entis; quia tamen de ente prædicantur, ut attributa quoque divina de Deo, possunt utrobique *quasi-adjuncta* dici: & certe, quando dico; Deus est omniscius, est omnipotens; Ens est unum, verum, bonum; Dispositio terminorum seu utriusque extremi Logica proxime accedit ad dispositionem *subjecti & adjuncti*; non tamen dicendum est, voces istas proprie Deo convenire. Nam hoc in errorem abduxit *Vorstium*, qui hinc in Deo finxit compositionem ex *subjecto & adjuncto*, seu ex substantia & accidente, quæ impia est & simplicitati divina repugnat: ista enim *quasi-adjuncta* seu attributa Dei, sunt idem realiter cum Deo, ut affectiones entis sunt idem realiter cum ente.

II. §. 2. Quæri hic potest. *An natura humana Christi facta in ipso possit dici adjunctum & λόγος seu natura divina?* Negat hoc strenue Scheiblerus, & flagellat eam ob causam vehementer affirmantes Calvinianos, Gothenium, Keckermannum, &c. qui misere ipsi vapulunt. Sed nulla causa est, cur ita sæviat hic homo in *Philosophos* illos. Videamus, an non primas partes in ipso teneant, odium, invidia & calumniandi libido? *Adjunctum* est extra essentiam ejus, cuius *adjunctum* dicitur, seu *subjecti sui*. Quare ergo non poslit dici natura in Christo humana *adjunctum & λόγος* seu divina natura, cum extra essentiam ejus sit, si scil. spectet simpliciter ante incarnationem. Distinguere debuerat Scheiblerus inter λόγον ἀπλόν & σύνθετον: λόγος simpliciter spectatus, si conferatur cum natura humana, nihil obstat videtur, quominus,

ipse *subjectum*, hæc *Adjunctum*, dici possit, vobis illis Metaphysice seu transcendentaliter aut etiam Logice acceptis: sed λόγος incarnatus, θεός & humana natura, non respiciunt se proprie ut *subjectum & adjunctum*, sed magis ut totum mysticum & pars. Ergo sic velim dici. Humana natura in Christo est pars λόγου αὐτοῦ, est *adjunctum & λόγος* simpliciter considerati; quemadmodum, ut crassiore exemplo hoc illustrem, furculus est *adjunctum* stirpis & pars arboris. Quid Scheiblerus clamitat, λόγον nullatenus *subjectum* dici debere natura humana, aut naturam humana *adjunctum* τῷ λόγῳ, quia caro Christi assumta sit in ipsam ψωστὸν τῷ λόγῳ, ista ratio non concludit: nam manet tamen extra essentiam τῷ λόγῳ simpliciter considerati; ita ut nec eam constitutat, nec aliquam causalitatem ad eam constituendam conferat: aliud est, recipi in personalitatem & subsistentiam alius, aliud est, venire in communionem essentie alicujus: hæc distinguere debuerat Scheiblerus, qui in aliis tricis distinguendis sœpe nimium est accuratus: Hoc decepit eum, quod ad discrimen istarum phrasum non attenderit. Tō venire in communionem essentie alicujus, quando negatur de adjuncto respectu *subjecti*, hoc significatur, adjunctum ad essentiam *subjecti* essentiale conititutionem nihil seu nullam causalitatem conferre. Sed Scheiblerum cum Scheiblero committamus, & ipsum ex seipso refutemus.

III. In *Topicis Logicis* cap. 7. numero marginali 2. docet Scheiblerus, non adjungi, seu *adjunctum* esse, complecti hæc duo. 1. eis posterius. 2. aliud se prius, extra-essentialiter afficere vel denominare. In *Metaphys. lib. I. cap. 23. n. marg. 8.* dicit, illa omnia esse *adjuncta*, quæ essentiam rei consequuntur vel eidem superveniunt. Sed rogo Scheiblerum, An non natura humana est posterius quid τῷ λόγῳ persona ac natura divina? An non extra-essentialiter (ut ipsius termino utar) τῷ λόγῳ, personam ac naturam divinam, afficit & denominat? nam non constituit essentialiter eam, nec aliquid confert ad essentiale illius constitutionem. An non consequitur, τῷ λόγῳ, personam & naturam Christi divi-

nam eique supervenit? Cur ergo non datur adjunctum. Imo vero dicatur, vel invito Scheiblero, & ringentibus vel omnibus Luthеранis, ex propria Scheibleria descriptio allata: præterea in *Log. cap. cit. n. 39.* in *Metaph. cap. cit. n. 25.* dicuntur attributa divina Scheiblero adjuncta quæ tamen certum est, participare divinam essentiam, cum ab ea non distinguantur: cur non licebit, naturam humana in Christo dicere adjunctum divinæ, cum essentiam divinam sic non partecipet, ut attributa, nec sit eadem realiter cum illa, ut quidem sunt attributa. Hæc solvat Scheiblerus, antequam ita duriter excipiat misellos Calvinianos. Dicimus ergo contra illum, quod natura humana seu caro supervenerit vel adjuncta sit τὸ λόγος, per se & in se essentialiter & perfecte completo: λόγος recepit carnem & naturam humanam in suam τροστὴν, & ratione hujus assumtionis potest dici caro particeps facta Deitatis, quatenus venit in consortium naturæ divinae: & sic ἡ λόγος εἶδε τὸν θεόν, sed nō potest inde concludi à Scheiblero, quod sic venerit caro, in essentiæ τὸ λόγος participationem, ut adjunctum ejus diei non debeat: nam, profecto, non est caro de constitutione τὸ λόγος essentia, utcunque substantia τὸ λόγος per unionem personalem sit facta particeps, & cum λόγος seu persona divina unum constitutus est φιστήθει, suppositum seu personam. Quicquid autem rei in essentia perfectæ adjungitur, id omnino adjunctum dici potest ac debet. Ergo, &c.

**I. Objicit Scheiblerus 1.** Si humanitas aut natura humana est adjunctum τὸ λόγος, λόγος non posset dici homo, sed humanus, non in abstracto, sed in concreto, non cōvōri pōs, sed μαρτυρόμενος, non substantivus, sed adiectivus; scilicet dicitur, homo est sciens, non scientia, est vestitus, non vestis. Resp. Enunciationem illam, λόγος est homo, esse quidem in abstracto, synonymicam, atque substantivam, quoad sōnum, sed esse in concreto, paronymicam, atque adiectivam, quoad sēnum: effertur sane, si terminos species, substantivum de substantivo, & ut videtur, in abstracto; sed si attendatur ratio prædicationis & enunciatio resolvatur, ut sēnus appearat, patet, esse dicendum,

quod prædicatio fiat revera, in concreto & quasi per adiectivum & παρωνύμιον, non παρανύμιον. Inter synonymicam & paronymicam enunciationem medium dari nequit, eo quod opposita sint contradictione, ut essentiale, & non essentiale; vel, termino Scheibleriano, extra essentiale. Analy sis seu resolutio hujus enunciationis, λόγος est homo, non potest esse alia, quam hæc, λόγος est personaliter idem, quod homo: ratio est, quia fundamentum enunciationis, quo nititur connexio subjecti & prædicati, est personæ identitas, non vero naturarum, divinæ & humanae, essentialis unitas: nam, λόγος est homo, non significat, natura divina est humana, sed persona divina est homo: Unde liquet, prædicationem fieri, non in abstracto, sed in concreto; in abstracto enim dicendum esset, natura humana, pro homo, &, λόγος est homo, haberet hunc sensum, natura divina aut persona divina, est natura humana, quasi essentialis foret unitas natura humana cum persona aut natura divina, quo nihil est absurdius. At vero cum hic est sensus, λόγος est homo, id est, λόγος est personaliter idem qui est homo, verus est & concretus sensus, qui nititur identitate personæ, in cuius hypothesim assumta est natura humana. Sed Scheiblerum iterum secum committamus. Attributa divina vere sunt Dei adjuncta Scheiblero, quamvis impie, & tamen in abstracto prædicantur de Deo, ut cum dico, Deus est veritas. Ergo aliqua adjuncta possunt in abstracto prædicari de subjectis. Quidni & natura humana, seu humanitas, quæ abstracta sunt, aut homo, si illud abstractum sit, uti non est. Quin, ne in exemplo quidem allato ego dicere, revera in abstracto fieri, prædicationem, sed videri tantum, & quoad sōnum esse, non quoad sēnum: nam fit revera in concreto, quod præter habitudinem extremonum docet analysi, hæc sc. Deus est realiter idem quod veritas.

**V. Objicit 2. Scheiblerus.** Si humanitas est adjunctum τὸ λόγος, vel in hæret, vel adhæret ei. Non in hæret, quia hoc tantum est accidens: non adhæret, instar vestis, armorum, aut rei similis, quæ adhæret homini: nam in his est παρανύμιον vel παρωνύμιον, non παρηχώμιον, quæ tamen est in λόγος, ratione naturæ humanae. Tertia vero species

*species præter adjunctum inhærens nulla datur.* R. ex ipso Scheiblero, non omne adjunctum importare inhærentiam internam aut adhærentiam externam; edocent & evincunt hoc, attributa Dei & Entis, quæ neque accidentia sunt aut inhærent, neque Deo aut Enti adhærent, & tamen Scheiblero sunt adjuncta. Hunc nodum solvat non fecet aut frangat Scheiblerus. Quid? quod forma adjunctum sit materia, quæ ideo dicitur subjectum formarum; forma enim est extra materię essentia tam; ei-que supervenit, licet non sit extra essentiam compositi, cui quidem est essentialis, non item materię: at forma non est accidens materię inhærens (loquimur de forma substantiali) neque extrinsecus materię adhæret secundum aut *ταπάσιν* aut *μωρόποιον*, sed materię potius intrinsece perficit, eique unitur secundum *τελεόποιον*, non quod dicere velim, naturam humanam esse formam τὸ λόγον, sed ista instantia tantum volui ostensum, majorem Scheibleri non esse universaliter veram. Et, quid si modus, quo natura humana adjungitur τὸ λόγον, nos lateat,anne ideo adjungi aut adjunctum esse eam negabimus? Quod adjunctum sit, jam ostendi, quia preter essentiam τὸ λόγον simpliciter considerato supervenit. quomodo adjungatur ei, ignoro: licet per analogiam dici magis posset adjunctum internum quam externum, non instar accidentis, quomodo accidens inhæret subjecto, quod male infert Scheiblerus, sed instar materię, quomodo forma inhæret materię: non quod hic similitudo sit æqualis, sed quia proxime huc accedere videtur, nam verba hic deficiunt; quin & deficit intellectus ipse in concipiendo modo, quo adjungitur interne caro seu natura humana, τὸ λόγον. scil. modus iste supernaturalis est & μυστηριώδης, & à nobis comprehendendi non potest, multo minus enunciari:

non tamen ex incomprehensibili & ineffabili modo adjunctionis, rem ipsam aut naturam humanam Christi adjungi τὸ λόγον, aut esse adjunctum, negari debet.

V I. Objicit 3. Scheiblerus. *Subjectum non est in suo adjuncto. Sed λόγος est in carne.* Ergo λόγος non est subjectum carnis aut caro adjunctum. R. *Quod subjecti & adjuncti denominatio dependeat à diversa rerum consideratione, comparatione, habitudine, dispositione, ideoque non est absurdum eidem rei, modo subjecti, modo adjuncti, denominationem aut nomenclaturam imponere: sic objectum, interdum dicitur subjectum, interdum adjunctum, respectu ejusdem rei, quæ circa illud occupatur, subjectum, Rameis, adjunctum, Aristotelicus: sic locus illis subjectum est, his adjunctum est, respectu rei locata: sed amplius dico contra Scheiblerum, dicendam potius carnem esse adjunctum τὸ λόγον, quam λόγον carnis: ratio est, quia caro accessit ad λόγον, non contra, & λόγος recepit carnem, non contra: nec enim caro est θεολογία, active, sed θεολογία, passive, non assumptit λόγον, sed assumta est à λόγῳ, in coniunctionem atque unionem personalem, nam finitum non est capax infiniti, active, sed capi potest ab infinito, passive. Quod adducat loca Scripturæ Scheiblerus, quæ dicunt, *Christum venisse in carnem, esse manifestatum in carne,* ipsius intentum non evincunt, quod à *Theologis* nostris satis est ostensus: Finio cum monito. Diccat Philosophie studiorum, à juvenis ex hac dissertatione, cum judicio & attentione legenda esse scripta Philosophica, Scheibleri, addo Meissneri, Iacobi Martini, Calvii, aliorumque Lutherañorum, item, Eu-stachii, Raonis, Conimbricensium, Ruvi, Tolett, Suarezii, Fonsecæ, aliorumque Pontificiorum, ne legendo incaute imbibat errores in Philosophia, qui noceant in Theologia.*

Disputationum ex Philosophia selectarum,

*Voluminis secundi,*

V I G E S I M A - S E P T I M A ,

D E

## CONVENIENT. ET DISTINCT.

## T H E S I S I .

**C**ircumfertur vulgo in Scholis Philosophorum, quos Scholasticos vocamus, *Axioma.* Quæcumque convenienter realiter, ea ratione distinguuntur. &c. Quæcumque distinguuntur realiter, ea ratione convenienter. Utrumque hoc verum censet, & pro *Axiomate*, quod sit  $\delta\zeta\iota\alpha\mu\gamma\tau\tau$ , obrudit *Philosophorum vulgus*. Verum enimvero accuratius hanc *Convenientiae & Distinctionis* comparationem intuenti, neutrum quidem mihi (pace & venia Venerabilium Magistrorum Nostrorum) Verum esse videtur, si realis & rationis distinctione sumatur eo, quo solet, modo, ut realis sit, quæ rebus competit per se, ex natura sua, absque ope, operatione, aut respectu intellectus, quæ alii dicunt distinctione rei aut ex natura rei, rationis vero sit, quæ à mente proficiscitur, vel pure, quam rationis ratiocinantis vulgo vocant, & ego ex classe & numero distinctionum expungo, neque enim nomen meretur distinctionis, vel cum fundamento in re, quam rationis ratiocinata vulgo appellant. Hoc sensu, dico & assero, neutrum comparationis institutæ membrum, ita generaliter sumtum, esse verum. Non nego, ne quis erret, multa esse, quæ convenient realiter & ratione differant, ut v. c. animal & homo, homo & Petrus, & realiter convenient, & ratione differunt. Pariter, non nego, multa esse, quæ realiter differant & ratione convenient, ut v. c. Socrates & Plato, homo & bestia, & realiter differunt, & ratione convenient, in superiori, priores in *hominem*, posteriora in *animali*. Verum, ut omnia, quæ convenient realiter, distinguuntur ratione, aut, ut omnia, quæ distinguuntur realiter, convenient ratione, id vero nego ac pernego:

imo, dico contra, quæ differunt realiter, etiam realiter convenire posse, &c, quæ convenient realiter, differre realiter posse, quæ contradic̄tio videbitur esse nonnullis, non est tamen, modo res bene intelligatur; quod sic ostendo.

**I I.** Quorum una numero est essentia ante omnem intellectus operationem, ea realiter convenient. Ex. gr. animalis & hominis eadem est ante omnem intellectus operationem essentia generica animalis: nam animal est substantia, corporeæ, vivens, sentiens, & homo est substantia, corporeæ, vivens, sentiens: sic homo & Petrus ante omnem mentis operationem convenient in eo, quod utrumque sit animal rationale. *Affumo.* Atqui multa sunt, quæ realiter seu re, seu ex natura rei, non ratione, differunt, quorum una numero est essentia ante omnem mentis operationem. *Ergo* multa sunt, quæ realiter differunt, quæ realiter quoque convenient: *Minorem probo.* Modus & res modificata possunt esse una eadem numero essentia: modi, re & non ratione, distincti, quin & oppositi, possunt esse ejusdem numero essentiae, ut convenient in una eademque numero essentia, & quidem circa mentis fictionem, ante omnem operationem intellectus; modi, dico, non quidem omnes, sed aliqui faltem, separabiles putam. *Vnde sic concludo.* Omnis modus separabilis differt realiter, re, & non ratione, à re modificata: nam separabilitas aut actualis separatio est optimum signum distinctionis realis, seu ex natura rei. *Affumo.* Omnis modus separabilis convenient realiter re ipsa, cum re modificata, quia convenient ante omnem operationem intellectus. *Ergo* aliiquid, quod convenient realiter

realiter cum re modificata, differt realiter à re modificata. *Ergo* convenientia realis stare potest cum distinctione reali. Porro distinctio realis, i. e. citra mentis operationem, est inter modum & modum, præfertim, si sint oppositi, qui tamē possunt esse ejusdem numero essentia. Sed hæc omnia demonstremus exemplis.

III. Posse modum & rem modificatam convenire realiter & differre realiter, sic ostendo. Unio formæ & forma, personalitas & natura finita, differunt realiter, quia separari possunt re ipsa, quemadmodum v. c. unio animæ rationalis cum corpore separatur ab anima in statu separationis, & personalitas humanæ naturæ in Christo ab eodem separata est in actu personalis unionis; nam humana natura Christi assumta est in personalitatem  $\mathfrak{G} \lambda \circ \gamma \circ$  seu secundæ Trinitatis personæ: attamen unio animæ rationalis & anima ipsa, personalitas humanæ naturæ & ipsa natura humana, licet distinguantur realiter, & non per rationem, nihilominus sunt ejusdem numero & singularis essentiæ, & quidem ita, ut sint illa ipsa singularis essentia, ideoque in illa convenient realiter. Quod autem sint una numero essentia, patet: nam unio animæ non obtinet peculiaris entitatem distinctam ab anima, nec personalitas est res quædam peculiaris & distincta à natura humana, sed unio, animæ, personalitas, naturæ, entitatem intime includit, ita ut, unio animæ & ipsa anima, sint una eademque res, personalitas & natura, sint una eademque res: scil. unio & anima, sunt ipsa anima, in quantum est unita corpori; personalitas & natura, sunt ipsa natura, in quantum per se subsistit, sumta hac phrasí, non late, pro ratione formalis substantiæ, sed stricte, pro ratione formalis personæ. Quid? quod essentia unioni aut personalitati non convenient, quia modi sunt: at essentia est ens, prout ens contra modum distinguitur; nam modus ens non est, puta reale (alioqui daretur progressus in infinitum) ideoque essentiam non habet, sed est medium negationis inter ens reale & nihil, cui non convenient, essentiam habere: unio igitur ex se essentiam non habens, eandem essentiam animæ participat, sic & personalitas, naturæ.

IV. Porro modi quidam realiter inter se distinguuntur, illi scil. quorum unus separari potest ab alio, aut potius, quorum unus separari potest à re modificata, alter non potest: v. c. personalitas naturæ humanæ, & dependentia ejusdem à prima causa, differunt realiter, quia personalitas à natura humana separari potest, & de facto separata fuit in mysterio Incarnationis; dependentia ejusdem à causa prima separari non potest: at hi modi reperiuntur in una numero essentia singulari, & quidem ita, ut non obtineant singularem & propriam entitatem, sed ut intime entitatem naturæ includant, adeoque una cum natura unam singularem essentiam absolvant: etenim, tum personalitas, tum dependentia, sunt ipsa natura dependens & sua personalitas subsistens præterea, cum sint modi, distinctam essentiam ab essentia rei modificata nullam habent, nec habere possunt, quia non sunt entia realia, quibus solis essentia competit.

V. Denique, modos oppositos distinguuntur, & non per rationem, certum est, ex via oppositionis. At vero, quod non repugnet, dari modos oppositos, qui convenient realiter in essentia eadem singulari, ita ut sint illa ipsa essentia singularis, ac proinde, ut & realiter distinguuntur inter se, tanquam modi oppositi & sibi invicem incommunicabiles, & realiter convenient in eadem essentia numero, & communi, patet in modis subsistendi divinis & essentia divina, in SS. Trinitatis Mysterio: nam Pater, Filius, & Spiritus S. convenient in una eademque essentia divina realiter, citramentis ullam operationem (sunt enim unus ille verus Deus, nemine cogitante) & tamen distinguuntur inter se realiter (alius enim est, Pater, alius Filius, aliis Spiritus Sanctus, nemine cogitante) per Paternitatem, Filiationem, Spirationem, modos oppositos & incommunicabiles alteri aut sibi invicem.

VI. Dicit quis ex *Infusio Socini* progenie. Si Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, convenient realiter in eadem essentia divina, ergo convenientia realis non erit quasi plurimum, sed revera plurimum: nam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sunt revera plures. Atque cum extrema sunt revera plura, & convenient in eodem tertio,

*Illa est convenientia rationis.* Resp. Malle me negare definitionem *Convenientiae* ex *Arist.* *Metaph.* l. 4. c. 9. acceptam; qua *Convenientia* definitur, plurimum aut quasi plurimum unio, & qua, plurum unio, dicitur convenientia rationis, quasi plurum, realis; quam ut admittam, aut personas divinas non differre realiter inter se, sed tantum esse quasi plures, aut personas divinas non convenire realiter in essentia divina, sed tantum ratione: Nam certe, cum definitionum Philosophicarum veritas non potest applicari rebus divinis, rejici potius debent definitiones, quam ut veritatis in rebus divinis quicquam derogetur. Neque ego miror, hanc, similesque rerum Logicarum, Metaphysicarum, aut Philosophicarum, definitiones, ex *Aristotele* aliisque Philosophis, non Christianis, sed Paganis & infidelibus, acceptas, minus quadrate Deo & rebus divinis, quia illi ut Trinitatem non cognoverunt, ita cogitare non potuerunt, de Personarum in SS. Trinitate, vel reali convenientia in essentia divina, vel reali distinctione inter se: & quod accuratissime notari velim, & fideliter hic moneo, ex eo nati sunt omnes errores *Infausti Socini & Vorstii*, & eorum, qui utriusque virtuta arant, quod, cum viderent, axiomatibus Philosophicis, & rationi naturali, qua ista axiomata proculdūt, aut etiam definitionibus sepe Aristotelicis, non convenire res divinas, Tres Personas in essentia singulari unius Dei, duas naturas in una Persona Christi, generationem unius Personae in SS. Trinitate ab alia aeternam, resurrectionem eorumdem numero corporum, similiaque fidei, tum mysteria, tum dogmata, maluerint, res sacras & in sacris manifestatas rejicere, quam aut sue rationi (quam non tantum sciendorum sed & credendorum faciunt normam, sed pesime, cum fides sit *τρόπος της πίστεως*) aut axiomatibus Philosophicis aut definitionibus, ex *Aristotele* aliisque Gentiliū acceptis, nuncium mittere. Ego contra nihil miror, quod rationi eorum, omniumque insuper hominum, utpote corrupte, videantur contradicere res sacrae & mysteria fidei: sed illi corruptionem naturae humanae, mentisque in spiritualibus caliginem, adeoque peccatum

originis, non agnoscunt. Atque hinc est, quod in negotio praesenti, negent posse convenire realiter in una essentia divina singulare Personas, quæ inter se distinguantur realiter. Sed argumentum videamus, quo Trinitatem reverttere conantur ex Philosophia, homines Antitrinitarii.

VII. Si, inquit, *essentia Divina* est realiter *eadem cum tribus personis* realiter inter se distincta, sequitur, unam rem esse eandem tribus rebus distinctis: quod vero idem est cum tribus rebus distinctis, id tres res esse, necesse est. Quare *essentia divina*, simul, & una res erit, & tres res. Resp. Non est, quod metuat quis vim istius argumenti: salva res est, &c, salva nihilominus Trinitas. Fallunt illi *Sophistæ*, ambiguitate terminorum, & phrasium, *idem esse realiter*, &, *distincta esse realiter*. *Idem realiter* dicitur, vel quod una tantum res est, non res plures, vel in quo non sunt plura diversa, quæ plus quam ratione differunt. Pariter, *distincta realiter* vocantur, vel stricte, quæ sunt res plures, vel latius, quæ ante mentis operationem distinguntur à parte rei & entis. Quæ ergo priori sensu idem sunt realiter, ea lane nequeunt esse distincta realiter priori quoque sensu, stricte loquendo: id est, clarius. Quæ sunt res tantum una, ea nequeunt esse res plures, & sic largimur, Personas divinas in SS. Trinitate, quia sunt unius essentia & naturæ divinae, tanquam rei unius, non esse res plures, non esse plures essentias aut naturas divinas, id est, non esse plures Deos: & hoc tantum sensu, quidam ex nostris *Philosophis ac Theologis*, negarunt Personas distinguiri realiter in SS. Trinitate, & recte: nam calumnia est, non sententia nostra: aut ullius ex nostris, tres Personas divinas esse tres res distinctas: sed vero, si posteriori sensu accipiatur, identitas realis & distinctio realis, negamus, essentiam Dei ita esse realiter eandem cum personis tribus, ut in ea non dentur, plura extra mentis operationem distincta, plures personæ realiter distincte inter se: è contra dicimus, dari plura distincta realiter in essentia divina eadem realiter, id est, citra mentis operationem. Ergo bene dicimus, & sine contradictione, id entitatem rei seu realem itare cum diversitate rei

rei seu reali : eadem enim res , eadem essentia divina est , in qua convenientia tria realiter distincta supposita , tres realiter distincta persona , verum non tres distincta res (qua est illatio *Socini & Sequacium*) sed ut tres , ejusdem realiter essentia divinae , modi divini subsistendi , realiter inter se distincti : quod contradictionem nullo modo involvit . Veritatem hujus nostrae assertionis probamus hoc ratione.

VIII. Quæcunque diversitas non multiplicat essentiam , ea non tollit realem convenientiam , seu identitatem rei . Atqui diversitas realis trium subsistendi modorum seu personalitatum in S.S. Trinitate , non multiplicat essentiam divinam ; nam eadem essentia Dei unius tribus ipsis hypostatis communis est absque sui multiplicatione , & sic statuitur à nostris & ab omnibus , qui Trinitatem agnoscunt . Ergo diversitas realis trium subsistendi

modorum aut personalitatum in S.S. Trinitate non tollit identitatem essentiae divinae seu earum convenientiam realem in eadem essentia divina . Itaque nulla est hic contradicatio . Et manet eternumque manebit , Personarum in Deo Trinitatem & distinctionem inter se realem optime stare cum convenientia reali unius ejusdemque numero essentiae divinae . Denique , si modi naturae humanae & finiti distincti , & distincti ante omnem mentis operationem , personalitas , dependentia à causa prima , praesentia localis finita , eandem tamen essentiam naturae humanae singularis modificant , quidni & idem praestent tres modi subsistendi naturae divinae & infinitæ , ut eandem singularem essentiam divinam modificant , illi realiter inter se distincti , hanc realiter in se unam ? Ergo falsum est . Quæcunque distinguuntur realiter , ea convenient ratione , & contra . Quod erat demonstrandum .

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

*Voluminis Secundi,*

V I G E S I M A - O C T A V A ,

D E

## CONVEN. PRÆSERTIM SIMP.

T H E S I S I.

**D**eus Opt. Max. Author omnis entitatis , veritatis , bonitatis , in rebus creatis , idem author est omnis in iisdem ordinis ; est enim Deus ordinis , & non confusio : Ordo rerum patet ex mutua earum inter se habitudine : hæc se manifestat , in rerum inter se convenientia & diversitate : nam & frigida cum calidis pugnant , humilia cum siccis , & nihilominus amice inter se conspirant . In præsens Convenientiam rerum contemplabimur , præsertim simplicem , exorsa ab utriusque definitione .

II. Convenientia vulgo definitur , affectio entis , qua plura aut quasi plura uniuntur . Hanc eandem definitionem habet Arift. 5. Metaph.

c. 9. Sed loco convenientiae usurpat vocem , identitas . ταὐτός , inquit . Ex quo factum , ut Philosophi fere omnes , moderni saltem Scholastici , Aristotelem in usu vocum , non minus quam in sententiis , secuti , identitatem dixerint loco convenientiae , & illa fecerint vocabula æquipollentia . Verum enim vero accuratius consideranti istæ voces non æquipollent : nam omnis quidem identitas , convenientia est , sed non vice versa : identita enim proprie est convenientia in essentia . Sed enim , ut nunquam , ita nec hic difficilis fuero in vocibus usurpandi : nam nihil refert quoque convenientiam in accidentibus , causis externis , effectis , subjectis , adjunctis , identitatem vocare : Qo & sic

& sic Scholastici loquuntur de identitate accidentalis, causali, effectiva, subjectiva, &c. Et profecto, in hisce ac similibus magna pars Philosophiae hodiernæ consumitur, dum diffutari solet, an voces latius vel premissis sumi debeant? v. c. An identitas convenientiam significet, non tantum in essentia, sed & in rebus aliis? sic &c. Au distinctio realis debet dici ex natura rei, necne? &c. Res ipsa potius spectetur, & ex rerum natura voces usurpentur, non vero ex arbitrio tantum, cuiuscunque tandem, seu Aristotelis, seu Thomæ, seu Scotti. Naturam ergo Convenientiæ paulo penitus inspiciamus.

III. Natura Convenientiæ in unione conficit, aut, ut loquuntur alii, in unitate. Extrema, que uniuntur, sunt plura, aut quasi plura, i. e. aut multa à parte rei aut multa per rationem: Unde nata est distinctio Convenientiæ in realem rationis. Convenientia realis, est convenientia quasi plurium: id est, quando illa, quæ revera unum sunt, apprehenduntur ut multa, interposita distinctione rationis ratiocinatae; quo modo Socrates senex convenit cum se ipso puer. Convenientia rationis, est convenientia plurium, id est, quando illa, quæ uniuntur, revera plura sunt, sed per rationem, seu mentis operationem, tantum unum fuint; quo modo homo & bestia dicuntur, convenire aut uniri in communis conceptu animalis, seu esse unum animal. Hæc definitio & distributio convenientiæ rebus creatis applicari potest: S. S. Trinitati increatae non debet, ut hoc disp. proced. est ostensum.

IV. Convenientia est, vel simplex, vel analogica. Simplex, est convenientia unius cum alio in eodem tertio. Analogica, est convenientia plurium cum pluribus in eadem habitudine. Hinc liquet, in convenientia analogica geminam convenientiam simplicem comprehendendi. In convenientia simplici duo semper sunt extrema, seu re, seu ratione, distincta, quæ convenientiunt in eodem tertio. In convenientia analogica quatuor sunt extrema, quorum bina in tertio semper peculiari, sed simili tamen aut uno quad habitudinem, convenientiunt.

V. Receptus est circa convenientiam simplicem Canon. Quaecunque in uno tertio con-

veniunt, ea inter se quoque convenientiunt: aut, quæ sunt eadem uni tertio, ea quoque inter se sunt eadem. Hoc canone abutuntur pessime Antitrinitarii, cum ex eo, quod tres personæ realiter idem sint cum essentia divina in mysterio Trinitatis, argumentantur, etiam eas realiter esse idem inter se, & sic omne discrimen personarum tollunt, adeoque, ut nos unam essentiam, ita illi simul unam ponunt personam, Patrem solum: eodem abutuntur Thomistæ in controversia de Animæ rationalis identitate cum suis facultatibus. Si, inquit, potentia animæ sint idem uni, puta, animæ substantiæ, sequitur, illas quoque esse idem inter se, ac proinde nullo modo distinguiri; & sic intellectus erit voluntas, &c. Variis excogitarunt hujus regulæ limitationes, quas non omnes referam, sed distincte agam & compendio.

VI. Convenientia simplex accipitur tripli-citer; vel de æqualitate (sic, quæ eadem sunt uni tertio, id est, æqualia, sunt eadem, id est, æqualia, inter se) vel de similitudine (sic quæ eadem sunt uni tertio, id est, similia, sunt eadem, id est, similia, inter se) vel de identitate, id est, convenientia in essentia: nam æqualitas est convenientia in quantitate, & similitudo est convenientia in qualitate. Quando hoc axioma intelligitur de identitate, propriæ sic dicta, quæ est convenientia simplex duorum in eodem tertio, quod sit essentia aut pars saltem essentia, tum vel maxime & accuratissime debet limitari, nec absolute sumendum est, uti quidem, cum intelligitur de æqualitate aut similitudine.

VII. Vulgata explicatio est, requiri ad veritatē Canonis, quando intelligitur de convenientia in essentia, seu identitate, ut aliqua sint eadem uni tertio singulari, & sic, quæ sunt eadem uni tertio singulari, sunt eadem inter se: nam fieri posse, ut aliqua sint eadem uni tertio universali, nec tamen inter se sint eadem, facile patet: nam homo & brutum sunt eadem animali; homo enim est animal, & brutum est animal; nec tamen sunt eadem inter se: quippe, nec homo est brutum, nec brutum est homo: eadem est ratio omnium, quæ specie differunt, sunt enim idem cum genere, inter

inter se tamen non sunt idem. Ergo sic limitari volunt hoc *axioma*. Quæ sunt eadem unito, sc. quod est res *individua*, quæ nec est res plures, nec eadem re ipsa cum illa, quæ est res plures, sunt eadem inter se. Verum ita limitatio non sufficit: namque sic manet objectio *Socinianorum*. Etenim personæ divinæ sunt idem cum essentia divina, quæ est aliquid singulare, nec tamen sunt inter se idem. Ergo addendum est hoc: quod ita illud tertium debeat esse singulare, ut sit *incommunicabile*. At vero, licet essentia divina sit singularis; quia tamen est communicabilis tribus personis, ideo, illæ personæ non sunt idem inter se, licet cum essentia idem sint. Nempe, licet essentia divina sit singularis, refert tamen naturam universalis in eo, quod, sicut universale prædicatur de pluribus, ut homo de pluribus & diversis suppositis, Petro, Paulo, Johanne, &c. sic essentia divina prædictetur de pluribus realiter distinctis suppositis aut personis, contra ingenium aliorum singularium; per hoc tamen non constituitur essentia divina nec numerari debet inter res universales, sed est & manet singularis, imo & singularissima; quia de natura universalis est, ita prædicari de pluribus, ut in illis, de quibus prædicatur universale, natura ejus multiplicetur, sicuti natura humana multiplicatur in Petro, Paulo, Johanne, &c. sunt enim in illis tres distinctæ naturæ humanæ, & ipsi sunt tres homines: at divina essentia non multiplicatur in tribus personis; non enim sunt tres essentiae divinæ, nec tres dii, sed tres personæ: sic ergo dici potest; illa esse eadem inter se, quæ sunt eadem uni tertio singulare, sc. quod ita est singulare, ut non accedat ad naturam universalium in eo, quod de multis prædicetur: & hoc est, quod alii dicunt, ut illud singulare sit *incommunicabile*. Verum, quia hæc pugnantia videntur esse, singulare dici & *communicabile*, ut fuit quidem in rebus creatis, age, dicamus sic, & limitemus nos hoc modo: Tertium illud, in quo duo aut plura convenient, posse esse simpliciter, vel *communicabile*, vel *incommunicabile*: & canonem esse intelligendum de tertio *incommunicabili*, siue sit singulare, siue non sit,

modo sit *incommunicabile*, haec tenus salvatur *Canonis* veritas. Ex. gr. Apostolus gentium & Paulus, convenient in uno tertio *incommunicabili*, hoc sc. *individuo*: *Messias promissus* & *Iesus Nazarenus*, in eodem *incommunicabili* singulari Christo: at Petrus & Paulus convenient in natura humana, ut in tertio, sed ut *communicabile*: natura enim humana, ut ut in se sit una, est tamen *communicabilis*; & hinc Petrus & Paulus non sunt idem *individuum*, nec idem homo, licet convenient in natura humana: Ratio manifesta est, quia, si id, in quo convenient plura, est pluribus commune, per se liquet, ita plura non esse unum: contra, cum aliqua convenient in tertio *incommunicabili*, ea inter se oportet esse eadem, eo quod tertium sit *incommunicabile* ad plura: causa ergo proprie hujus rei, non est ipsa singularitas, vel, quod aliqua in tertio singulari convenient, sed vero *incommunicabilitas*, quod illud tertium, in quo convenient plura, sit *incommunicabile* ad plura; ideoque ea necessario sunt idem realiter, quæ in isto tertio *incommunicabili* convenient. Et hoc modo rectissime respondet *Socinianis* objectibus, quod sequatur, Filium esse Patrem, & Sp. S. utrumque, si statuantur convenire in eodem tertio, sc. essentia divina: Neque enim hoc sequitur; quia tum demum sunt illa, quæ convenient in eodem tertio, eadem inter se, si tertium illud sit *incommunicabile*: atqui essentia divina *communicabili* est pluribus suppositis; & supposita diversa, ea de causa, minime sunt inter se eadem, quod in essentia communi & *communicabili* convenient, quia identitas essentialis non tollit diversitatem suppositalem.

VIII. *Sociniani* negant, hunc canonem restringi debere, quia ejus ratio sit universalis: nisi enim hoc admittatur, inquit, sequitur contradictione aperta, nempe, *unum idemque esse eandem rem & plures*. Sed Resp. ad id, nullam hic esse contradictionem: fieri enim potest, ut una eademque res absolute sit plures res respective: mons v. c. una est eademque res, & tamen est acclivis & declivis: verum eo modo, quo res est una, non est plures, & quo est plures, non est una. Omnis error

Socinianorum ex eo fluit, quod existiment, fieri non posse, ut una res indivisibilis pluribus rebus distinctis conveniat: atqui ex sola Mathefi hoc addiscere potuerant: unum idemque indivisibile est punctum, quod est in Sphæra exacte rotunda & Plano perfecte plano, quod tangitur à sphæra, &c, licet in rebus creatis nullum posset dari exemplum, non tamen ideo hoc negandum est de Deo. Quod metuant hic contradictionem aliquam *Trinitatis hostes*, si una numero essentia divina communicetur pluribus numero distinctis personis, & sic essentiam divinam fore rem unam & res plures, vanus omnino est metus, ac contradictione hic est nulla: sed ambiguitas est in voce, *res*, in qua ludunt *Sophistæ*.

IX. Argumentum illorum tale est. *Si in essentia divina eadem, tanquam in uno tertio, convenient tres numero distincte personæ, ergo essentia divina erit una tantum res & simul res plures; quæ est contradictione.* Resp. Concedo consequens sequi ex antecedente, si vox, *res*, eodem modo sumatur: nego autem nunc sequi, quia vox, *res*, eodem modo non sumuntur: ideoque & nego, esse contradictionem ob ambiguitatem in voce, *res*: ostendam ad oculum. Vox, *res*, accipitur hic aliter, quando dicitur essentia divina esse, una *res*, & eadem esse res plures. Est res una, si accipiatur vox illa absolute, pro natura: Deus enim est una essentia, natura, *res*: Est res plures, si accipiatur vox illa respective, pro modo & relatione substantiali: Deus enim est res plures, id est plures modi & relationes substantiales ac personales. Ostendat *Sophistæ*, si possint, esse contradictionem, unam essentiam, seu rem, absolutam, esse tres modos respectivos, seu relationes personales, seu tres res relatives. Qui vero ex Theologis nostris, quod hic monitum velim, negant, personas tres esse tres res, vocabulum res strictissime sumunt pro essentia aut ente reali: neque

enim tres personæ in S. S. Trinitate sunt tres essentiae, tria entia realia; sunt tantem tres res, si vocabulum illud late sumas pro eo, quod est aliquid seu ens late sumum, quale est omne illud, quod non est nihil, & comprehendit præter alia sub se & ambitu suo quoque relationes & modos: at si res & ens stricte sumas pro ente reali, cui soli convenit essentia, quale est, vel Deus, vel creatura, vel Substantia, vel Accidens, jam ex ambitu entis realis & rei excluduntur relationes & modi: & sic nulli Theologorum dicunt, tres Personas in S. S. Trinitate esse tres res, sed esse tres modos & relationes, reales, substantiales, personales: dicuntque insuper, recteque dicunt, diligui inter se realiter, id est, non per operationem rationis.

X. Quod attinet dubium, de facultatibus animæ rationalis, motum *th 5.* quod ex hoc canone non possint esse idem cum anima, illud facile solvitur: Nam, qui statuunt, facultates esse idem realiter cum anima rationali, ut *Scotistæ*, illi dicunt, re ipsa illas inter se quoque esse idem, v. c. intellectum esse re ipsa voluntatem, & contra, & animam esse eandem cum utraque sua potentia. Et hæc sententia mihi semper visa est probabilior, qui odi tot entia, accidentia, potentias, habitus, &c. multiplicari absque necessitate: nec tamen sequitur, nos intelligere cum volumus, aut velle, cum intelligimus; nam adhuc distinctio operationum manet, propter diversa objecta, circa quæ versatur anima rationalis operando, ad quæ dicit diversos respectus: aliter anima occupatur circa verum, & tum intelligit, aliter circa bonum, & tum vult: & intercedit adhuc inter animam, intellectum, voluntatem, distinctio rationis ratiocinatæ, fundata in diverso respectu ad diversa objecta & inde consequentibus diversis operandi modis.

## Disputationum ex Philosophia selectarum,

Voluminis secundi,

V I G E S I M A - N O N A ,

D E

## DISTINCTIONE RERVM.

## T H E S I S I .

**V**Exatissima est inde usque à Scholastice philosophiae exortu de *Distinctionibus rerum* Controversia, & adhuc lis ea sub judice est, dum alii plures, alii pauciores, distinctionis modos adstruunt, omnes vero ex fundamentis quibusdam novis, mirabilibus, fictis & excogitatis, (quorum ne vestigium quidem ullum apud *Philosophos Græcos*, *Academicos*, *Peripateticos*, *Stoicos*, extet) hæc distinctionum genera stabilunt: hinc tot sententiarum divertia, in quot abierte *Scholastici*, qua Veteres, qua Recentiores, dum alio modo *Thomas*, alio modo *Scotus*, alio modo *Alii*, distinctionis modos concipiunt: sicut varietas est, sicuti anfractus sunt ac meandri, hic eos reperire est. Et tamen, licet de variorum rerum distinctionibus quæstio barbararum sit vocum sordibus feuda, subtilitatum tricis impedita, superstitionis nubibus obscurata, et tamen per *Philosophiam* universam, per disputationem omnem ac commentationem ita fui usu diffusa est, ut nulla alia ex tam infinitis quæstionibus ac disputationibus in hodierna *Philosophia* motis, cum hac, *de varia rerum distinctione*, usus amplitudine certare posít. Verum, uti utilissima hæc est doctrina, ita est obscurissima, quia nihil fere est, ubi pedem figere licet: & ex industria videntur hic in partes abiisse, ut haberent, de quo inter se dimicarent homines contentiosi: Nos vero tandem videamus, quomodo ex hoc distinctionum labyrintho nos expedire valeamus.

I I. Post varias de hoc negotio cogitationes, non videtur melius, brevius, distinctius,

generalis notio distinctionis exprimi aut ejus natura ac ratio formalis proponi, (quaenam tamen à plerisque, si non omnibus, omessa est,) quam si definiamus distinctionem in abstracto, esse illud, quo unus conceptus non est aliis. Ego quidem sic omnium commodissime definiri posse existimo, si dicamus. *Distinctio* est id, quo unus conceptus non est aliis. Per conceptum intelligo hic, & formalem & objectivum. Sensus est definitionis, quod *Distinctio* formaliter & in abstracto consistat in eo, ut unum non sit aliud, sive in natura, sive in intellectu: cum unum non est aliud in natura, res dicuntur differre conceptu objectivo: cum unum non est aliud in intellectu, res dicuntur differre conceptu formalis. Verum hanc distinctionis definitiōnem paulo fusius declarare oportet. Ordinem rem vero altius, & à primis repetemus principiis.

111. Duo sunt principia apud omnes certa: scil. 1. impossibile est, idem, simul esse in natura, & cum aliis confusum esse. 2. impossibile est, idem, simul esse in mente, & cum aliis confusum esse. Ratio utriusque est aperta: nam uti Deus & natura, ita quoque mens nostra, abhorret ab omni confusione: proinde, omnia, quæ sunt in natura, distincta sunt à se invicem: & omnia, quæcunque sunt in mente, distincte repræsentantur: ita ut, quemadmodum distinctio objectorum extra intellectum id infert, ut unum non sit aliud, hoc non sit illud, sic distinctio notionum & noematum in intellectu hoc itidem infert, ut unum in intellectu non sit aliud. Itaque liquet, ad formalem rationem distinctionis in abstracto

hoc pertinere, ut unum non sit aliud, sive in natura, sive in intellectu. Quocirca cum distinctione ita late pateat, debent extrema distinctionis designari tali termino, qui sub ambitu suo complectatur, quicquid ipsis datur, vel concepi potest: quemad terminum non novi in hoc negotio commodiorem, quam conceptum: nam communis Philosophorum usus obtinet, ut voce conceptus exprimatur, tum objectum quodvis, quod cognosci potest, *naturam*, tum ipsa cognitione; & hinc duplicum statuerunt conceptum, objectivum & formalem. Conceptus objectivus, aliis materialis, est res ipsa, quae intellectui objici potest, ipsum, dicto, objectum: conceptus formalis, est ipsa actualis cognitione objecti: iam vero, in genere omnis distinctione versatur inter conceptum & conceptum, seu objectivum, seu formalem: adeoque bene definitur, meo iudicio, *Distinctio*, esse id, quo unus conceptus non est alius, sive objectivus, sive formalis: & hinc infero, distinctionem rationis ratiocinantis non esse distinctionem, & tantum *speciebus* sic dici: nam in tali distinctione vix ac ne vix quidem dantur diversi conceptus formales, v. c. cum polyonyma distinguuntur, nedum ut dentur distincti conceptus objectivi. Ego ergo, ut à generali definitione distinctionis ad ejus modos transeam, sic procedeo.

IV. 1. Rationis ratiocinantis distinctionem non agnoscō, neque sub definitione distinctionis à me posita comprehendo. 2. Divido distinctionem in realem seu rei, & notionalem seu rationis, scil. ratiocinatae, quam ut formalem alii vocent, aut quocunque placet nomine, per me licet. *Distinctio realis seu rei* est, qua distinguuntur conceptus objectivi. *Distinctio notionalis seu rationis ratiocinatae* est, qua distinguuntur saltem conceptus formales, licet objectivus conceptus idem sit seu eadem res: nam vel distinguuntur objecta vel non: si distinguuntur objecta ipsa, *distinctio est realis*; si vero non distinguuntur objecta ipsa, queri potest de noēmatibus ipsis seu conceptibus formalibus, an illi distinguuntur, necne? i. e. Utrum idem objectum sub diversis conceptibus inadæquatis distinguitur intellectui, necne? *Inadequati conceptus dicuntur*, qui rem, nec ple-

ne, nec eodem modo, representant: si diversi sint conceptus formales de objecto uno eodem que, vocatur *distinctio formalis, notionalis, vulgo, rationis ratiocinatae*: si vero ne quidem diversi conceptus formales dentur, proprie locum non habet distinctione; communiter tamen, vel ob nomina diversa, vel ob alium quemcunque respectum, constituitur *distinctio*, quam vulgo vocant, *rationis ratiocinantis*.

V. Ex hisce ita explicatis multa nobis innotescunt; ac t. facile jam intelligitur, *Utrum ex natura extremonum, an ex habitudine mutua eorum petenda sit distinctionis ratio?* Resp. à posteriori: nam quod non sit attendendum, ad realitatem, sed tantum ad cognitionem & habitudinem extremonum, vel inde manifestum est, quod ad distinctionem realem fatis sit, si extrema distinguuntur, si distinguuntur ipsa objecta, sive objecta ista sint entia realia, sive rationis & facta, sive positiva, sive privativa, dummodo distinctione eorum non dependeat à formalis conceptu intellectus. Pariter, ad distinctionem rationis perinde est, sive objectum, de quo ratio distinctiones format conceptus, reale sit & extra intellectum, sive sit intentionale & ab intellectu unice dependeat, sive sit positivum, sive privativum, dummodo intellectui sub diversis conceptibus idem praesentetur.

V I. 2. Manifestum est, in quo constat ratio distinctionis realis & rationis: scil. uno verbo. *Distinctio realis est*, qua conceptus objectivus, (quicunque ille sit) alius est ab alio conceptu objectivo. *Distinctio rationis est*, qua conceptus formalis alius est à conceptu alio formalis, manente eodem objecto (quocunque illud sit) sub diversis ipsis conceptibus representato.

V II. Ex utroque hoc Consectario, quod ex rebus jam explicatis deduximus ib. 5. & 5. sequitur, non esse necessariam distinctionem tertiam, diversam à reali & rationis, quam *Modalis* vocant, aut quocunque nomine veniat. Nam t. distinctionum species nomen non sumunt, ut jam ostensum est, à natura extremonum, sed à mutua eorundem habitudine. At hæc vulgo recepta *Modalis* quorundam Distinctio nomen ab extremis sumit: ideoque membra

membra essent inæqualis naturæ: etenim, si species distinctionum tantum sumenda forent à natura extremorum, ut sit in modali distinctione, tum realis distinctio tantum esset inter entia realia, & rationis esset tantum inter entia rationis. Sed utrumque hoc falsum est: & dari deberet mixta distinctio ac nova, ex reali & rationis conflata, qua ens reale distinguatur ab ente rationis: Et, quid opus est distinctione hac modali, cum commode reduci posse, vel ad realem, vel ad rationis, prout modi vel re vel ratione à re modificata sunt distincti? Certe, uti non est peculiare genus distinctionis excogitatum, quo explicetur distinctione interens & privationem, aut inter privationes inter se, ita multo minus excogitanda est distinctio nova, ut explicetur discrimen inter modum & rem modificatam, aut modos inter se. 2. Distinctio realis & rationis, prout à me explicantur, per conceptum alium atque alium, vel objectivum, vel formalem, opponuntur immediate, ac proinde non datur tertium genus distinctionis: antecedens patet, quia, quæ distinguuntur per diversos conceptus objectivos, distinguuntur ante mentis operationem, quæ distinguuntur per diversos conceptus formales, non distinguuntur ante mentis operationem: at distinguuntur ante mentis operationem & non distinguuntur, opponuntur contradictione, ergo immediate, quia contradictione caret omni medio:

ideoque, si ante mentis operationem, aliud sit modus, aliud res, quam modificat, distinctio illa modalis est distinctio realis; si ante mentis operationem, non sit aliud modus, & aliud res, quam modificat, distinctio modalis est distinctio rationis: ergo modalis distinctio videtur mihi superflua. Uno verbo. Aut supponit hæc distinctio in re plura distincta, ita ut conceptus objectivi differant, aut non supponit in re plura distincta, sed ponit unum in re diversis tantum conceptibus formalibus apprehensum; si prius, est realis; si posteriorius, est rationis distinctio: nam entia non sunt multiplicanda sine necessitate, & ista citra necessitatem multiplicatio distinctionum tot difficultates nobis in *Philosophia* peperit: hac enim modalis distinctione rejecta, cadit & illa, quæ Scoto ex natura rei, quæ aliis formalis, aliis virtualis, aliis eminentiæ, aliis alio nomine venit: ruunt multas divisiones distinctionum, quas videre est operose per suas classes deductas apud *Guilielmum Vrſinum* in peculiari Disputatione de distinctionibus rerum.

VIII. Verum, dicet aliquis, si tantum duo admittis distinctionum membra, realis & rationis, debebis, omnia, quæ distinguuntur, ad alterum horum posse revocare. Reip. id fieri posse, pro meo iudicio, distinctionis realis & rationis subdivisione qualicunque instituta. Quomodo fiat, docebit Disputatio sequens.

---

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

*Voluminis Secundi,*

T R I G E S I M A ,

D E

## DISTINCTIONE RERVM.

### T H E S I S I .

**E**xposuit Disp. precedens duas distinctionum classes, rei & rationis, rejecta modalis: superest, ut, quod promisimus thes. 8. Disp. preced. nunc præstemos, & omnia, quæ ullo modo distinguuntur, ad alteram harum classium revocemus. Sic ordimur.

II. §. 1. *Distinctio realis est, inter rem & rem, id est, inter res plures diversas, idque, five*

five sint supposita ejusdem speciei, ut Petrus & Paulus, five sint supposita diversarum species, ut Alexander & Bucephalus, five sint genera diversa, ut substantia & qualitas, five sint species diversae, ut spiritus & corpus, five quæcumque tandem individua diversa, five corpora diversa, five accidentia diversa, five tota diversa, five partes diversæ, quæ, aut de facto separata sunt, aut, si de facto separata non sint, separari tamen possunt citra contradictionem.

III. §. 2. *Distinctio realis mihi esse videtur, inter modum & modum, id est, modos plures diversos, five sint modi existendi, five sint modi operandi; etiam inter relationes diversas, quæ modorum nomine saepe veniunt, ut inter causam & causatum, actum & potentiam; itaque hoc pertinet distinctio inter relationes personales divinas, quæ sunt modi subsistendi; hinc realis distinctio est inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.*

IV. §. 3. *Distinctio realis mihi esse videatur inter rem & modum rei, si non modum quemlibet, aliquem tamen, qui scilicet separari potest à re modificata, ut inter calorem & gradum caloris aliquem; calor enim potest amittere gradum aliquem caloris, & tamen manere calor, nec amittit speciem suam aut essentiam; quæcumque vero separari possunt, ea raliter distinguuntur, nam quorum unum potest sine altero, ea non sunt prorsus idem, quia nihil potest in re dividì à seipso, quia, si divideretur, non esset prorsus idem, sed statim essent multa entia; divisio enim gignit multitudinem: at non potest aliquid esse, & multa entia, & unum ens. Ergo, cum modus separari, quidam saltem, poslit, à re modificata, distinguitur ab ea realiter, & ante omnem operationem mentis: in multis fane, aliud est modus, aliud res modifica: in multis, dico; nam sunt modi quidam inseparabiles, qui à re modificata non distinguuntur realiter, sed ratione tantum, ut unitas, veritas, bonitas, ab ente. Sed quid dicendum est de distinctione horum modorum inter se: estne illa realis an rationis? Disquiri permittimus.*

V. §. 1. *Distinctio realis datur inter privationes & negationes, five cujus rebus possumus,*

*five inter se invicem, comparentur: sic differunt realiter, tenebra & lux, cæcitas & surditas.*

V. §. 5. *Distinctio realis est inter entia rationis, five illa conferantur inter se, five cum ente reali, v. c. sic distinguuntur realiter, subiectum & praedicatum, Chimæra & Mons aureus, Tragelaphus & Homo.*

VII. Hæc quidem omnia realiter mihi videntur distingui. Nunc quæ ad rationis distinctionem referri queant, pariter explicandum venit.

VIII. §. 1. *Distinctio rationis, five notionalis, five formalis, est inter diversas formas sive rationes concipiendi rem eandem, in genere de quovis objecto: nam in omni objecto potest intellectus partiri distinctos conceptus inadæquatos, sub quibus objectum ipsum representetur; scilicet potest formare conceptum genericum, & differentiale, & specificum, item communem & proprium: similiter potest intellectus concipere diversas facultates vel virtutes, ratione effectuum & operationum, ubi in re ipsa non dantur diversæ virtutes; & in hisce omnibus est distinctio rationis ratioinatæ, ut loqui vulgo amant.*

X. §. 2. *Distinctio rationis est, inter diversas formas seu rationes concipiendi rem eandem de objecto reali, quod extra fictionem mentis esse habeat, quoque nomine veniat: de ente, dico, reali qualibet, possunt diversi conceptus formari, vel quoad rem ipsam, vel quoad modos rei, licet in objecto ipso nulla detur diversitas: ita distinguuntur animal & homo in eodem homine, vis calefaciendi & exsiccandi in eodem lumine, aliaque sunt exempla ubivis obvia.*

X. §. 3. *Distinctio rationis, speciatim locum habet in Deo, de quo licet formare distinctos conceptus, quibus, tum attributa ab essentia, tum unum attributum ab altero, tum personæ ab essentia actusque personales ab eadem, distinguuntur, salva manente essentiæ divinæ simplicitate summa: ita v. c. differt iustitia Dei ab ejus infinitate, omniscientia à iustitia, paternitas & filiatio ab essentia Dei, generatio & spiratio ab esse divino. Compositio ergo ex subiecto & attributo, attributo & attributo, natura & supposito, simplicitatem Dei non evexit,*

evertit, quia hæc omnia in Deo sunt unum & idem, & ratione tantum distinguuntur.

X I. Ita quidem distinctionem rei seu realēm, & rationis seu notionalem, ex mente nostra *dīsp. præcēd.* exposuimus, hac præsenti illustravimus; nunc pariter, quæ sint *signa* & genuina *indicia* distinctionis, tum rei, tum rationis, videndum est. Varia quidem constitui solent, sed multa spuria & adulterina. Ego certissima notabo. Sunt autem *signa* seu *signa realis distinctionis*, quædam *generalia*, quædam *specialia*.

X II. §. 1. *Signa generalia distinctionis realis* sunt, 1. *essentialē diversitas*: quæ enim diversas habent essentias, ea citra controversiam realiter distinguuntur. 2. *Separabilitas*: quæcunque enim separari possunt citra contradictionem, ea differunt realiter: nam cum separantur, uti posint, unum est sine altero: ubi unum est sine altero, ibi unum realiter alterum non est: 3. *Oppositiō*, prout opposita vulgo definiuntur, quæ, neque de se invicem, neque de eodem tertio, secundum idem, ad idem, eodem modo, atque tempore, affirmari possunt; &c., dispescuntur in disparata, relative opposita, contraria, privative opposita, & contradictientia. Quæcunque igitur sunt opposita istis modis, realiter distinguuntur, quia oppositio infert, non tantum, ut hoc non sit illud, sed etiam ut hoc repugnet illi.

X III. §. 2. *Signa distinctionis realis specialia* sunt, vel de substantiis, vel de accidentibus. *De substantiis*. Vbi datur ratio producentis & produeti, ibi datur *distinctio realis*: nam oportet ad minimum suppositis differre, inter quæ dantur ejusmodi respectus: quæ vero suppositis differunt, ea omnino differunt realiter. *De accidentibus*. Quæcunque *accidentia subjectis* distinguuntur, ea distinguuntur realiter. Unum namq; accidens nequit esse in pluribus subjectis.

X IV. §. 3. *Signa distinctionis rationis* mihi hæc sunt. 1. *Subordinatio prædicamentalis*. Quæcunque in eadem serie prædicamentali sibi subordinantur, ea distinguuntur ratione, quia differunt secundum inadæquatos conceptus, & recte dicuntur *distinguiri formaliter*, quia diversæ sunt formæ concipiendi ea, licet in re sint unum & idem: sic distinguuntur, *substancia*, *corpus*,

vivens, sentiens, homo, Petrus. 2. *Diversa definitionis*. Quæcunque definitione differunt, ea ad minimum differunt ratione. Distinguuntur & definitione, quæ realiter differunt, sed non omnia ideo, quæ differunt definitione, statim distinguuntur realiter, differunt tamen plus quam ratione ratiocinante, ut loqui solent vulgo, quia, ubi diversa est definitio, ibi est diversa ratio formalis; definitio enim est ratio essentiæ: ubi autem hæc diversa est, ibi ad minimum formalis diversitas seu distinctio rationis ratiocinata concedenda est; actio & passio definitione differunt, formaliter differunt, quia unus idemque motus inadæquatis conceptibus formalibus apprehenditur; attributa entis ab ente, & inter se, definitione, formaliter, consequenter & ratione distinguuntur ratiocinata. Signum in specie distinctionis ratiocinatæ de ente simplicissimo Deo est. Quæcunque de ente simplicissimo Deo concipiuntur, ea ratione ac formaliter distinguuntur, quia non inferunt veram oppositionem, ut essentia, independentia, omnipotentia, paternitas, generatio, &c. quæ in divinis non sunt opposita. Atq; hæc fuerunt *signa distinctionis*, tum rei, tum rationis: restat utrinq; una subdivisione explicanda.

X V. *Distinctio realis* est, vel non-*essentialis*, vel *essentialis*: nam tertium membrum distinctionis realis, nempe *suppositalis*, est superfluum, quia suppositalis distinctionis, aut pertinet ad non-*essentiali*em, ut in divinis, aut ad *essentiali*em, ut in rebus creatis. *Distinctio realis non-essentialis*, alias *realis tantum*, est eorum, quæ sunt ejusdem essentiæ numericæ, ita tamen, ut sibi mutuo sint incommunicabilia: hæc *distinctio realis tantum*, seu *non-essentialis*, inventur in SS. & adorando Mysterio Trinitatis: nam Personæ Trinitatis sunt ejusdem numericæ & singularis essentiæ divine, sed, in quantum charactere personali distinguuntur, sunt sibi invicem incommunicabiles, ita ut una persona ob proprium characterem personalem non sit alia. *Distinctio realis essentialis* est eorum, quæ habent essentias diversas, sive separate sint, sive separabiles absq; contradictione. Hæc est *generica*, *specifica*, *numerica*. Genera differunt, vel quæ in diversis sunt prædicamentis, non rūnā nātūrā p̄p̄w, sed rūnā ētūrā, vel quæ sunt

sunt sub diversis unius Categoriarum speciebus: prioris exemplum est, linea & habitus, posterioris, homo & lapis. *Specie distinguuntur*, quae in conceptu quidem generico convenientia, sed forma specifica distinguuntur, ut homo & brutum. *Numerus distinguuntur*, quæcumque ejusdem speciei sunt, sed, vel in diversis subjectis reperiuntur, vel diversa supposita constituunt. Duobus itaque modis contingit, *numero differre*. 1. cum res differunt subjectis, sic ut unum existat sine altero, quo modo albedo in pariete differt numero ab albedine latitis, nivis, cerussæ, &c. eruditio Petri ab eruditione Pauli. 2. cum res genere & forma essentia conveniunt, distinguuntur autem forma contracta per conditiones individuantes, hic & nunc, &c. quomodo differunt Petrus & Paulus.

XVI. *Distinctio rationis est*, vel *virtualis*, vel *formalis*, vel *modalis*. *Virtualis est eorum*, quæ diversimode se exercent ac si essent virtus alias atque alias. Ita vis indurativa, liquefactiva, rarefactiva, calefactiva, distinguuntur in Sole, ratione, virtualiter, quia eadem est virtus, quæ diversos illos effectus edit: sic *virtus*

liter distinguuntur, *justitia*, *misericordia*, & attributa Dei. *Formalis distinctio est illorum*, quæ unitive in uno sunt contenta. Sic formaliter, distinguuntur. 1. Superiora & inferiora essentialiter sibi invicem subordinata, ut homo & animal. 2. Passiones: sic affectiones entis sunt unitive in ente & ab eo continentur, distinguunturque formaliter ab eo. *Modalis distinctionis est inter rem & modum rei inseparabilem*, vel *inter modum & modum non sibi invicem oppositos*, sed ratione formalis tantum distinctos, quando scilicet modi de se invicem praedicari possunt: sic distinguuntur modaliter, ratione, ens & unum, unum, & verum, & bonum, inter se.

XVII. Sed quo referes, dicat quis, *distinctio accidentalem*, tum *internam*, *imparitatem* & *dissimilitudinem*, tum *externam*, *causalēm*, *effectivam*, *subjectivam*, *adjunctivam*? Resp. ad *distinctiōnēm realēm non-essentialēm*. Hæc enim subdividatur in *suppositalem* & *accidentalem*; & hæc iterum in *internam* & *externam*, atque utraque in suas species, ut fieri solet. Non putem vero ullam superesse distinctionis speciem, quæ non commode revocari queat ad aliquam classem jam à me expositam.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

*Voluminis Secundi,*

**T R I G E S I M A - P R I M A ,**

*D E*

**I D E I S .**

**T H E S I S I .**

**A**ggredimur materiam arduam & sublimem, de Ideis contemplationem, quæ insigni tamen se commendat utilitate: multum enim conferit, *ad sapientiam*, *ad religionem*, *ad morum informationem*. *Ad sapientiam*; sapientia enim circa primas altissimæque rerum causas versatur. Sed ideas perscurtari, nihil est aliud, quam has causas perscurtari. *Ad religionem*; fine Ideis enim, nec dependentia mundi à Deo, nec divina providen-

tia, rite explicari potest. *Ad morum informationem*; fieri enim non potest, quin ille, qui *Ideas* Dei recte fuerit contemplatus, cognoscat admirabilem Dei sapientiam, potentiam, bonitatem, & Deum cognitum, sapientissimum, potentissimum, optimum, amet, colat, veneretur.

**I. Idea**, ut *nomen* primum explicemus, Graeca vox est, sic dicta ἡδονή εἶδος, à videndo, aspectando, Latine *aspectus*, *species*; *specie* enim anti-

antiquitus idem erat quod *video*, quia, ut *Lud. Vives ad lib. 7. August. de Civit. Dei c. 28.* notat, sicuti artifex, dum conceptum aliquem seu partum in externa materia procreare meditatur, formam rei producendā objectam intellectū adspicit, adspiciendo cōtemplatur, contemplando operatur; ita & Deus mundum procreatūrū, ideam ejus faciēndi intellectū suo ex se fēse & à fēse objectam adspicit & contemplatus est, & sic, ut eum adspicit & contemplatus est, produxit. Hinc, quia *Idea* est originalis rerum species, in intellectū existens, & ad solam rationem pertinens, sola mente perceptibilis, & quia est ratio secundum quam opus ad extra producitur, factum est, ut Latini *Ideas* appellaverint *rationes*, in quo à nominis quidem proprietate (nam *ratio* Græcis non *Idea* sed *λόγος* dicitur) non tamen à rei veritate discesserunt: nam idee sola ratione & intellectū continentur, & sunt *λόγοι*, rationes rerum in Deo producendarum extra Deum: quia autem res extra Deum à Deo ad *Ideas* divinas efficiuntur, hinc *exemplaris* & *παραγόμενα* nomen invenerunt, iuxta illud *Boëthii*, *pulchrum pulcherrimus ipse Mundum mente gerens similique ab imagine formans*. Et, quia hæc *Idea* à Deo cognoscuntur, imo sunt rationes in Deo cognoscendi res (sunt enim exēdem cum essentia divina, in qua Deus omnia cognoscit, ut postea probabimus) ideo etiam rerum *notiones*, *conceptus*, *similitudines*, *imagines*, *simulachra*; & quia intellectum divinum quasi informant, *formæ*, appellantur, quin & quia in *Ideis*, tanquam in feminib[us], occulta quasi sunt & inclusa, quæ mox producentur, *rationes* quoque rerum *seminales* dicuntur. Hæc de Voce.

**I**II. *Ideas dari*, quo sensu vocem explicuimus, probandum nunc esset; sed placet, antequam ad rem ipsam perveniamus, cum *Aristotele* congregidi, & ab ejus injuriis vindicare *Platonem*, cui lib. I. *Metaph.* t. 30. & 7. lib. t. 20. 21. sed præfertim lib. I. *Eth. Nicom.* c. 6. nescio, quod monstrum opinionis circa *Ideas* affingit. Multi sane hic *Aristotelem* strenue acculant, ac non ingrati solum animi, sed palmaris quoque mendacii reum faciunt: ajunt que rotunde, *Platonem* nullas tales, quales fin-

git *Aristoteles*, *Ideas* posuisse, imo ne per somnium quidem cogitasse: sed *Aristotel.* affinxisse sententiam talem *Platoni*, ut haberet quod oppugnaret. Imo conqueruntur nonnulli de summa hæc injuria facta *Platoni*, cujus longe alia fuit mens, quam quæ ei ab *Aristotele* tribuitur, qui hæc cum umbra luctari voluisse videtur. Dicit *Aristoteles*, *Platonem* posuisse purissimas quasdam formas rerum naturalium, abstractas à corporibus, & seorsum à divina mente subsistentes, & has *Ideas esse*. Verum enimvero maximus *Plato* ac *Philosophus divinus* non excogitavit profecto *Ideas*, errabundas inter nubes, aut in terrarum vel orbis mundani angulo alicubi delitescentes, sed in mente eas posuit divina, eternas atque immutabiles. Detur quæso fingendi licentia; quis est, qui non animadverat, ineptas esse cogitationes, si quis fingat bovem aut leonem quendam maximum, per se consistentem, & alicubi extra omnes boves & leones singulares existentem, egregia anima & formoso corpore prædictum, ad cuius Ideam boves omnes ac leones singulares sint expressi, formati, facti? Apage nugas, homine mentis sanæ, nedum tanto *Philosopho Platone*, indignas. *Plato* omnium rerum *Ideas* & exemplaria in ipso Deo posuit: quæ sententia non tantum reprehensionis est expers, sed omnem laudem contra meretur atque admirationem, ac *Patribus Antiquis* ita placuit, ut, revelationi potius quam ratiocinationi eam debuisse acceptam referre *Platonem*, nonnulli existimaverint. Quid enim pius magis, quam rerum omnium *Ideas*, seu archetypos, seu exemplaria, in Deo collocare? ita certa *Dei sapientiam* in omnium rerum creatione & intelligimus & explicamus optime, eamque sic expoferemus sanctissimi *Patres*, *Clemens Alexandrinus*, *Iustinus Martyr*, & magnus *Augustinus*. Sed, ut, quæ *Platonis* mens fuerit, clarissime liqueat, eam apertissime proponemus, prout ex ipso & *Marfilio Ficino*, *Platonicorum* inter recentiores *Coryphæo* in sua *Theologia Platonica*, hauriri potest.

**I**IV. *Plato*, vir divinus, à Deo creatore pendere omnia certo sciens, cum is eximie sapiens, potens, & bonus esset, eum omnis

veritatis & virtutis fontem statuit, è quo rivuli in omne genus creaturarum propagarentur; atque ut creature omnes ab eo ortum ducunt, ita in eundem quoq; per medium hominem definitur; cuius hominis beatitudo in morte Philosophica (est enim Philosophia meditatio mortis) qua cum Deo conjungitur per contemplationem & actionem, reposita est. In Deo ergo sunt omnia æquivalenter, in eodem omnia à se cognoscuntur excellenter: & hæc cognitione Idea dicitur ἡδῶς ίδεῖς à videntio, Mater omnium εἰδῶν, specierum creaturarum, uti Deus est Pater omnium entium. Atque sic in mente divina esse Ideas rerum omnium, quoniam Deus semetipsum intelligens, omnia etiam à se creanda intelligit; quin amplius in hujus Ideas divinae contemplatione, id est, animæ cum Deo conjunctio, sumnum hujus vitæ bonum collocari, Plato docuit. Videatur ac legatur ipse Plato in *Timœo*, in *Parmenide*, in *Phædron*, in *Convivio* in 6. & ult. de *Rep. lib.* & alibi. & quicunque non plane hospes est in lectione Platonis, ei facile constat, hanc ipsam esse Platonis fanfamam mentem, quam cum sciret Aristoteles, qui annos viginti Platonem audiverat, prudens tamen & sciens eam dissimulavit, atque aliam plane ei affixit, egregius in Praceptorum calumniator, qui ideo ipsem, in suis castris, à militibus suis, quamvis sacramentum ei dixerint, Themistio, Simplicio, Eustratio, Magnus Imperator turpiter deseritur, ac gravissimo impietatis crimen ab iis aliisque notatur & condemnatur.

V. Sic loquitur Themistius, cum de Ideis philosophatur, & de hac Idearum ab Aristotele facta explosione. Aristoteles Platonis perpetuo contradixit, id est, sophistice captio seque disputavit, & non tam Platonis sententiam, quam ejus speciem, & quod sibi finxit sententia Platonica simulacrum, oppugnavit. Quod multo clarius expressit Simplicius, easdem Platonis Ideas defendens, cum inquit disertim. Aristoteles, cum in Ideas Platonis debachatur, potius ad verba, quam ad sensum argumentatur. Quid Eustratus in suis ad Eth. Nicom. lib. 1. c. 6. Posset, inquit, aliquis jure Aristotelii objicere. Videris, & Aristoteles, de industria, quippe qui amicus &

discipulus Platonis existeris, adversus opinionem de Ideis adeo captiose & fallaciter disputasse, ut ex eo, quod nihil dicturus essem, quod ad revertendam de Ideis sententiam valeret, eam conformatas magis atq; stabiliores. Atq; hæc sunt tria Aristotelis inter Græcos testimonia, in hoc negotio Idearū, de ejus fidelitate & sinceritate, prolatæ.

V. I. Unum adjungemus ex Latinis ac recentioribus Aristotelis Interpretibus, hominis A'gostini Avicennæ, & Thomiste inexpugnabilis, & Aristotelis & Thomæ additissimi, & inter barbaros Scholasticos sua barbarie principis, Chrysostomi Iavelli, testimonium, qui in secundo tomo operum Philosophicorum, Epitome sua in Ethicam Platonis, tract. 7. c. ult. omnium diligenterissime rationes collegit, quæ Aristotelem, in Ideis Platonicis impugnandis, speciatim in idea boni exigitanda, egregium agere dissimulatorem doceant: sic loquitur. *Quam falsò id Platonī tribuat Aristoteles, ut felicitatem voluerit postquam, in generali quodam bono, quod apud Platonem ipsum idea boni sive per se bonum appellatur, vel ex eo constat, quod Plato docuit aperiisse, tum aliis in locis longe plurimis, tum vero maxime in Symposio seu convivio, veram felicitatem in divinorum entium contemplatione confitetur. At idem ipse de felicitate sentit Aristoteles, nec quicquam potuit inventire excellentius, lib. 10. Eth. Nicom. Ergo, quod attinet ad sententiam, à Platone non discrepat, sed dissentire vult verbis: solet enim Plato, Dei contemplationem, spettaculum per se boni ac pulchri vocare, quod Aristoteles sub Idea seu boni separati nomine tam vehementer hic exigitat. Hæc Iavellus, qui ibidem supervacaneum judicat, Aristotelis ratiocinia, contra Platonis Ideas allata, solvere, quia, inquit, ludunt in ambiguo. Si cui tamen argumēta Aristotelis refutata videre gestiat, aedat commentarios accuratissimos Audomari Talei in l. 1. Eth. Nicom. Campanellam in Metaph. parte 3. l. 13. Scipionem Agnellum in l. 1. de Ideis.*

VII. Ex hisce omnibus satis constat, non sine ratione, Aristotelem, falsitatem, dissimulationis, ingratitudinis, contra Platonem, Praceptorum suum, in impugnandis Ideis, accusari; atque hoc tanto magis fidem invenit apud multos, quod idem à Plutarcho & Laertio (at quantis Authoribus!) confirmatum reperiatur.

periatur. Verba Plutarchi sunt. Ideas Platonicas Aristoteles ubique dictis incessans, in moralibus, in naturalibus commentariis, in iis, quæ exotericæ vocantur, disputationibus, vix est quibusdam, majore contendendi quam sapientia studio id fecisse, ut qui proposuisset Philosophiam Platonis contemnere, tantum abest, ut eam fuerit secutus. Hæc Plutarchus. Laertius in Aristotelis vita sic de eo scribit. *A Platone adhuc vivente defecit: itaque dixisse Platonem ferunt.* Aristoteles nos calcaneo petit, ut pulli solent ma-

trem, ubi sunt in lucem editi. Et hæc Laertius. VIII. Qui Aristotelem hic excusant, ajunt, eum, non tam contra Platonis sententiam, quam contra eam, quæ vulgo pro Platonica haberetur, disputasse. Quicquid sit de hoc negotio, sufficit nobis, jam ostendisse, Platonem longe ab eo absuisti, ut rerum omnium universales quasdam Ideas, existentes extra Deum, extra res singulares, docuerit, & quod eas in Deo ipso ac solo constituerit, in quo illas reperiri sequens docebit Disputatio.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

### TRIGESIMA-SECUNDA,

DE

# I D E I S.

### THEISIS I.

**Q**uid vox hæc, Idea, significet, disp. p̄ced. explicatum est, & simul quam injuriam fecerit Platonii Aristoteles, dum aliam humanæ vocis notionem effingit, quam Plato affectuerat. Nunc rem ipsam spectemus. Ac primo videbimus; *An sint in Deo Ideas?* Deinde, *quid sint?* Utrobiisque multa sepe oferrent abstrusa, sed quæ laborem indagandi ac contemplandi sua utilitate compensabunt.

**I**I. *Dari Ideas in Deo;* ratione naturali sciri potest, & cognitum fuit à multis Ethnicorum. Nos argumenta proferemus aliquot, quibus esse evincemus.

**I**II. §. 1. Omne agens quod agit ex ratione, Barbari dicunt, rationabiliter, clarius, quod agit per intellectum, necesse est, ut illud apud se habeat rationes & formas rerum, quas efficiet & efficiendas cognoscit. Sed Deus est agens tale. Ergo. *Affumo.* Atqui hæc rationes & formæ rerum faciendarum, & quibus res faciendas Deus cognoscit, sunt nihil aliud, quam idea. Ergo illæ dantur in Deo: Profecto, hæc est differentia inter agens naturale & rationale, quod naturale agat, motum ab alio, & sic non indiget exemplari, per quod agat;

at rationale agit motum à se, per rationem quam habet in se. Deus autem in producendo mundo est agens rationale, non naturale. Ergo, &c.

**I**V. §. 2. Mirabilis rerum omnium atque universi ordo & causarum series ac societas ostendit evidenter, quod creator illarum agat cum summa ratione & sapientia: ratio enim illa eminentissima ac sapientissima, & quæ omnia ordinat, se ipsam ignorare non potest: alioqui summa ratio foret irrationalis, nullam enim sui rationem haberet: Mundum autem, non casu, nec fortuito, nec temere, sed eminentissima ratione, extitisse, atque etiam num confistere, perpetua membrorum ejus tam repugnantium conspiratio aperte declarat. Summa itaque ratio seipsum intelligit, & quia est rerum omnium ordinatrix, dum se ipsam intelligit, intelligit se, ut omnium rerum ordinatricem: sed intelligere seipsum ut rerum omnium ordinatricem, nihil est aliud, quam intelligere, quibus rationibus ipsa Ratio intelligens omnia efficiat, disponat, moderetur. Atqui hæc rationes in summa & sapientissima omnium Ratione sunt Ideas. Ergo, &c.

V. §. 3. Omnis virtus prius intra se ipsam suam generat prolem, quam extra se: sic vita vegetativa, tam in plantis quam animalibus, semen, quasi-plantam & quasi-animal, &c, si *Scaliger* creditus, plantam imperfectam & animal imperfectum, in proprio corpore prius producit, quam id faciat extra se, & vel plantam vel animal producat extra se: sic sensitiva vita in seipso per phantasiā prius rei simulachrum efformat, antequam in externa materia progeniem & effigiem sui producat: sic & rationalis vita, prius in se ipsa rei agenda rationem concipit, antequam extra se ipsam rem efficiat palam.

V I. §. 4. De ratione Ideæ sunt hæc tria, ut volunt *Scholastici*, 1. ut sit forma rei, præter ipsam rem, in agente existens. 2. ut res producta imitetur, referat, & exprimat illam. 3. ut agens intendat rem exprimere secundum Ideæ similitudinem. At Deus operatur juxta tres has conditiones. Ergo operatur secundum Ideas. *Prob. minor.* Quia perfectissimus operandi modus debet Deo tribui: At talis est, qui juxta tres conditiones relatas procedit, quod patet in artificibus perfectissimis, qui sensib[il]e operantur.

V II. §. 5. Qui per suam essentiam facit omnia, is in sua essentia continet omnia, & comprehendit omnia; alioquin, que faceret, non cognosceret. At Deus per essentiam facit omnia: quia Dei potentia non distinguitur ab ejus essentia. Ergo etiam omnia continet & comprehendit in sua essentia. Sed non continet nec comprehendit omnia in sua essentia, nisi continet & comprehendat in illa omnium rerum Ideas: Nam ante res productas, non potest eas aliter concepire aut comprehendere, quam per ideas. Ergo, &c.

V III. §. 6. Omnis forma cujuscunque effectus suo modo à causa comprehenditur: Nam, & omnis causa per aliquam agit formam, & omnis effectus ab aliqua forma proficitur, in qua comprehendatur, att secundum esse naturale, aut secundum esse intelligibile. At Deus est causa omnium. Ergo comprehendit omnium rerum formas: non comprehendit autem eas secundum esse naturale, sed secundum esse intelligibile. Sed

rerum formæ secundum esse intelligibile comprehensæ, sunt Ideæ. Ergo, &c.

I X. §. 7. Quemadmodum se habet pura potentia, ita etiam se habet purus actus. At pura potentia est illa, in qua nullæ rerum formæ ante sui productionem existunt, qualis vulgo dicitur materia prima Peripateticorum. Ergo purus actus erit, in quo omnes rerum formæ ante sui productionem existunt. At Deus est purus actus. Ergo, &c. Sed non existunt in Deo formæ rerum omnium ante sui productionem secundum esse reale: sic enim essent productæ antequam producerentur. Ergo secundum esse objectivum & intelligibile: at hoc est idem esse, cum esse rerum ideali, ut egregie demonstrat in sua *Metaphysica Scientifica* *Martinus Meurisse*, cap. de Ideis. Ergo in Deo dantur ideæ. *Quod erat demonstrandum.* Vid. subtiliter philosophantem de Ideis, *Fitanum Solonem in Exercit. Metaph. lib. 2. tract. 6.* Huc fuit idearum *regula*, sequitur *avocatio*.

X. §. 1. Perfectius est agens, quod non eget exemplari, quam quod egit. At Deus est agens perfectissimum. Ergo non egit Ideis. *Resp.* Si Deus indigeret inspicere exemplarū extra se, esset agens imperfectum: sed Deus tali exemplari non egit: inspicit enim essentiam suam intra se, ut exemplarū. Sed, essentiam suam inspicere ut exemplarū, perfectio est, & non imperfectio est.

XI. §. 2. Idea ponitur in Deo ut sit principium cognoscendi & operandi. Sed Dei essentia est sufficiens utriusque principium. Ergo non opus est Ideis. Et, Deus in seipso & per seipsum cognoscit omnia. Sed non cognoscit seipsum per Ideam. Ergo negne alia à se. *Resp.* Ipse essentia divina est idea & similitudo omnium rerum ut est cognita; & quamvis Deus per suam essentiam cognoscatur & alia, quia tamen essentia divina est principium operativum aliorum, & non sui, ideo dicitur aliorum Idea, & non sui.

XII. §. 3. Quicquid fit, à suo simili fit. At Ideæ divinae non sunt similes rebus Ideatais, ut loquantur, id est, ad Ideam expressis. *prob. minor.* Que genere differunt, ea non sunt similia. Sed Ideæ & res ideatae differunt genere: nam Ideæ sunt incorruptibilis & Ideata corruptibilia. Et potest

poteſt hoc argumentum adhuc aliter iſtitui. Idea dicit rationem ſimilitudinis, & ſimilitudo dicit rationem convenientia: Dei autem & creaturæ cum ſit ſumma diſtantia, nulla eſt ibi convenientia; ſi nulla convenientia, nulla quoque eſt ſimilitudo: ſi nulla ſimilitudo, nulla quoque eſt Idea in Deo. Ergo, &c. Refp. Quicquid fit, à ſuo ſimiſi fit: non eſt ſimpliſciter verum: nam fallit hoc axioma, 1. in cauſis æquivocis: muſ ex putri genitus non eſt ſimiliſi Soli. 2. in cauſa remota: canis à cane & ſole genitus, non eſt ſimiliſi Soli. 3. in cauſis instrumentaliſ: gladius cicatricem efficit: ſed cicatrix non eſt ſimiliſi gladio quoad ſpeciem. Deinde ſimilitudo eſt duplex: una univocationis ſeu participationis, quando duo convenient in uno conceptu univoco & communi, ſicut Petrus & Paulus dicuntur ſimiles, quia convenient in humanitate, quæ eſt communis illis, de quibus formamus unum conceptum communem & univocum, & hæc ſimilitudo non reperitur inter Deum & creaturam, quia ea, quæ dicuntur de Deo & creaturis, non dicuntur univoce: alia eſt ſimilitudo expreſſionis ſeu repræſentationis, quando unum diſtingue repræſentat & perfectiſſime exprimit aliud, ſive convenient in aliquo communi, ſive non, uti species intelligibilis hominiſ eſt ſimilitudo ejus; & hæc ſimilitudo invenitur inter Deum & hominem: nam Deus dicitur ſimi-

litoſ creature, quia idea, quæ eſt in Deo, imo, quæ eſt ipſe Deus, exprimit & repræſentat creaturem ipsam perfectiſſime, & ſic Idea dicitur ſimilitudo rei cognitæ, quia eſt ratio cognoscendi rem. Unde ad argumentum refp. quod nulla ſit ſimilitudo inter Deum & creaturem; univocationis & participationis, concedo; repræſentationis & expreſſionis, nego.

XIII. §. 4. Relativum non precedit abſolutum. Sed Ideæ ſunt entia relativia, quia ſunt Ideati Idea, Ideata ſunt entia abſoluta. Ergo non poſſunt precedere Idea Ideata. Ergo non ſunt in Deo ante Ideata. At ſi non ſint ante Ideata; ne in Deo ſunt quidem, quia scientia Dei ſic angereſt, & produceretur à rebus extra Deum. Refp. Idea duobus accipiantur modis; vel pro imitatione atque expreſſione, vel pro re, quæ imitationi ſeu expreſſioni ſubjicitur: priori modo, ſunt quid relativum; fecundo modo, ſunt quid abſolutum. Sed enim Deus ſpectatur, prout homo divinam eſſentiam ſuo modo imitatur & exprimit, Deus refertur idealiter ad hominem & ad eum ſe habet relative: At ſi conſideratur, ut omnia in ſe continens idealiter & repræſentans per modum unius abſolutiſſimi in ſeipſo atque eſſentia ſua, eſt ens abſolutum: ſic ut idea in Deo ſit aliiquid relativum, ut refertur ad creaturem; & aliiquid abſolutum, ut refertur ad Deum.

### Disputationum ex Philosophiā ſelectarum

Voluminis Secundi,

TRIGESIMA-TERTIA,

DE

I D E I S.

THESES I.

**Q**Uæſtionem, an ſit, de Ideis, ſolvit disp. præcedens, quæ, eas eſte & dari in Deo, multis evicit rationibus: nunc quæſtio, quid ſint Ideæ, ſolvenda venit: hæc ſolvitur per definitionem, quæ eſt ratio quidditatis, ratio eſ- fentiaſ, λόγος τῆς τοῦ οὐρανοῦ, ratio ejus eſt, quid eſt: λογική Attice ponitur pro λόγῳ, id eſt, definitio eſt illa ratio, quam quis reddit, de aliqua re, rogatus, quid eſt illa res? Ergo & nos in definitionem aut qualemcumque faltem

tem descriptionem Ideæ inquiramus. Ea non una, sed varia, à Scholasticis in Mag. Sent. & Commentatoribus in Thomæ Aquinatis summan, adferri solet. Non est nobis animus, omnes eorum definitiones in medium producere. Videtur nobis esse perfectissima, aut perfectissimæ proxima hæc, quæ sequitur.

I. Idea Dei, est forma substantifica, objecta menti, seu intellectui divino, intra ipsum existens, ad quam adspiciens operatur. Vel brevius. Est similitudo rei in Deo, per quam res cognoscitur, aut cognita producitur. Nos utramque explicabimus. Forma vel similitudo loco generis est, reliqua sunt loco differentie. Idea in Deo dicitur *forma*, & quidem vocabulo barbaro, sed tamen significanti, *Substantifica*, quia est ipsa natura & essentia divina, in quantum à creaturis diversis diversa ratione est imitabilis: Dicitur porro *objecta intellectui*, ad excludendos actus & habitus ipsius intellectus, qui non habent rationem objecti: Idea autem objectum est, quod intellectus contemplatur: unde nec species intelligibilis, neq; ars in mente artificis, est Idea, quia non habent rationem objecti, sed tantum principii effectivi; & Ideo solum verbum mentis, proprie Idea dicitur, quia habet rationem objecti, & est similitudo expressa rei. Tertio, dicitur in descriptione priori Ideæ, intra ipsum intellectum existens divinum, ad excludendum exemplar externum, ad quod agens artifex interdum respicit in suis operibus: Idea vero est exemplar internum ipsius intellectus; non tamen hinc sequitur, eam menti inhærente, accidentis instar: sed satis est, quod ibi sit per modum objecti, quod sit ipsum objectum intellectus. Postremo additur, ad quam Deus, universi artifex, aut opifex potius, respiciens operatur, quibus verbis excluduntur formæ rerum naturalium: nam licet agens naturale producat effectum sibi simile, simile suæ formæ, v. c. ignis ignem, forma tamen ipsa naturalis non habet rationem Ideæ, quia agens naturale non operatur, respicendo ad illam: ideoque effectus cause naturalis non habet Ideam sibi in causa proxima, sed in causa remota tantum ac prima: & hinc explicari potest hoc Philosophorum axioma, *Opus naturæ est opus intelligentiæ*.

gentiæ; sc. quia res & effectus naturales imitantur Ideas, quas Deus habet in mente sua & contemplatur in productione rerum.

III. Altera definitio Ideæ à nobis allata, dicebat, *Ideam esse similitudinem rei, per quam res cognoscitur aut cognita producitur*. Ex hac descriptione patet, esse quasdam Ideas, tantum cognoscendi, quales sunt possibilium, quæ nunquam sunt, aut etiam impossibilium, quasdam esse cognoscendi & producendi simul, quales sunt futurorum, unde rectissime doctissimus ait *Annesius th. 23. c. 7. l. 1. Medulla sua Theologica*, que hoc nomen vere meretur. Idea, prout considerantur antecedentes decretum divinæ voluntatis, quidditatem rerum repræsentant & existentiam tantum possibilem: prout considerantur post determinationem divinæ voluntatis, repræsentant easdem res, ut actu futuras, secundum actualem suam existentiam. Porro Idea rerum in Deo, dicitur similitudo, non univocationis aut participationis, sed repræsentationis aut expressionis, ut illa distinctio *disj. præced.* est explicata: quatenus essentia Dei à se cognita repræsentat & quasi exprimit ipsi Deo, omnes res faciendas, creaturas omnes.

IV. Dicit quispiam §. 1. *Essentiam Dei à Deo cognitam non tantum esse Ideam creature, sed & creaturam, præsertim rationalem, esse Ideam Dei: nam ut Idea, quæ est in Deo, ipsi repræsentat & exprimit creaturam, ex qua representatione & expressione eam cognoscit, ita & per creaturam venimus in cognitionem Dei tanquam per imaginem ejus, præsertim per hominem.* Resp. Quamvis mutua quadam similitudo repræsentans, seu, ut Scholastici malunt loqui, repræsentativa, reperiatur inter Deum & hominem, quatenus unum est ratio cognoscendi alterum, Deus ratio cognoscendi hominem, homo ratio cognoscendi Deum, alio tamem & plane diverso modo reperitur hæc similitudo repræsentationis in Deo & in homine seu nobis. In homine seu nobis Idea est similitudo rei cognitæ, sic ut res ipsa sit veritas istius similitudinis, sic ut entitas rei cognitæ sit fundamentum similitudinis istius, sic ut Idea in nobis sit quasi species impressa: at in Deo est quasi species expressa, aut, ut rectius loqua-

loquamur, est quasi species exprimens: in Deo idea est ipsa veritas rei, & in re ipsa tantum est similitudo: nam cum similitudo creature, quæ est in Deo, sit ipsa essentia divina, potius vocatur veritas rei cognitæ, quam similitudo: tum, quia perfectione est creatura, quæ per ideam est in Deo, quam est ipsamet creatura in se, tum, quia creatura ad imitationem illius divinæ idæ est facta & expressa, non contra. Cum ergo perfectio cognitionis consistat in eo, ut cognoscatur veritas rei potius quam similitudo, sequitur, ideam, quæ est in Deo, esse perfectissimam rationem cognoscendi creaturam, quia perfectissime exprimit & representat illam, cum sit veritas creature: creatura autem ipsa est similitudo veritatis ipsius, ita facta & vere facta, ut idea ejus in mente divina eam repræsentavit.

V. Sed ut quam clarissime proponamus discrimen, inter ideas, existentes in Deo, & existentes in nobis, quæ tamen utrinque in utroque sunt principia cognoscendi rem, in tribus punctis est dissimilitudo: 1. In Deo datur una idea, quæ est similitudo omnium cognoscibilium, ipsa scil. essentia divina: at in nobis aut homine non est una idea, quæ sit similitudo omnium cognoscibilium, quia idea in nobis aut homine non est nostra aut hominis essentia. 2. Intellectus divinus, in quo sunt ideas, est purus actus respectu cognoscibilis, & cognoscibile est in potentia respectu intellectus divini: at contra, intellectus noster seu hominis est in potentia ad cognoscibile, & ipsum cognoscibile est actu. 3. Intellectus divinus non accipit ideam à rebus, nec informatur specie intelligibili: sed noster intellectus aut hominis contra accipit ideam à rebus, & informatur specie intelligibili. Et quamvis soleam rarissime theses implere testimoniis aliorum, non possum tamen hic omittere doctissimi iterum Amesti in veræ Theologię Medull. c. 7 l. 1. th. 15. 16. 17. verba. Idea in homine, inquit, qui cognitionem acquirit per Analysis, colligitur ex rebus ipsis; atque adeo res primo in semetipsis existunt, tum ad hominem sensum perveniunt, inde ad intellectum, ubi possunt ideam aliquam constitutre ad operationem in sequentem dirigendam. Sed quoniam Deus

omnia intelligit per Genesin, & non requirit cognitionem rerum per Analysis, ideo omnia sunt prius in ejus mente, quam in semetipsis. In nobis res ipsæ sunt exemplar, & cognitio nostra est imago: sed in Deo scientia divina est exemplar, & res ipsæ sunt imago vel similitudo ejus expressa. Idea in homine prius est impressa & postea exprimitur in rebus: sed in Deo est tantum exprimens, non impressa, quia non accedit aliunde.

VI. Dicit quis §. 2. Ideas divinas nihil esse aliud, quam Creaturas, secundum proprium esse reale, à divino esse distinctum, ab æterno productas: quod proprium earum esse, non fuit esse existentiae, sed esse essentiae. Quæ est opinio eorum, qui essentias rerum æternas, aut ab æterno esse, statuant. Resp. Falsum est, esse essentiae rerum esse ab æterno productum: consequenter, falsum est, illud esse ideas. Prob. prius. Omne esse productum, est, esse participatum: omne esse participatum est creatum: sed nihil est creatum ab æterno: ergo nullum esse participatum est ab æterno: ergo nullum esse productum est ab æterno. Quod autem nihil creatum sit ab æterno, imo ne creari quidem potuerit ab æterno, id satis demonstratum est disp. 19. v. 1. select. disp. Et si creature in Deo habeant esse essentiae, distinctum ab essentia Dei, atque ab æterno, quatenus sunt ideas divinae, intellectus Dei ab alio perficeretur, quam à seipso in cognoscendo: nempe à creaturis, dum eas cognosceret in seipsi, ita autem cognosceret eas, cum illas cognosceret in proprio idearum esse, distincto ab esse divino. Sed hæc omnia sunt absurdâ. Quid? quod ex hac sententia sequatur, ab æterno aliquod esse essentiae reale fuisse in Deo, quod non esset ipse Deus, contra receptum axioma: *Nihil est in Deo, quod non sit Deus:* quod quamvis crudum sit & durum, ne dicam, falsum, si extendatur ad relationes divinas & modos subsistendi, in abstracto (nam hæc identificantur quidem cu Deo, non sunt tamen formaliter seu in sensu formaliter idem quod Deus) attamen verissimum est, quando illud *nihil*, negat, omnes reales aut omnes esse essentiae reales: Quin, ex hac opinione sequetur, Deum quamvis re composita fore magis compositum: nam, si creature habent esse proprium reale in Deo: à divino

divino esse distinctum, in quo consistunt illarum ideae, ergo, cum esse unius creaturæ, hujus vel illius, in se quidem sit indistinctum & indivisum, ab aliis tamen distinctum & divisum, in Deo tot erunt essentiae, quot creature; & sic Deus innumeratas habebit essentias, quod simpliciter ejus evertit, & impium est de Deo cogitare. Quare concludimus, *Ideas rerum in Deo, non esse ipsas creaturas, secundum*

*esse essentiae reale, ab aeterno in essentia divina productas, sed sunt ipsa divina essentia simplicissima, prout a Deo intelligitur, & est imitabilis a diversis creaturis diverso modo, & in iis per similitudinem exprimi ad representari possibilis. Quod autem nullæ essentiae rerum creatarum sint ab aeterno aut aeternæ, alias, si Deus volet, demonstrabimus, in hoc Disp. curriculo: nunc Materiâ de Ideis persequemur Disp. proxima.*

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

### TRIGESIMA-QUARTA,

DE

# I D E I S.

## THEISIS I.

**Q**Uæstiones, *An sint & quid sint Ideæ, ex-*  
posuerunt disp. duæ præcedentes, restat,  
ut inquiramus in numerum *Idearum, fintne in*  
*Deo Ideæ plures, an una?* de qua quæstione gra-  
vissima acriter disputant *Scholastici, Thomas*  
*Aquinas. I. p. summae Theol. quæst. 15. art. 2.* &  
omnes ad ipsum commentatores inter alios  
prolixè *Franciscus Cumel ad illam quæst. item*  
*Commentatores in Mag. Sent. Petr. Lomb.*  
*lib. I. Distinct. 36.* & hic inter alios, *Gulielmus*  
*Durandus, quæst. 4.* Nos, omisssis authoritatibus,  
rem ipsam explicabimus, rationibus  
confirmabimus, objectiones refutabimus.

II. Idea rerum omnium in Deo, est una &  
multiplex : una, si referatur ad Deum, in quo  
est ; est enim ipsa ejus essentia, quæ est una ac  
simplicissima : multiplex est, si comparetur  
ad res omnes, quas exprimit & repræsentat,  
respectu quarum non est una; sic enim eadem  
foret idea bovis, quæ hominis, quæ lapidis, &c.  
quod est absurdum. Adferri hic potest simile  
ad rem illustrandam. Ut punctum respectu  
sui unum est, in comparatione tamen ad li-  
neas, quæ ex eo ducuntur, multiplex; ut uni-  
tas in se spectata, respectu sui, est una, respe-  
ctu numerorum, qui ex illa procedunt, mul-

tiplex ; ita idea in Deo, in se unâ est, respectu  
eorum, quæ ab ea, ut exemplari, procedunt  
& egrediuntur, multiplex est. Hæc similitudo  
aliquo modo illustrat hoc negotium. Res  
ipsa sic se habet. Ideæ rerum omnium sunt  
ipsa divina essentia aut natura, una, unica, in-  
divisibilis, ac simplicissima : hæc tamen, una,  
unica, indivisibilis, ac simplicissima essentia,  
rerum omnium ideas in se continent, quatenus,  
ut à diversis creaturis diversa imitatione  
imitabilis, & varia repræsentatione ab omni-  
bus repræsentabilis, ab intellectu Dei cognoscitur,  
quæ diversitas, quæ varietas, quæ multi-  
tudo, est in rebus ideatis, seu ad ideam ex-  
pressis, non in ipsa idea aut essentia Dei : ita-  
que optime conspirat multitudo ideatorum,  
&, si velis, idearum, prout referuntur ad ideata,  
cum unitate & simplicitate essentiae divinae,  
ad quam relatae, non sunt plures, sed una  
Idea ; neque hæc pugnant. Ideæ sunt unum  
simplicissimum intellectum, in quantum  
sunt ipsa essentia Dei cognita : &, sunt pariter  
plura intellecta, in quantum plura intelligun-  
tur posse exprimi ad ideas illas : sc. ut verbo  
dicam. Quatenus omnia repræsentat essentia  
divina, est omnium Idea & quasi multiplex ;  
quatenus

quatenus essentia Dei repræsentans omnia, est simplicissima, indivisibilis, est una: est una, subiective: multiplex, obiective ac terminative. Verum argumento uno atque altero rem confirmemus.

III. §. 1. Si idearum pluralitas repugnat unitati ac simplicitati essentiae divinae, ideo esset, quia sequi videretur, aliquam fore in Deo inæqualitatem, propter multitudinem: nam una idea contineret esse & vivere, ut idea plantæ: alia contineret, & non esse & non vivere, & non sentire, ut idea animalis: tertia contineret insuper non rationale, ut idea hominis. Resp. Hinc non sequi aliquam inæqualitatem in Deo, neque multitudinem ex parte essentiae divinae, aut pluralitatem idearum, in quantum sunt idem cum essentia divina, sed est tantum inæqualitas & multitudo quædam idearum ex parte ideatorum, seu rerum, quæ secundum ideas exprimuntur, i. e. objectorum, & est quædam earum pluralitas objectivæ: nam, quia una creatura participat essentiam divinam, quoad esse & vivere, & sic eam exprimit, alia insuper, quoad sentire, & sic eam repræsentat, alia adhuc amplius, quoad intelligere, & sic eam imitatur, hinc fit, ut essentia Dei dicatur, & essentia unius, & alterius, & tertii, & plantæ, & bruti, & hominis, quæ sunt plura, ad unam tamen ideam, essentiam divinam, quæ fuit ratio cognoscendi illa ac producendi, expressa: fere, quo modo speculum unum est & tamen repræsentat multa: dico fere, quia omne simile est aliquo modo dissimile, praesertim instituta comparatione inter Deum & creaturas.

I V. §. 2. Quocunque se tantum habet, ut objectum & terminus intellectoris, id, si multiplicetur, non statim multiplicat intellectum: neque objecta cognita inferunt compositionem in cognoscente. Sed ideas sunt tantum objectum & terminus intellectoris divinae. Ergo &c. Si ideas forent principium intellectoris in Deo, iis multiplicatis sequeretur multiplicatio intellectus divini, &, si multiplicaretur principium, quo Deus intellegit, esset in Deo compositio: nam repugnat unitati & simplicitati essentiae divine intelligere per plura principia: at vero ideas non sunt

principia intelligendi, sed objecta intellecta, termini, ut quod, sicut loquuntur Scholastici, &, si forent termini, ut quo, non forent principia intelligendi, sed rationes formales objectorum intelligendorum: &, non repugnat essentiae divinae unitati & simplicitati intelligere plura objecta. Videatur de hoc & precedenti argomento Aquinas. I. part. summae Theol. quest. 15. art. 2. in corpore Responsonis. Non potest clarius hæc res ob oculos ponи quam similitudine ducta ab artifice creato: v. c. Sicuti artifex, qui concipit & contemplatur ideam domus, unicum habet exemplar & indivisibile in suo intellectu, quod tamen simul repræsentat domum & singulas partes ejus: unde, quando artifex ille concipit & contemplatur illam ideam, ut est idea fenestræ, sub illa ratione non est Idea columnæ, & quando concipitur sub Idea columnæ, non est Idea tecti, & sic porro: ita etiam divina essentia secundum suam naturam est unica forma & simplicissima idea omnium rerum, sed quatenus concipitur, ut imitabilis ab homine, est idea hominis, & quatenus concipitur, ut imitabilis ab alia re, est idea alterius rei, & sic porro. Nonnulli similitudinem sumunt à misericordia Dei, quæ, in se est una & simplex, in ordine ad miseras multiplex: unde & misericordias Dei imploramus. Alii similitudinem deducunt ab anima, quæ una sit quoad essentiam, multiplex quoad potentias, ob respectum ad diversa objecta. Sed, quæ nos attulimus, sufficiunt rei intelligendæ. Hæc est vera sententia *natura dñi*, sequitur *avon dñi*.

V. §. 1. *Vbi sunt plures formæ & immutabiles & æternæ rerum, ibi sunt plures ideae.* Sed in Deo sunt &c. Ergo &c. Resp. Ex jam dictis. Ideas considerantur, vel secundum quod sunt in se, & sic secundum rem est una tantum idea, essentia, sc. Dei, vel secundum id ad quod referuntur, & sic sunt plures: quemadmodum plures figuræ sunt respectu rerum figuratarum in sigillo, quod tamen in se est unum, ita plures ideas sunt unum exemplar vel una idea. Usus tamen loquendi obtinuit hodie, ut plurium creaturarum pluria exemplaria aut plures dicantur ideas. Notetur hoc bene, quod vox idea, quamvis significet rem

absolutam, essentiam nempe divinam, semper tamen connotet respectum ad creaturas, &c, quia isti respectus sunt plures, id est dicuntur plures, & sic ponuntur in Deo id est plures respectu connotatorum. Verum connotata dupliciter spectantur: uno modo, secundum esse proprium, quatenus sunt, alio modo, quatenus sunt connotata. Primo modo, connotata dicuntur esse habere in tempore, quia connotata sunt creature, quae habent esse in tempore: secundo modo connotata possunt dici, quae connotantur & ab æterno, & in tempore: nam quando respectus connotationis importatur in habitu, tunc connotata dicuntur ab æterno connotari, ut prædestinatio significat actum divinum, connotando effectum in prædestinato, non in actu, sed in habitu, & potentia futurum, & ideo dicitur prædestinatio æterna. Temporaliter vero dicuntur connotata, quando respectus ille seu connotatio importatur in actu, ut Creare, non dicitur de Deo, ut significet aliquid, quod ab æterno fuit in Deo, sed aliquid connotat, quod in tempore à Deo proficiscitur & eum denominat. Clarius loquar in re obscura. Res per ideas repræsentatae & ab iis connotatae; quatenus sunt, habent esse in tempore; quatenus sunt repræsentatae & connotatae, sunt ab æterno: nam hæc duo non pugnant: connotatio & repræsentatio rei est ab æterno, & tamen res connotata & repræsentata est in tempore: sicut prædestinatio est ab æterno, & prædestinatus, quem connotat prædestinatio, est in tempore: ita & idea æterna connotat ab æterno respectum ad creature futuras, quæ tamen non sunt æternæ, sed temporales & in tempore: sic & idea & respectus id est ad rem ideatam seu connotatio ejus, sunt ab æterno, res ipsa connotata, in tempore: repræsentatio rerum per ideas in Deo, est ab æterno: res, quæ ab æterno representatur, est in tempore. Ergo, ut hæc omnia applicem: Quia idea in Deo connotat respectum ad creature, quatenus futurae sunt, &c, quia multæ futurae sunt, ideo multi sunt respectus, & multæ connotations ab æterno, & sic idea denominat Deum ab æterno; sed tamen ipsæ creature connotatae, non sunt ab æterno, verum in tempore. Et hinc quoque solvi potest

hoc argumentum. Si id est sunt plures propter res quas connotant, illæ res connotatae, vel sunt æterne, vel temporarie. Neutrum dici potest: Ergo, &c.

VII. §. 2. Quaecunque sunt similia uni tertio, sunt similia inter se: Sed omnia creatæ sunt similia uni tertio, sc. uni id est. Ergo &c. Conclusio est falsa, ergo vel major quoque aut minor. Major est axioma. Minor ex concessione. Resp. Duplex est similitudo, una, quæ habet proprium genus, altera, quæ non habet; sed extra omne est genus. Prior similitudo non potest esse una plurimum, genere diversorum & plane dissimilium: &c de ista similitudine vera est major. Quaecunque sunt similia uni tertio, tanquam generi, sunt similia inter se quoad illud tertium; verum est, quia illa similitudo causatur à genere: sic species intelligibilis animalis est similitudo plurium in isto genere, animali, convenientiū, hominis & bruti; sed non est similitudo plurium, genere differentium, ut colorum & arbitorum, quia accepta tantum est à natura animalis, ideo tantum repræsentat animalia: est enim similitudo, quæ habet proprium genus. Sed est & similitudo, quæ non habet proprium genus, sed extra omne est genus, neque est accepta à rebus ipsis; hæc repræsentare potest plura genere differentia, quia non est limitata ad hoc vel illud genus; & de hac similitudine falsum est. Quæ sunt similia uni tertio, sunt similia inter se. Idea vero divina, ut distinctio nè applicem ad minorem, est similitudo extra omne genus, & non accepta à rebus, ideo que optime potest esse una secundum rem, & tamen esse similitudo rerum, quam maxime differentium & genere dissimilium: nempe, sicut una lux Solis exprimit multas & varias species colorum, ita una idea exprimit multa idea. Quare major nō est universaliter vera. Quæ sunt eadæ uni tertio, sunt eadem inter se.

VII. §. 3. Si Idea in Deo est una similitudo, aut est una communis, aut est una propria: si una propria, ergo per ipsam nunquam plura cognoscuntur: si una communis, ergo nunquam per ipsam res cognoscuntur distincte. Resp. Idea in Deo, aliquo modo est communis, aliquo modo propria: communis est, in quantum repræsentat omnia: propria est, in quantum repræsentat

fentat unamquamque rem secundum omnes circumstantias singulares ac proprias ipsius rei in re exprimendas: sicut essentia divina ita est in uno loco, ut simul sit in pluribus, sic Idea divina representat ita unum distincte, ut simul etiam representet omnia alia distincte: hinc solvit sequens objectio.

VIII. §. 4. Si Idea sit una, ergo Deus non cognoscit res distincte, sed indistincte. Posterior est absurdum. Ergo & prius. Resp. Ratio cognoscendi omnia in Deo est una, & simplex, & nullo modo distincta, quia Deus uno & indistincto aspectu, non vero distinctis aspectibus, cognoscit omnia: at eadem simplex, una, indistincta, id est, nullis vicibus distinctis repetita, cognitione, ratione objectorum multiplex est, & distincta, quia plura objecta distinctissime representant, & Deus ea distinctissime cognoscit. Uno verbo. Illa Phrasis (*Deus cognoscit omnia distincte*) si distinctio ponatur in cognitione per comparationem ad cognoscentem, quasi si di-

stinctis vicibus utatur cognoscendi, falsa est: si per comparationem ad res cognitas, vera est.

I X. §. 5. Idea, aut dicit aliquid, aut nihil: si nihil, nec pluralitatem habet, nec unitatem: si aliquid, ergo, se sunt plures Ideæ, sunt plures res, & se forent plures res ab aeterno: at non plures res personaliter, ergo essentialiter, quod est impium. Resp. 1. est ambiguitas in voce, res. Res sumuntur, vel pro re actu existente, vel pro re possibili. Ideæ sunt plures, ergo plures res actu existentes, nego: possibiles, concedo. Neque est absurdum dicere, quod sunt plures res ab eterno possibiles, & sic Ideæ dicuntur plures res possibiles, quia ad rationem ideæ non requiritur, ut res actu sit, sed satis est, ut Ideatum sit in potentia, & sic dicitur habere Ideam. 2. responderi potest, esse fallaciam, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: sicut non valet; Sunt plures res possibiles. Ergo sunt plures res; ita non valet, Sunt plures Ideæ, id est, res cognitæ. Ergo sunt plures res.

### Disputationum ex Philosophia selectarum.

*Voluminis Secundi,*

### T R I G E S I M A - Q U I N T A ,

D E

### I D E I S.

#### T H E S I S I .

**V**Idimus disp. ante habitis, *An sunt Ideæ in Deo? Quid sunt? Suntne plures, an una?*

Atque ad postremum quemcum respondimus, Ideam esse unam in Deo, in quantum est ipsa essentia divina, una, unica, & simplissima; & esse ideas plures, respectu rerum plurium, quas Deus videt, contemplando essentiam suam, ut Ideam earum, extra se exprimi posse. Atque hinc oritur pulchrum dubium: *An igitur geminum sit objectum intellectus divini, unum primarium, alterum secundarium, illud, essentia divina cognita simpliciter, hoc, eadem cognita ut idea à rebus imitabilis & exprimi possibilis?*

II. Hoc ut solvamus, & de rebus divinis digne loquamur, dicimus, actu & formaliter non esse in divino intellectu duo objecta, unum primarium, alterum secundarium. Quod probatur, primo ex parte intelligentis Dei, secundo ex parte rei intellectæ. Quod primum spectat, constat, intellectum Dei non transire de intellectione in intellectiōnem, sed, quæcumque intelligit, intelligere unico incommutabili intuitu: alioquin scientia ejus esset variabilis, quod refutavimus in primo Disp. select. Volumine. At si intellectus divinus, duo objecta, formaliter saltem distincta, unum primarium, alterum secundarium, essentiam

tiam suam simpliciter, eandem ut Ideam, intelligeret, tum non unice ac simpliciter, simul & semel, eam intueretur; nam non videtur posse idem objectum, ut absolutum, simul & relatum, cognosci. Sed, divisos cognoscendi actus Deo tribuere, impium est. Quod secundum spectat, notum est, divinam essentiam plus esse eandem cum suis Ideis, quam egomet sum idem mihi ipsi: tum, quia supremam entitatem actualem ac formalem cum Ideis suis habet, qua major ex cogitari nequit: tum quia est actu una Idea, essentia sua simplicissime intellecta; ergo, quemadmodum fieri nequit, ut ego videam me ipsum, nisi videam me; ita fieri non potest, ut Deus videat suam essentiam, nisi videat suas Ideas. Atque hoc pacto, intuitus divini intellectus in suam essentiam simpliciter, quatenus objectum primarium, & in eam ut Ideam, quatenus objectum secundarium, formaliter divisus actibus non terminatur, sed se tantum, & nihil aliud à se, vel primarie, vel secundarie, intuitus, unitive, & supereminenter, ac pluquam æquipollenter, omnia cognoscit.

III. Sed & aliud hic emergit dubium, *quomodo essentia divina sit Idea creaturarum?* Dupliciter enim hoc potest intelligi: vel, *quod sit Idea, prout est imitabilis à creatura*, vel, *quod sit Idea, quatenus intelligitur ac concipitur ut imitabilis à creatura*. Et quamvis ista duo non ita accurate in *Disp. præmissis* distinxerimus, multum tamen inter se differunt. Nam Idea in primo sensu est prior secundum rationem quam Idea in secundo sensu; quia enim essentia Dei est imitabilis à creatura, Ideo eam Deus cognoscit ut imitabilem à creatura.

VI. Nota primo, dici, rem aliquam esse dupliger in intellectu, vel subjective, id est, ipsi inherendo, ut species intelligibilis, habitus, & actus intelligendi; vel objective, in quantum cognoscitur ab intellectu, & res illa terminat actum intelligendi; sic homo dicitur objective in intellectu, dum intelligitur, ut color est objective in visu, dum videtur: hic autem posterior modus essendi in intellectu, non ponit aliquid in re cognita, nisi quod denominetur cognita, ab intellectu, quæ denominatio est extrinseca. Quamvis autem du-

plex hic modus essendi in intellectu rarissime conjungatur, imo videatur pugnare, non enim, quod objective est in intellectu, idem & subjective est, alioquin, homo, leo, animal, cum intelliguntur, inhererent intellectu; nihil tamen prohibet, aliquando ista duo conjungi in unum, licet maneat inter ea distinctionis rationis: etenim, cum intellectus reflexe intelligit suum primum actum intelligendi, tum talis actus est subjective in intellectu, cum illi inhereat, & idem est objective in intellectu, quia per alterum actum cognoscitur. Nunc porro, cum Idea sit forma existens in intellectu divino, aut utroque, aut uno ex hisce modis, debet in eo existere.

V. Nota secundo, rationem completam Ideas ex tribus perfici: primo dicit quid absolutum, in quo scilicet consistit similitudo & imitatio effectus; secundo dicit relationem quandam ad id, cuius est Idea & similitudo: tertio dicit relationem ad agens intelligibile, quod per Ideam operatur: non enim Idea per se existens causat, sed est ratio per quam agens intelligibile causat aliud: hoc tertium patet in quovis exemplari, quo pictores utuntur.

VI. Ex dictis thesi 5. facile patet, essentiam divinam, ex hoc tantum, quod fit participalis extra se, nondum habere rationem completam Ideas, quoad omnia, sed eam tantum possidere, quoad absolutum: at cum obiectitur intellectui divino, ut multis participabilis, tum intelligitur habere ordinem, & ad Dei intellectum operantem, & ad creaturas à divino intellectu operabiles: & sic habet completam rationem ideæ, quia, ut dictum est *disp. præced.* divina essentia, ut est species intelligibilis in intellectu divino existens principiumque cognoscendi, non habet rationem ideæ, sed ut est objectum cognitum à Deo: *Est igitur essentia Dei idea creaturarum, quatenus intelligitur & concipitur ut imitabilis & participabilis à creaturis ad extra; ac cum hæc cognitio sit reflexa, simul & objective & subjective est in intellectu divino.* Notandum autem est, quod secundum nostrum intelligendi modum, Deus prius intelligat suam essentiam divinam simpliciter secundum se ipsum, deinde

deinde intelligat ipsam multipliciter esse communicabilem extra se , & ex tali cognitione ideas formet , ac postea per illas ideas , creaturas in se ipsis , secundum esse illarum cognoscat , ut producendas suo tempore : & hinc insurgit relatio rationis ipsius essentiae divinae ad creaturas , in qua ratio ideas completeruntur.

VII. Hæc sententia à Scholasticis , qui eam tenent , multis probatur rationibus : nos , qui nunquam numero argumentorum , ut illi & qui eos hodie hic sequuntur , sed pondere certamus ac robore , ex magno numero unam fecernemus atque alteram . 1. De ratione exemplaris formativæ rei mediante agente per intellectum , est esse in mente . Sed idea rerum in Deo est exemplar formativum rei . Ergo de ratione ejus est , quod sit in mente Dei . Sed sic , est cognita ab intellectu divino . Ergo divina essentia , ut cognita objective , habet rationem ideas . 2. Quamvis divina essentia prius , secundum momenta naturæ & instantia rationis , sit imitabilis , quam objecta divino intellectui , non tamen est prius imitabilis exemplariter , quam sit objecta divino intellectui . Ergo ut objecta divino intellectui habet rationem ideas , quia de ratione exemplaris est , esse objectum propositum intellectui . Hæc fere ratio eadem est cum hac . Etiam si divina essentia esset imitabilis , si tamen Deus non ageret per intellectum , non esset exemplariter imitabilis . Ergo , nisi cognoscatur ut exemplariter imitabilis , non habet rationem ideas ; Concludimus ergo , quod essentia divina , cognita à Deo , ut exemplar repræsentativum & imitabile à creaturis , habeat rationem ideas .

VIII. Object. 1. Idea in intellectu divino est ratio cognoscendi & operandi creaturas . Sed hoc non convenit illi , in quantum est forma objective existens in intellectu . Ergo esse ideam , non convenit divinæ essentiae , prout intelligitur imitabilis : Prob . min . Nam non cognoscitur res per similitudinem , quæ est directum objectum intellectus , nisi presupposita alia cognitione ejusdem rei : nam videndo imaginem Pauli non cognoscitur Paulus , nisi sciamus , imaginem illam esse

Pauli , id quod supponit aliam cognitionem Pauli ; Sed Deus cognoscit creaturam per ideam , non supposita alia cognitione creature . Ergo essentia divina non convenit , quod sit idea , in quantum est cognita , ut imitabilis .

I X. Resp . Negando minorēm , & ad proportionem dicendo , tum demum non cognoscim , per similitudinem , nisi ipsa res alia cognitione prius cognoscatur , quando forma objecta intellectui tantum est exemplar , ut patet in imagine allata Pauli ; sed aliter se res habet , si forma objecta intellectui non tantum sit exemplar , sed & causa rei repræsentatæ , repræsentans eminenter universam effecti perfectionem , distingue ac perfecte : atqui sic se habet essentia divina , quæ non solum repræsentat se divino intellectui , ut est exemplar , sed & ut est causa rei repræsentatæ , & tunc non requiritur alia prævia rei cognitio , sed sufficit ipsa cognitionis divinae essentiae cognitæ , & ut exemplar , & ut causa creature .

X. Obj . 2. Similitudo , per quam cognoscitur res , est ratio cognoscendi , non cognita objective . Sed idea importat rationem cognoscendi , imo est ipsa ratio cognoscendi . Ergo idea non est , ut habet esse objectivum in intellectu . Ergo non convenit essentia divina , quod sit idea ut cognita ab intellectu divino tanquam imitabilis à creaturis .

XI. Resp . Negando majorem . Quia datur similitudo , quæ sit ratio cognoscendi , non cognita , ut species intelligibilis : datur etiam ratio cognoscendi , ut cognita , scilicet verbum mentis : & forma hæc non solum est ratio , per quam cognoscitur , sed etiam in qua cognoscitur . Atqui hoc modo se habet essentia Dei , quæ est idea non ut species intelligibilis & principium intelligendi , sed ut verbum mentis & terminus intellectus , ut hoc disprecebat . fuit expositum . Et sene , idea est similitudo rei cognitæ : sed species intelligibilis non est formaliter similitudo , verum causality & efficienter , quia causat verbum mentale : sed ipsum verbum mentis est similitudo expressa rei . Ergo hoc est . Et cum idea sit terminus intelligendi , adeoque ipsum objectum intellectum , species non sit terminus , sed principium quo intellectus : intellectus enim

enim actus specie intelligibili, producit verbum mentis, quod est terminus ipsius cognitionis: palam est, non speciem intelligibilem sed verbum mentis esse ideam in Deo. De hoc arguento fuse differit *Agnellus lib. 2. de Ideis cap. 7.*

XII. Pro Coronide, ex hisce jam dissertatis, si idea creaturarum sit essentia Dei cognitata ut imitabilis, patet, ideas non esse in Deo, ipsas creaturas, secundum esse diminutum, quod tribuitur *Scoto*, aut secundum esse objectivum, quod tribuitur *Durando*.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

TRIGESIMA-SEXTA,

DE

# I D E I S

## THEISIS I.

**D**E Ideis earumque natura sic satis actum videtur disp. ante habitis, reliquum est, ut videamus, quarum rerum sit Idea in Deo? Quod sane non ita facile est explicatum: atque ut intelligatur facilius, distinctione quædam est præmittenda hujus vocis *Idea*: Sumitur enim, vel pro ratione cognoscendi tantum, vel pro ratione cognoscendi & operandi simul: priori modo pertinet ad cognitionem speculativam, & proprie dicitur verbum mentis; posteriori modo pertinet ad cognitionem practicam, & proprie dicitur exemplar. Hac distinctione præmissa, *Quæstio hæc*, *An Deus omnium, quæ cognoscit, habeat ideam?* non difficulter solvitur, quæ eadem est cum altera statim posita. *Nos totum negotium* aliquot assertiōnibus decidemus.

II. §. 1. *Deus in se habet ideas omnium possibilium, quæ nunquam erunt, prout idea significat rationem cognoscendi tantum.* Prob. Quia Deus cognoscit omnes perfectiones, quas possit, si vellet, extra se producere, nunquam tamē produxit aut producet: *Quemadmodum defensio Christi contra hostes suos per duodecim legiones Angelorum nunquam instituta fuit, neque futura nunc erit;* & tamen fuit cognita à Deo: ergo ejus idea erat in Deo. Consequenter, rerum possibilium constituendæ sunt ideas in Deo. Pari modo novit, se ex lapidibus posse excitare filios Abrahæ, quod ta-

men nunquam fecit neque facere voluit. Ita & cognovit perpetuam obedientiam illam, quam à primis parentibus exegit, qua possibilis erat, non tamen actu fuit continuata; habuerunt enim posse, quod vellent, sed non velle, quod poterant. Cognovit itidem alium atque alium mundum, quos posset producere, si vellet; ex hypothesi, quod plures mundi sint possibles, hoc enim à non-nullis hodie negatur, non quod illud repugnet ex parte Dei, quasi ejus potentia unius mundi creatione sit exhausta, aut quod aliquid derogetur hic omnipotentia divinæ, sed quia implicat repugnantiam ex parte mundi alterius creandi; ubi enim conderetur, cum hic præsens omnino spatium occupaverit, & extra eum nihil sit, in quo collocari valeat, nisi eum quis locet in sede Beatorum & throno Majestatis divinæ, ubi omnia sunt plena Dei, & sancti Angeli in clamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Jehova Sebaoth.

III. §. 2. *In Deo est idea omnium bonorum & omnium entium procedentium ab ipso Deo, prout idea significat exemplar rei faciendæ, & rationem operandi.* Prob. Quia Deus est author omnis bonitatis & omnis entitatis; ergo omnis boni & entis idea est in Deo: atque hæc est idea futurorum. Conseq. Prob. Quia quicquid à Deo producitur, hoc producitur secundum similitudinem, quam habet in ipso. Sed omne bonum

bonum & omne ens à Deo producitur. Ergo &c. Sed hæc similitudo omnis boni & entis in Deo, est idea boni & entis. Ergo,

I V. §. 3. *Quamvis Deus cognoscat mala culpe seu peccata omnia omnium hominum, ea tamen nullam sui habent ideam in Deo, prout idea significat exemplar rei faciende & rationem operandi.* 1. Deus cognoscit peccata universorum hominum. Alioquin non posset esse iustus iudex: nemo enim recte judicare valet de iis, quæ ignorat. Et, qui novit rationem attingendi scopum, novit etiam rationem deficiendi à scopo; Sed Deus novit perfectissime rationem in creaturis perveniendi ad seipsum ut scopum, qui est summa rectitudine & bonitas. Ergo etiam novit rationem in creaturis deficiendi à se ut scopo, à summa sua rectitudine & bonitate; qui recessus & deviatio, est, iniquitas malitia, peccatum, 2. Deus non cognoscit peccata, per proprias ideas illorum: quia neque falsitas, neque malum, ut sic, habet ideam propriam in Deo. Prob. Idea impræsentiarum est exemplar imitabile: Sed divina essentia, nec falsitatis, nec mali, nec peccatorum, est exemplar imitabile. Ergo. Prob. minor. Quia idea est hic ratio faciendi aliquid: cum ergo Deus falsitatem, malum, aut peccatum, facere nequeat, neque illorum quoque est idea in Deo. Quod probatur adhuc fortius. Idea in Deo est essentia ejus cognita ut imitabilis à creaturis, i. e. in quantum res sunt assimilabiles Deo: Sed falsitas & malitia non sunt assimilabiles Deo. Ergo, &c. Contra, omne verum & bonum est assimilabile Deo: ideoque utriusque datur idea in Deo. Adhæc, essentia Dei non est simpliciter idea aut exemplar, sed & causa ideati, ut in disp. praeced. fuit ostensum. Sed Deus non est causa ullius falsitatis aut malitiae. Ergo. Quæritur hic. *Quomodo ergo Deus cognoscat malum?* Resp. per bonum, seu ideam, seu speciem boni. Prob. Quicunque perfecte cognoscit bonum, cognoscit quoque malum. Sed Deus perfecte cognoscit bonum. Ergo. Prob. maj. Quicunque perfecte cognoscit aliud, etiam cognoscit distinctionem & differentiam ejus ab alio. Sed prima ratio distinctionis consistit in affirmatione & negatione, ut scil. aliquid cognoscatur esse hoc &

non esse illud: ergo malum etiam cognoscitur à Deo, quia est negatio & privatio boni: nam si unumquidque distincte cognoscitur, cum apprehenditur, prout ejus natura est à quovis alio distincta, aut Deus non cognoscit perfecte bonum, aut cognoscit ut distinctum à malo, & sic consequenter cognoscit malum, per bonum & ideam ac speciem boni. Sed ulterius querunt hic Scholastici. *An Deus cognoscat malum per speciem boni, non cujuscunque, sed tantum ejus, quod privat, ita ut, si Deus non cognosceret aliud bonum à se, nullo modo esset cogniturn malum secundum specialem rationem mali: quoniam privatio non cognoscitur nisi per habitum oppositum: sed privatio & habitus, sunt opposita circa idem subjectum: Dei autem essentia non potest esse subjectum privationis.* Ergo, si non esset aliud bonum cognitum à Deo, nisi essentia Dei ut idea omnis boni, nullo loco cognosceretur malum à Deo. Resp. Deus, per hoc, quod cognoscit suam essentiam infinitam, tanquam quæ continet infinitum pelagus suæ bonitatis, cognoscit omne malum, etiam secundum rationem specialem mali. Prob. Cum divina essentia sit bonitas infinita, atque adeo hæc sit de conceptu formalí illius, sequitur, omnem rationem bonitatis perfectissime in ea reperiri: ergo & reperitur in illa ratio ista, quia malum cognoscitur ex opposito bono: quia hæc ratio cognoscendi malum aliquo modo pertinet ad perfectissimam rationem cognoscendi bonum, quia tum perfectissime cognoscitur bonum, cum cognoscitur, in quantum dissidet à malo, & in quantum malum dissidet ab ipso: At sic cognoscitur ipsum malum. *Hinc sic pergo.* Malum cognoscitur per bonum oppositum. Sed malum opponitur bono divino perfectissime cognito à Deo, & secundum rationem communem mali, & secundum rationes speciales mali: quia sicut Deus est causa communis omnium, in quantum omnia imitantur Deum, & pariter est causa specialis cuiuslibet entis in particulari, quatenus diversa entia diversimode ipsi, ut ideas omnium & singulorum, assimiliari possint: sic omnia mala opponuntur Deo, oppositione communi, in quantum ab ejus bonitate & rectitudine discedunt;

& præterea opponuntur eidem bonitati & re-  
stitudini , speciali oppositione, in quantum  
ab ea diversimode deficiunt & discordant. Er-  
go, &c.

V. §. 4. *An etiam imperfecta entia cognoscuntur à Deo per propriam aliquam ideam, an vero per ideam oppositorum?* ut materia per ideam formæ, potentiae per ideam aëtus, multitudine per ideam unitatis, cæcitas per ideam visus? Resp. Imperfectiones, quæ reperiuntur in rebus creatis sunt duum generum: quædam sunt defectus naturæ & privationes alicuius perfectionis debita inesse, ut cæcitas: quædam vero sunt naturales conditiones rerum, quæ non important privationem alicuius perfectionis debita, sed negationem solum alicuius perfectionis non debita, ut esse mate- riale, esse potentiam, esse multum, esse fini- tum, participatum, &c. In Deo non est idea imperfectionum aut entium imperfectionorum primi generis; ideoque, nec cæcitatibus, nec cæci, ut sic, formaliter loquendo, habet ideam, quia istæ imperfectiones proveniunt ex defi- citu naturæ particularis, & non ex virtute ejus activa aut perfectione ipsius Dei, neque ullo modo ei assimilari possunt. Imperfectionum aut entium imperfectionorum secundi generis Deus non habet ideam, si istæ imperfectiones considerentur formaliter, quatenus habent rationem imperfectionis, i. e. quatenus sunt negationes majoris perfectionis, quia negatio ut sic non habet aliquid exemplar, ad quod producatur, cum produci nequeat: attamen entia illa vera & realia, quæ isti imperfectioni subternuntur, quantum ad entitatem suam, non vero imperfectionem, habent ideam sui propriam in Deo, qua cognoscuntur, quia habent aliquam veritatem, qua vere assimilantur Deo, & imitantur atque exprimunt suo modo Deum, in quo continentur, non quidem formaliter, sed eminenter, quatenus à virtute activa Dei & perfectione ejus produci valent, & de facto aliquando producentur ac producuntur. *Prob.* Idea in Deo di- cit assimilationem ideati ad Deum, quæ assi- milatio est, non univocationis, sed repræsen- tationis & expressionis, non sub eodem gene- re sed extra genus, ut ante fuit explicatum

in *disp. præced.* Cum autem Deus sit ens & ens verum, atque entia materialia, potentialia, multa, &c. sint entia & entia vera, etiam vere assimilantur Deo, & Deum imitantur, atque exprimunt. Ergo datur eorum vera ac propria idea in Deo, quod erat demonstrandum.

VI. §. 5. *An Deus habet ideam accidentium distinctam ab idea subjecti?* *Resp.* Propria accidentia non habent in Deo ideam distinctam ab idea subjecti, accidentia communia, quæ superveniunt subiecto jam completo, habent distinctam ideam ab idea subjecti, quod productionem, utraque habent distinctam ideam ab idea subjecti, quod cognitionem. *Prob. pars prima.* *Quia* idea est forma exemplaris rei producibilis: ergo, sicut se res habet ad produci, ita se habet ad ideam, juxta quam productur. Sed accidentia propria non producuntur in suo esse distincta productione à productione subiecti. Ergo neque habent ideam distinctam ab idea subiecti. Consequenter, & subiecti, & propriorum accidentium, una est communis idea, ad cuius exemplar subiectum productur cum suis pro- prietatibus. *Quemadmodum* artifex habet unam ideam domus & omnium accidentium concomitantium eam, ita & Deus unam ha- bet ideam, & subiecti, & propriorum, quæ comitantur illud. *Secunda pars assertionis posse probatur eodem fere modo.* Unaquæque res ita se habet ad sui ideam, uti se habet ad sui productionem: Sed accidentia communia, quæ adveniunt rei jam completæ, non producuntur eadem productione, qua produc- tur res ipsa: nam ex eo, quod aliquis est homo, non sequitur, quod idem sit sapiens aut theologus: sed alia actione fit homo, alia sa- piens; sicut domus alia actione fit domus, alia dealbatur. Ergo alia est idea in Deo respectu subiecti, sc. hominis, alia respectu sapientiae ipsius, sicut in mente artificis, alia est idea domus, & alia alboris. *Tertia pars af- fisionis sic patet,* quia, quandocunque accidens distincte cognoscitur, & consideratur à Deo secundum propriam ipsius ratio- nem, habet ideam ipsius propriam Deus; idea enim est ratio cognoscendi omnia secun- dum

dum propriam rationem uniuscujusque. Præterea, cum unumquodque accidens habeat aliquam propriam actualitatem, quam adgit subiecto, etiam ejus ideam propriam oportet ut habeat Deus; cui ut rerum omnium idæ, pro idealium contemplatione à nobis instituta, sit gratiarum actio sempiterna. Amen.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

Voluminis Secundi,

TRIGESIMA-SEPTIMA,

DE

## ESSENTIIS RERVM ÆTERNIS.

## THEISIS I.

**Q**uia nihil fere frequentius est legere, modis habent esse, vel in intellectu divino, vel in suis causis, vel in seipsis extra suas causas. Essentiae rerum possunt dici æternæ, secundum esse objectivum, in genere, quatenus ab æterno fuerunt objectum, virtutis & potentiae, intellectus & idæ, ac voluntatis divinae: esse enim virtuale creaturarum æternum, nihil est aliud, quam esse, sue cause, ipsius sc. Dei, ut habentis ab æterno virtutem producendi eas in tempore: similiter illis tribuitur esse possibile æternum, quia ab æterno fuerunt in potentia objectiva & activa Dei, cui fuerunt objectæ, & per quam ad actum sunt traductæ in tempore, & ex statu possibilitez æterna translatæ in statum actualitatis temporariæ: sunt quoque æternæ secundum esse intelligibile atque ideale, quatenus ab æterno sunt cognite à Deo, ut possibiles & futuræ in tempore, & quatenus ab æterno contempnando essentiam suam Deus vidit, quomodo esset imitabilis à creaturis in tempore: denique sunt æternæ secundum esse volibile, quatenus ab æternæ voluit eas producere in tempore. Ad alteram distinctionem quod attinet: In intellectu divino rerum essentiaz fuerunt per ideas ab æterno, antequam mundum creaverit, sicut res artificiose sunt in mente artificis, antequam producantur: in suis causis res dicuntur esse, quatenus sunt in illarum potentia activa, quemadmodum rosa est in virtute activa Solis; sic rerum essentiaz

II. §. i. Essentiaz rerum spectantur, vel secundum esse reale, quod habet in se, vel secundum esse objectivum, virtuale, possibile, intelligibile, ideale, volibile, quod habent in Deo. Alii sic dicunt, Essentiaz rerum tribus

R 2 antequam

antequam fuerunt in tempore creatæ, fuerunt in potentia activa Dei ab æterno: in scipis extra causas suas dicuntur essentiae rerum esse, quando jam actu producuntur à Deo, aut potius, quando sunt productæ: sic nullæ essentiae ularum rerum sunt æternæ.

III. §. 2. Tripliciter accipitur non esse: vel pro esse essentia, quo sensu definitio dicitur explicare non esse, i. e. essentiam rei definitam, vel pro esse existentia, quo sensu dicitur generatio, transitus à non-esse ad esse rei, vel pro veritate propositionis, in quantum non est, significat connexionem duorum extremorum, subjecti & predicatorum, quo sensu dicimus, Homo est animal, est rationalis, est risibilis, est doctus, est probus, &c. Hic notandum venit, quod actualis existentia subjecti non requiratur ad veritatem propositionis, in qua non est, tertii est adjecti, secus quam cum fœundi est adjecti: Et hoc sic probatur. Si existentia subjecti requiratur ad veritatem propositionis de non est tertii adjecti, sequitur, nihil esse scibile nisi quando exsilit; quia nihil est scibile nisi verum. Sed consequens est falsum, quia multa scibilia sunt & sciuntur de rebus non existentibus, ut, de röla tempore hyberno scitur, quod sit flos de Homero nunc non existente, quod sit poëta, &c. Ergo, &c.

IV. §. 3. Esse existentia duo facit respectu esse essentia. Primum, quod constitutus esse essentia in actu, quod antea erat in potentia; sicuti homo, antequam existat, est in potentia Dei, & habet esse potentiale non actuale, quod quidem esse potentiale extra Deum nihil est, sed est in Deo ipsa potentia Dei potestis producere hominem: secundum, quod facit esse existentia respectu esse essentia, est, quod faciat, essentiam rei esse, ens creatum; aut potius essentiam entis creati; nam antequam existit, est ens creabile & non creatum, aut potius est entis creabilis & non creati; creatio enim terminatur ad essentiam rei sub existentia.

V. §. 4. Tercie realis, quando enunciatur, de essentia, esse, aut ente, dupliciter accipitur: vel, prout distinguitur contra non fictitium, aut quod ab intellectu & ratione est fabricatum, quo sensu ens fictitium, ut chimæra, & ra-

tionis, ut genus, opponitur enti reali: vel, prout distinguitur contra non-existentis, quo sensu reale idem est quod revera existens. Essentiae rerum possunt dici reales, priori modo, quatenus non sunt facte ab intellectu aut facte à ratione: sed non possunt dici reales, sensu posteriori, quasi semper existant; sic enim forent æternæ & coeteræ Deo, quod est absurdum. Sed questionem ipsam decidamus & latius exponamus.

V. §. 1. Essentiae rerum, extra divinum intellectum, extrâ Dei potentiam activam, extra illud esse objectivum quod habent in Deo, in se & secundum se, non sunt æternæ, nec habent aliquod esse reale ab æterno, ne quidem diminutum, extra Deum. Probatur 1. Si rerum essentiae sint æternæ secundum aliquod esse extra Deum, dabuntur universalia in essendo, & ideæ, vulgo, sed falso, adscriptæ Platoni, ut in disp. de Ideis est ostensum, rerum & essentiarum separatarum à singularibus, ab æterno, quæ non senescant, nec intereant, nec corruptantur, quia sunt abstractæ à conditionibus materialibus singularium. Sed, constitutæ naturas universales separatæ à singularibus, contra omnem sanam est rationem: ubi enim hæc ab æterno extra Deum delituerunt? ubi essentiae istæ æternæ moræ sunt extra Deum? non in aliquo Mundi angulo, quia mundus ab æterno non fuit, & ante creationem ejus nihil fuit præter Deum. Ergo extra Deum ab æterno essentiae rerum esse non potuerunt. 2. Si essentiae rerum sunt æternæ extra Deum, etiam talis erit essentia hominis: Sed essentia hominis est ejus materia & forma, corpus & anima rationalis. Atqui hæc non sunt æternæ: reputnat enim esse æternum, & extra Deum produci ac creari, uti id disp. 19. in vol. primo selectarum disp. est ostensum. 3. Si rerum essentiae habent esse ab æterno extra Deum, aut sunt productæ à Deo in illo esse, aut non sunt. Si non, sequitur, aliquid esse ab æterno extra Deum, quod nullo modo dependent à Deo: quia, quod non est productum à Deo, id nullo modo dependet ab eo. Si ab æterno sunt extra Deum productæ à Deo, ergo habebunt existentiam ab æterno, quia omnis actio Dei productoris aliquid, terminatur ad existentiam singu-

singularem ipsius. Et sic, non solum essentia rerum erunt aeternae, quoad esse essentiae, sed & quoad esse existentiae, quod est absurdum. 4. Si rerum essentiae sunt ab aeterno extra Deum, sequitur, Deum non posse aliquid creare: quia creare est producere totum ens, ut ens est ex nihilo. Sed si essentiae rerum sint aeternae, ex hypothesi Adversariorum, divinae creationi semper supponitur & praestruitur essentia & quidditas rei creandae, quae cum sit principalior entitas ejus, res creanda non produceatur ex nihilo. 5. Si essentia hominis est ab aeterno extra Deum, aut est aliquid aut nihil. Si nihil, non potest dici aeterna, quia aeternitas est affectio entis realis. Si aliquid, jam aeternum esse non est proprium Dei. Hoc est absurdum. Ergo & illud. 6. Si rerum essentiae sint ab aeterno, maxime propter veritatem harum propositionum id est, quae dicuntur perpetuae veritatis, imo aeternae veritatis; ut sunt, *Homo est animal rationale*, *Homo est risibilis*, *Quodlibet est vel non est*, &c. Sed ob hanc causam non est necesse, essentias rerum esse aeternas, nam nihilominus haec propositiones erunt verae, quia non pendent ab existentia rerum: imo, et si Deus annihilaret essentias rerum, adhuc propositiones illae essent vere, quia dicunt tantum connexionem necessariam praedicti cum subjecto. *Quod negotium ut intelligatur, assertionem ponimus secundam.*

VII. §. 2. *Propositiones aliquæ dicuntur esse veritatis perpetuae & aeternæ, non quia connexiones praedicti cum subjecto in illis habent esse ab aeterno extra Deum, sed quia praedictum concipiatur in ratione subjecti, i.e. quia subjectum, nec potest esse, nec intelligi, sine praedicto illius propositionis, aut etiam praedictum, non potest esse nec intelligi, sine subjecto illius enunciationis.* Hic vero accurate est notandum, differentiam quandam esse inter propositiones perpetuae & aeternæ veritatis; nam quedam sunt verae veritate intrinseca, sc. quando praedictum est de intrinseca ratione subjecti, & non potest intelligi subjectum sine praedicto, aut vice versa, quando subjectum est de intrinseca ratione praedicti, nec potest praedictum intelligi sine subjecto: ut haec, *Homo est*

*animal rationale*, & haec, *Homo est risibilis*, utraque est vera ab aeterno, non tantum, quia inventur in intellectu aeterno Dei, sed etiam utraque est vera ab intrinseco; quia in una, praedictum est de intrinseca ratione subjecti, in altera, subjectum est de intrinseca ratione praedicti, & dicunt mutuam & necessariam habitudinem ad se invicem & ex natura rei & ex natura terminorum: alias vero sunt propositiones perpetuae veritatis ab extrinseco, sc. quia ab aeterno sunt cognitæ & prædeterminatae à Deo, ut propositiones futurorum contingentium, sicut haec, *Antichristus erit*, est vera ab aeterno, non quidem veritate intrinseca, quia praedictum non est de ratione intrinseca subjecti, sed contingenter convenit subjecto, est tamen vera ab aeterno, quia Deus ab aeterno prædefinivit, Antichristum fore: & sic illa semper fuit vera in mente Dei aeterna. Nostra in praesens assertio intelligenda est de propositionibus, non posterioribus, sed prioribus, quae sunt veræ veritate intrinseca, & quae sunt veritatis aeternæ, non tamen, quia connexiones partium in illis habeant esse ab aeterno extra Deum. 1. quia nullo homine existente, ante secula condita, haec erat vera, *Homo est animal rationale*: sed ab eo, quod res est vel non est, propositione dicitur vera vel falsa: ergo si ante mundum factum nulla res erat, nulla quoque erat propositione, vocalis, aut scripta, sed tantum mentalis in intellectu Dei. Ergo neque illa extra Deum erat vera: *Homo est animal rationale*. 2. Antequam Deus mundum constitueret, neque erant quatuor, neque tria, ergo non erant septem. Ergo non est perpetuae aut aeternæ veritatis extra Deum. *Quatuor & tria sunt septem.* 3. *Quod rerum essentiae non sint aeternæ, quia connexiones praedicti cum subjecto sunt aeternæ extra intellectum Dei*, sic probatur. Connexio est connexorum. Sed ab aeterno nulla extabant extrema, quae conneccerentur. Ergo ab aeterno non potuit illa esse connexio extermorum extra Deum. 4. Ita connexio praedicti cum subjecto, quando dicitur, *Homo est animal rationale*, aut erat realis, aut intellectualis: non realis, quia tunc nihil erat extra Deum. Ergo

erat intellectus : sed tunc nullus erat intellectus , nisi divinus , qui ab æterno non solum intelligebat , hominem esse rationalem , sed & contingentia omnia . Ergo propositiones non dicuntur æternæ veritatis , quia connexio prædicati cum subiecto sit ab æterno extra Deum , sed sufficit , quod alterum de alterius ratione sit intrinseca , formalis , & essentialis . Unum hic objici potest , quod solvi meretur . Aut connexio extremonum in propositionibus æternæ veritatis , erat ab æterno , à parte rei , aut in intellectu tantum divino : non à parte rei , quia nihil potest esse æternum extra Deum : non in intellectu divino , quia eadem ratione omnes propositiones de futuro contingentia sunt æternæ veritatis , quia sunt in intellectu Dei æterno . Resp . Propositio necessaria , æternæ veritatis , qualis est illa , *Homo est animal rationale* , dicit habitudinem necessariam & intrinsecam ex natura extremonum , ubique re-

periatur , sive in intellectu Dei , sive in intellectu Angeli , sive in intellectu hominis ; hoc enim illi est accidentale : Et ratio est , quia prædicatum illius concipitur ex natura rei in ratione & conceptu essentiali ipsius subiecti , ita ut subiectum , nec esse possit , nec intelligi , si ne prædicato ; nam prædicatum est de essentia subiecti : & hoc ita est , quia ita esse ab æterno voluit Deus . Sed proppositio de futuro contingentia , non habet ab intrinseco , quod sit æternæ veritatis , sed tantum ab extrinseco , ex eo quod est in intellectu divino , ut est hæc , *Antichristus erit* , quia prædicatum hic non est de essentia subiecti ; nec existentia esse potest de essentia ullius rei creatæ , nec Deus unquam voluit , existentiam creaturarum esse de essentia ejus , sed contra ab æterno voluit , hoc prædicatum , erit , contingenter dici de Antichristo . Cætera argumenta in conflicitu solvemus .

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

*Voluminis Secundi,*

T R I G E S I M A - O C T A V A ,

D E

## POTENT. DEI ORD. ET ABSOL.

### T H E S I S I.

**P**otentiam in Deo esse , & quidem acti-  
vam , & infinitam , *disp. 22. select. vol. 1.*  
fatis superque est probatum , nunc ejus  
divisionem , in *Ordinatam* seu *Ordinariam* , &  
*Absolutam* seu *Extraordinariam* , explicare de-  
cretum est : quæ divisio intelligenda est , non  
respectu Dei , sed rationis nostræ : nam poten-  
tia Dei est ipsa essentia Dei secundum rem ;  
quæ essentia , ut est unica & simplicissima , sic  
& potentia ejus est unica , & secundum rem  
simplicissima , quæ tamen , pro diversa con-  
sideratione , nunc ordinata dicitur , nunc abso-  
luta : quemadmodum unica & simplicissima  
Dei scientia , dividitur in simplicis intelligentiæ  
& visionis , & voluntas , in voluntatem ef-

ficiensem & permittentem , propter inadæ-  
quatos unius ejusdemque rei conceptus no-  
strorum .

11. *Potentia Dei ordinata* dicitur , qua se-  
quitur leges à voluntate Dei positas ; vel quæ  
accommoda est , & quasi debita , exsequendæ  
legi ab ipso Deo institutæ . *Potentia Dei abso-  
luta* dicitur , quæ non est adstricta ad istum or-  
dinem , in natura , aut in supernaturalibus , se-  
cundum scripturas , positum ; vel , qua Deus  
potest facere omne id , quod contradictionem  
non implicat . Ordo autem iste , secundum  
quem agit Deus per potentiam ordinatam , &  
præter ac supra quem agit per potentiam ab-  
solutam , intelligitur secundum externam  
execu-

executionem, revelatam, & significatam, sive per leges naturae, in prima rerum & mundi creatione fixas, sive, per revelationem scripturae, aut aliam quamcunque supernaturalem, manifestatam. Lex divina est. *Iob. 3.* *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi regnum celorum.* Quem igitur Deus regenerat per aquam & spiritum, & per regenerationem ex aqua & spiritu salvum facit, eum salvum facit per potentiam suam *Ordinatam.* Sic & in rebus naturalibus, cum Deus, post effusum semen in uterum matris, cum virtute plastica concurrit ad formanda membra, membris sufficienter formatis animam a se creatam infundit, infundendo unit, id omne agit per *Potentiam suam Ordinatam.*

111. *Potentia Dei absoluta* duplicitate potest accipi. 1. *Exclusive*, sive ut opponitur potentiae ordinatae, & sic nihil est aliud, quam potentia Dei, quatenus soluta est omni lege, seu, prout nulli communis ordini divino in rebus instituto est quasi adstricta, & suo modo debita. Per potentiam Dei hoc modo sumtam creatus est mundus, perque eam factum est, ut Sol steterit tempore Iosuæ; unde, quod per potentiam Dei fit ordinatam, id non potest dici fieri de potentia Dei absoluta, hoc modo sumta. 2. *Absolute sive in sua latitudine*, ut potentiam ordinatam sub se comprehendit, quo pacto nos statim eam accepimus, cum diximus, per potentiam absolutam Deum facere posse, quicquid fieri contradictionem non implicat.

IV. Distinctionem potentiae, in ordinatam & absolutam, priori modo sumtam, existimo esse eandem cum illa qua in ordinariam & extraordinariam distinguitur, ita ut idem sint, potentia ordinaria & ordinata, extraordinaria & absoluta, priori modo sumta; quo sensu easdem utrasque fecimus. *th. 2.* Disserit hic a nobis *Fonseca*, *I. 9. Met. c. 2. l. 1.* Ejus ratio hec est. Si potentia ordinaria & ordinata essent plane idem, sequeretur, omnes effectus, qui cadunt sub potentiam ordinatam, etiam cadere sub potentiam ordinariam. Atqui hoc est absurdum, quia factus quidam animalium *Monstro* si cadunt sub potentiam Dei ordinatam, ordo enim in rebus institutus admittit, mox & poscit, ut alia

causæ aliquando alias impediant, & sic monstra generentur: eadem tamen monstra non cadunt sub potentiam Dei ordinariam, quia sunt effectus extraordinarii. Atqui absurdum est, effectus extraordinarios contineri sub potentia Dei ordinaria. R. *Monstro* partus, quos adducit *Fonseca*, sunt extraordinarii, respectu potentiae naturae particularis, non sunt tales, respectu potentiae Dei & naturae universalis; & sic continentur sub potentia Dei ordinaria. Absurdum quidem est, effectum dici extraordinarium, respectu potentiae Dei, & contineri sub potentia ejus ordinaria. At non est absurdum, effectum dici extraordinarium respectu potentiae naturae particularis, & tamen contineri sub potentia Dei ordinaria. Juxta posteriorem acceptiōnem potentiae absolutæ, distinctione potentiae divinæ in ordinatam & absolutam non est eadem cum distinctione in ordinariam & extraordinariam, quia potentia Dei absoluta hoc modo sumta & ordinariam & extraordinariam includit. Cæterum, per *Potentiam Dei absolutam*, idem nos intelligimus, quod per vocem *omnipotentie*, de qua paulo plenius est agendum.

V. *Omnipotentia*, ut ex voce patet, est talis potentia, qua quis omnia potest. Et, cum Deus dicitur *Omnipotens*, significatur, ipsum omnia posse. Cum autem potentia dicat respectum ad possibile, quandocunque enim aliquis dicitur posse, necesse est, ut illud, quod posse dicitur, possibile sit, omnipotentia sepe extendet ad omne possibile, sc. cum Deus dicitur omnipotens, sensus est, Deum posse omnia, quæ sunt possibilia.

VI. *Possibile* dicitur duplicitate. 1. *Cum aposto*, sc. quod sit possibile huic vel illi, ut quod aliquid sit possibile creature vel Deo. Non potest dici, Deum esse omnipotentem, quia possit omnia, quæ sunt possibilia creature, nam potentia Dei ad longe plura sepe extendit: neque potest dici, Deum esse omnipotentem, quia possit omnia, quæ sunt potentiae sunt possibilia, tum, quia sic circulus committeretur in declaranda natura omnipotentiae, tum, quia & creatura posset dici omnipotens, nam & illa potest omnia, quæ sunt potentiae sunt possibilia. Non ergo consistit ratio omnipot-

omnipotenti in eo, quod aliquis possit omne possibile cum apposito. 2. dicitur possibile absolute, sc. illud, cuius termini nullam important repugnantiam, sive, quod non implicat contradictionem, vel, ut habet Arift. 9. Met. c. 3. quo posito in actu, nullum sequitur impossibile. Sicuti, hominem sedere, possibile est, quia horum terminorum, homo & sedens, unus alteri non contradicuntur, si homo actu sedeat, nihil absurdum inde sequitur: & hoc modo sumptum possibile, respicit omnipotentiam, diciturque omnipotens, qui potest omnia, quae absolute & simpliciter sunt possibilia, i.e. quae non implicant contradictionem.

VII. Est & alia ambiguitas in hac voce, possibile. *Vel enim opponitur tantum impossibili, & comprehendit etiam id quod est necessarium, vocaturque à Scholasticis possibile alatum, & hoc modo possibile dicitur, quicquid in suo esse nullam involvit contradictionem: vel non tantum opponitur impossibili sed & necessario, quo sensu possibilia sunt, quae possunt esse & non esse. Cum dicimus, Deum per omnipotentiam posse, id omne, quod non implicat contradictionem, seu quod est possibile absolute, intelligendum id est, de possibili in sensu posteriori; nempe, id cadit sub omnipotentiam, quod est possibile, ita ut non sit necessarium, quia, possibile non necessarium, & id, quod est possibile fieri, sunt unum & idem. Quicquid enim est possibile, ut non sit necessarium, id potest esse & non esse, & hoc ipso potest fieri: & quicquid fieri potest, hoc ipso potest esse & non esse. Quare Deus ipse non est objectum sue omnipotentiae, quia Deus ita est ut non esse non possit, ideoque, nec a seipso, nec ab alio fieri potest, & omnipotentia tribuitur Deo, quatenus potest omnia alia a se distincta. Sed nec sub objecto comprehenduntur omnipotentiae divinæ, quæ important passionem in ipso, quia caret potentia passiva: sic Deus non potest mori, &c. Nam mori est pati. Ex hisce omnibus facile est refutare impia Plinii verba lib. 2. Hist. nat. c. 7. Imperfectorum in homine naturæ præcipua sunt solertia, ne Deum quidem omnia posse: nam, neg. sibi mortem consciere potest, si velit, quod honini dedit in tantis vita malis, nec mortales aternita-*

te donare, aut in vitam revocare defunctos, aut facere, ut, qui vixit, non vixerit, qui honores gessit, non gesserit, nec ullum habere in præterita jus, nisi obliviosus, atque (ut facies quoque argumentis societas cum Deo copuletur) ut bis dena viginti non sint. Hæc Plinius. Resp. Deum non posse, mortales facere immortales, aut defunctos in vitam revocare, falsissimum est. Quod vero Deus non posset mortem sibi consciere, nec valeat facere, ut, qui vixit non vixerit, qui honores gessit non gesserit, ut bis dena non sint viginti, ea non potest, quia non sunt possibilia: nam contradictionem implicant, ideoque sub objecto omnipotentiae divinæ non continentur: neque, ea non posse, vel tantulum derogat ei: de quavis enim potentia judicandum est ex suo objecto, estque illa potentia perfecta, in qua respectu sui objecti adæquati nullum est reperire defectum. Quemadmodum ergo nihil derogat visui, quod non possit percipere, vel odorem, vel saporem, neque recte infertur, hominæ carere visu, quod nequeat videre odorem aut saporem, quis odor & sapor non sunt objectum visus, sic nihil derogat potentia divinæ, quod mori non possit, nec licet inferre, Deus non est omnipotens, quia non potest ea facere, quæ contradictionem inferunt, quia talia sub objecto potentiae divinæ non comprehenduntur. Atque hæc serio observanda sunt contra Conradum Vorstium, quia tract. de Deo & attributis Dei, p. 290. non veretur statuere, potentiam Dei non esse prorsus infinitam, eo, quod non extendatur ad impossibilia. Certe, si ad impossibilia extenderetur, ne potentia quidem esset, quia, sicut scientia non dicitur nisi respectu libilium, sic potentia non dicitur nisi ratione possibilium: Et, si impossibilia sub aliquam caderent potentiam, hoc ipso non essent impossibilia.

VIII. Objiciat quis. *Deus non potest ambulare, edere, bibere, informare materiam. Ergo non potest omnia, quæ fieri possunt, & contradictionem non implicant. Conseq. prob. quia ambulare, edere, bibere, informare materiam, fieri possunt, neque contradictionem implicant. Resp. Consequens intelligi potest dupliciter. 1. Ut verbum (posse) latissime accipiatur, & quamlibet*

Habet potentiam , etiam passivam denotet , sicut accipitur , cum dicitur , aquam posse calefieri , & hoc modo non sumitur , cum Deus dicitur omnipotens & omnia posse : hoc sensu concedimus , Deum non posse omnia , quae fieri possunt , sc. ab homine , & quæ contradictionem non implicant à parte causæ secundæ , ut ambulare , &c. quæ tamen , quia potestiam connotant passivam , à Deo fieri nequeunt , & ex parte causæ primæ contradictionem implicant , si tribuatur ei , ita facere , quia in Deum potentia passiva non cadit .

2. Ut verbum (*posse*) importet potentiam mere activam , exclusa omni passione , & hoc modo negatur consequentia , quia posse ambulare , edere , bibere , &c. important potentiam passivam in iis , quæ denominant , & à quibus elicuntur : sunt enim quidam motus : sed id , quod movetur , patitur , & aliquid in se recipit : est enim motus actus entis in

potentia qua potentia . Informare materiam , licet non sit actus potentiae passivæ , non tamen etiam est actus potentiae activæ , quia est actus formæ , qua talis , & competit cause formalis , quatenus formalis est : Atqui causa formalis , ut sic , non agit ; aliqui causa formalis , qua talis , esset causa efficiens , & causarum genera confunderentur , que tamen ita sunt distincta , ut una , qua talis , alterius causalitatem supplere nequeat . Unde , licet ambulare , edere , bibere , informare materiam , sint possibilia , respectu sc. causarum secundarum , tamen Deum ambulare , edere , bibere , informare materiam , Deo sunt impossibilia , quia Deus pati non potest , nec ullius compositi fieri pars componens & causa interna , ut quidem forma facit , cum materiam informat . Sed hæc omnia cum Dei perfectio ne pugnant . Quare manet omnipotens , licet illa non possit .

### Disputationum ex Philosophia selectarum

*Voluminis Secundi ,*

TRIGESIMA-NONA,

D E

## POTENT. DEI ORD. ET ABSOL:

THEISIS I.

**D**eo adscripsimus Potentiam *disp. præced.* in se quidem unam ac simplicissimam , respectu tamen intellectus nostri , tum finiti , tum in intelligendo imbecillis , divisa , in ordinatam & absolutam : utramque definitivus , & ab objecto suo exposuimus , quod fecimus *possibile* , & variis modis distinctivimus : ei opponitur *impossibile* , quod ipsum suas quoque habet distinctiones , quas in medium proferemus , antequam quæstiones varias de Dei potentia proponamus . Possibile , vulgo vocant objectum omnipotentiae divinæ positivum Scholastici , & impossibile , negativum .

II. §. 1. *Impossibile* sic dicitur , *vel ex defe-*

*ctu potentiae agentis* , quod licet in se fieri possit , attamen propter imperfectionem & finitatem potentiae produci nequit , *vel ex defectu objecti* , quod in se & ex intrinseca sua ratione tale est , ut dicat repugnantiam ad esse , & sic fieri non possit . Priori modo nihil Deo est impossibile , non enim ideo hoc vel illud impossibile est , quia in Dei potentia defectus sit ad producendum illud , sed solum posteriori , quia in illo , quod impossibile dicitur , est repugnancia ad esse , ut produci nequeat ratione fui , atque ex defectu fui , quia esse non potest , & si illa repugnancia non esset in eo , potentia quoque divina firma & valens esset ad producendum illud .

S F

III. §. 2. *In-*

III. §. 2. *Impossibile est aliquid, vel secundum potentiam creatam, quod à creatura non potest produci, propter finitatem potentiae, quae est in ea; quia ratione impossibile est, ut res creetur ex nihilo, ut virgo pariat, &c. vel in ordine ad potentiam simpliciter, quod à nulla potentia, & sic ne à divina quidem, actuari potest, quia in se dicit repugnantiam ad esse. Sed hæc distinctio verbis tantum à priori differt, uti & illa, qua distinguitur inter impossibile naturæ & impossibile naturæ: illud est, quod usitatum naturæ cursum superat, ut, solemnitate, ignem non urere, &c. hoc, quod rei nature & definitioni repugnat, ac contradictionem implicat: Intelligitur hic utrobius impossibile posterioris ordinis.*

IV. §. 3. *Impossibile dicitur aliquid, vel in se ac ratione sui, vel ratione intellectus creatus, judicantis, illud esse impossibile: prius revera est impossibile; posterius non est tale nisi priori respondeat: neque enim illud statim est impossibile, quod intellectus noster impossibile judicat. 1. Quia intellectus noster non est mensura mensurans impossibile, sive non est ratio, cur aliquid dicatur impossibile: non enim, quia intellectus cognoscit impossibile, est tale, sed, quia impossibile esse presupponitur, ita ab illo cognoscitur: sicut contra, res dicitur possibilis, non ideo, quia eam intellectus possibilem judicat, sed quia alias extra intellectum possibilis erat in se: intellectus enim noster in cognitione dependet ab objecto cognito & mensuratur ab eo, non contra objectum dependet aut mensuratur ab intellectu. 2. Sicut intellectus sœpe errat in cognitione possibilium & entium, ut illa falso cognoscat, cur etiam non possit errare in cognitione non entium & impossibilium, & illud dicere impossibile, quod in se est possibile. 3. Sicut ratio non potest cognoscere infinitam Dei essentiam, ita nec infinitam ejus potentiam, quidditative sc. & adequate; consequenter, nequit etiam cognoscere multa à Deo producibilia, quæ nobis videntur improductibilia. 4. Si dicamus, ea non posse Deum, quæ non apprehendit eum posse intellectus noster, et si non involvant contradictionem, actum erit, de summis nostræ religionis capi-*

tibus. *Quid enim difficultius est nostro intellectui, quam apprehendere, Sacrofancie Trinitatis in essentiæ unitate, duarum naturarum Christi in unitate personæ, Mysterium? quid ægrius aut mirabilius ipsi, quam Deum esse passum: & tamen hæc sunt dogmata fidei nostræ, quæ hac de causa, quod cum intellectus iudicio non congruant, ut impossibilia & contradictionia, hæretici ac pagani rejiciunt. Nunc quæstiones quasdam circa potentiam Dei ordinatam & absolutam discutiamus.*

V. In Deo esse potentiam, & illam quidem infinitam, seu omnipotentiam, assertum est vol. I. disp. select. 22. Quæritur, I. *An demonstrari illa possit ratione naturali?* Aff. & prob. §. 1. Omnis potentia activa, est secundum modum & actum formæ substantialis, à qua procedit, sicut ignis habet potentiam ad calefaciendum pro ratione caloris à quo procedit calefactio; &, quo res est calidior, eo majorem habet potentiam calefaciendi. Sed divina essentia, à qua procedit potentia agens, est infinita: Ergo & virtus, quæ fundatur in hac essentia, debet esse infinita. Valet itaque argumentum. Forma, per quam Deus agit, est infinita, Ergo & ejus potentia est infinita. Conseq. prob. *Quia in omnibus agentibus videmus, quod, quanto agens perfectius habet esse & perfectiore formam, tanto major sit ejus virtus in agendo: unde, si agens haberet calorem infinitum intensive, haberet etiam vim calefaciendi infinitam.* Ergo cum forma, per quam Deus agit, sit infinita, sequitur, quod ejus potentia ad agendum quoque sit infinita: Sed forma, per quam Deus agit, est ejus essentia. Hæc autem est infinita. Ergo, &c.

VI. §. 2. Deus potest efficere, quicquid est in potentia passiva creaturæ. Ergo est omnipotens. Prob. antecedens: quia in potentia passiva creaturæ est omne illud, quod non repugnat enti creato, sicut in potentia passiva est hominis, quicquid non repugnat naturæ humanae. Conseq. prob. nam cuilibet potentiae passivæ respondet potentia activa agentis, per quam possit reduci ad actum; alioquin otiola esset illa potentia passiva, si nulla esset activa, quæ eam reducere ad actum posset.

Sed

Sed in rerum natura nihil est otiosum. Ergo ponenda est potentia activa in Deo, quæ poslit reducere in actum, quicquid est in potentia entis creati.

VII. §. 3. Virtus, que ex natura sua non determinatur ad unum effectum, potest omnia agere & omne possibile efficere. Sed virtus divina ex natura sua non determinatur ad unum genus effectuum, neque ad hos aut illos effectus in aliquo genere. Ergo virtus divina omnia potest agere. Sed hoc est esse omnipotentem. Ergo, &c. Major prob. Quoniam illa virtus, quæ non determinatur ad unum producibilis genus, nec ad hæc aut illa producibilia, habet pro objecti formalí producibile simpliciter & absolute: ideoque potest omnia. Sed virtus divina est ejusmodi, quia est virtus illimitata. Ergo potest omnia producibilia. Ergo Deus est omnipotens.

VIII. §. 1. Omnis perfecta virtus se extendit ad omnia, ad quæ proprius ejus effectus se potest extender. Sed esse est proprius & per se effectus Dei. Ergo virtus Dei potest omnia illa, quæ possunt habere esse. Sed omne possibile simpliciter potest habere esse. Ergo virtus divina potest id omne, quod est possibile simpliciter. Atqui hoc est, esse omnipotentem. E. Deus est omnipotens.

IX. Ex dictis duo sequuntur. 1. Res intrinsecæ & formaliter in seipso esse possibles & impossibles: possibiles quidem, quia non repugnat illis esse, ex sua ratione formali, impossibiles vero, quia repugnat illis esse ex sua ratione formali, etiam circumscripto omni ordine, & omni respectu ad agens: extrinsecæ autem res dicuntur possibiles aut impossibiles, per respectum ad agens; possibiles quidem, quia possunt fieri ab agente; impossibiles, quia per nullius agentis potentiam fieri possunt. Atque ita judicandæ sunt res possibiles, aut impossibiles, extrinsecæ in ordine ad causam efficientem.

X. Sequitur 2. Omnipotentiam Dei non posse communicari ulti creaturæ, ne humanae quidem naturæ in Christo. 1. Quia objectum formale omnipotentiae est omne possibile absolute. Sed virtus & potentia creaturæ non potest attingere omne possibile absolute; alioquin,

cum ipsi potentia creaturæ sit de numero possibilium, sequitur, quod possit etiam seipsum producere: Sed hoc est impossibile. E. Omnipotentia non potest communicari creaturæ.

2. Potentia consequitur essentiam, ergo potentia infinita sequitur essentiam infinitam. Sed essentia creaturæ infinita, nec est, nec potest esse. Ergo nec potentia. 3. Omnipotentia est potentia ad omnia sufficiens & in nullo deficiens: Sed potentia creaturæ non est talis. Ergo, &c. Prob. min. Potentia creaturæ non est sufficiens ad producendum aliquid ex nihilo, quia creatura semper supponit subiectum, in quo operatur; deinde potest ejus potentia impediri ne operetur, ergo in aliquo potest deficere: denique creaturæ potentia est dependens ab influxu & concurso Creatoris. Sed hic ei subtrahi potest. Ergo illa deficere potest. Ex hisce nunc patet facile, Christo, qua homini, non posse communicari omnipotentiam; cum natura humana sit creatura, sit finita, nec possit seipsum producere, nec aliquid ex nihilo facere, dependat à divina natura, non tantum in subsistendo, sed & in operando, qua omnia cum natura omnipotente pugnant. Quod objicunt Mattb. ult. cap. Christo datam esse omnem potestatem in celo & in terra. Relp. 1. Aliud est ἡγεμονία, aliud δύναμις; aliud potestas, aliud potentia. De priori, quæ est idem quod authoritas, loquitur locus: de posteriori est questio.

2. Dicit Christus: Mihi, non meæ naturæ humanae, sed Mihi γένερος, ut Mediatori, data est omnis potestas, ut Redemptori generis humani, in ordine ad Ecclesiam, & ad omnia, quæ sunt necessaria ad ejus gubernationem, conservationem, regimen, &c. 3. Respondent nonnulli, Christo datam esse omnem potestatem, &c. quia per illum & in ipso manifestata est singulari modo omnipotentia Dei ac sua, per miracula, &c. à se edita: res enim sæpe dicitur fieri & dari, quando innotescit & manifestatur, quia omnipotentia Dei ante Christum in carne manifestatum non erat ita cognita, uti eam quidem operibus suis Christus manifestavit.

XI. Quæritur §. 2. An actualis seu efficax atque operans potentia sit idem, quod potentia

*ordinata?* Resp. Non est: utcunque sic videatur *Dottiss. Polano in synt. Theol.* Nam hæc latius se extendit quam illa: neque enim semper de facto & actu operatur, quæ tamen operari potest potentia ordinata per media ordinaria secundum ordinem naturæ legesque à semet in ea positas. Potest huic aut illi familiico succurrere, huic aut illi ægro mederi, ope aliorum hominum ac medicamentorum, potest fauciato citius sanitatem restituere, & hoc aut illud effectum dare, ordinaria via per creaturas, & tamen sæpe non facit: attamen nihil eorum excedit potentiam Dei ordinata.

XII. Quæritur 3. *An Deus possit quædam de potentia, quæ non possit de justitia?* Relp. Di-

singuatur justitia juris divini positivi ac revelati, à justitia juris divini, Deo naturalis: priori sensu potest, posteriori non potest; quia nihil potest quo vel illa, vel ullum ex suis attributis, luxetur, tollatur, negetur: hoc enim si posset, posset contradictoria. At ista non potest, ut jam ante est visum.

XIII. Quæritur 4. *An potentia & voluntas Dei æquale pateant?* Resp. Quæcumque Deus vult ea potest, sed non statim, quæcumque potest, vult; multa potest potentia etiam ordinata, quæ nunquam vult, sed quam plurima potest potentia absoluta, quæ nunquam voluit; nec unquam vult, ut excitare filios Abraham ex lapidibus, &c. Cætera de *Potentia Dei in seq. disp.* excutientur.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

*Voluminis Secundi,*

### QUADRAGESIMA,

*D E*

## POTENT. DEI ORD. ET ABSOL.

### THEISIS I.

**A**N sit, quid sit, &c, quotplex sit, *Potentia Dei*, gemina excusum est *disp.* *Potentia Dei* respondere diximus possibile; consequenter, *Deum non posse impossibilia, & tamen plura posse quam vult. Impossibilia diximus esse, quæ implicant contradictionem: hec ne sub absolutam quidem cadunt potentiam, quia nunquam simul esse vera possunt, ideoque nunquam quoque à Deo simul fieri possunt. Talia sunt omnia, quæ pugnant, cum proprietatibus Dei, vel essentialibus, vel personalibus, aut cum natura rerum, sic, ut si fiant, vel fieri possint, vel Dei, vel rerum natura, evertatur. Quo sensu, *Apostolus*, 2. ad Tim. 2. de Deo dicit, quod abnegare se non possit. Quod fundamentum assumeremus ad probandum, Deum non posse omnia, sine exceptione, sine contradictionem implicent, sine non: contra quam sentit *Ioh. Gerardus in Methodo Studii**

*Theol. p. 122. & seq. & nonnulli alii, ut unum corpus posse esse in pluribus locis, propria posse separari à subjectis, quin & aliis communicari, similiaque opinionum monstrantur.*

II. §. 1. Deus non potest negare suum intellectum. Sed si posset facere contradictoria, negaret suum intellectum: affirmatio enim & negatio cadunt in omnem conceptum, etiam divinum, ita ut is sit, vel affirmativus, vel negativus, affirmativus autem ac negativus, simul eodem respectu esse non potest. Hinc fit, ut verbum Dei, quod fluit ex illo conceptu, non possit esse ita & non. Sed si Deus posset facere contradictoria, potest ejus conceptus simul esse affirmativus & negativus; alioquin rei ipsi conformis esse non posset: nam contradictio est affirmatio & negatio eiusdem de eodem. Profecto, si ad perfectionem

ctionem intellectus humani requiritur, ut sit conformitas inter ipsum & rem quam cognoscit, multo magis id requiritur in intellectu divino, qui eminenter in se habet omnem perfectionem, quæ est in intellectu quovis creato. Nec valet exceptio; non esse necesse, ut intellectus divinus conformetur objecto intelligibili, sed objectum intelligibile conformari debere intellectui divino, ita ut, si intellectus divinus contradictione careat, etiam in objecto tollatur contradictionis statim atque sub intellectum cadit. Hæc, inquam, exceptio locum non habet: quia, eti res facta, sequatur intellectum divinum, utpote, quæ prius est in Deo, quam in se, tamen, postquam facta est, concipit eam intellectus Dei, ut in se est. Si igitur Deus fecit contradictionis, concipit ea etiam ut contradictionia. Sed hoc est absurdum, nam conciperet de eadem re ita & non. Ergo, salvo manente intellectu Dei, non potest flatui, plura eum posse facere contradictionia.

III. §. 2. Deus non potest negare voluntatem suam; sed, si Deus facere posset contradictionia, negaret voluntatem suam: Vult enim esse quam facit, & ita ut facit: ergo vellet negationem rei ejusdem simul & affirmationem, quia utramque simul faceret: sed talis voluntas Deo repugnat.

IV. §. 3. Deus non potest negare potentiam suam: at, si Deus posset facere contradictionia, negaret suam potentiam: nam unumquodque ens agendo, producit sibi simile, faltem quantum ad summam illam rationem entis pertinet: per consequens, non potest Deus producere contradictionem, seu, id, quod simul implicat esse & non esse: hoc enim postremum est non ens: at Deus nihil est nisi ens.

V. §. 4. Deus non potest negare suam immutabilitatem: sed hoc fieret, si contradictionia faceret aut facere posset: nam id, quod, verbi causa, negativum est & falsum, secundum veritatem à Deo plantatam in ratione & logica humana, abjeceret & abjecere posset facilitatem, ac mutaretur & mutari posset in veritatem in intellectu & logica divina; & sic Deus mutabilis esset.

VI. §. 5. Deus non potest negare simplicitatem suam: negaret autem, si contradictionia ab eo fieri possent: esset enim in ipso compositio duplicitis veritatis, naturalis scilicet, secundum quam, v. c. negativum contradictionis membrum esset verum; & supernaturalis, secundum quam affirmativa ei contradicens esset vera. Certum quidem est, veritatem distinguere in naturalem & supernaturalem, sed hæc non est divisio generis in species oppositas, sed distinctio rei unius ejusdemque in fuos modos: Est enim una proprie tantum veritas, quæ ut in natura est debilis & per corruptionem peccati propemodum sapientia, ita per gratiam & revelationem celestem, non oppugnatur, sed in integrum, quantum in hac vita satis est, restituitur.

VII. Argumenta Joh. Gerardi in Meth. Stud. Theol. p. 122. &c. quibus probat, Deum posse facere contradictionia, sunt petita, partim ex Scriptura, partim ex ratione. Ad loca Scriptura breviter dicimus, (quia hoc Theologos spectat) Genes. 18. 14. Matth. 19. 26. Luc. 18. 26. sermonem esse de omni re seu ente, quod Deum omnino posse, extra controversiam est, non autem loqui de non-ente, quale est contradictionis. Eadem est loci ratio, Luc. 1. 38. ubi dicitur πᾶν ἡμῖν omne verbum, hoc est, Ebraismo noto, בְּלִרְבָּר, omnis res, &c in specie, illa, quæ promissione Dei & verbo illius firmata est, ut hoc in loco. Sententia ergo nostra non pugnat cum verbo Angeli dicentis, non erit impossibile apud Deum verbum omne: id enim, quod contradictionem implicat, verbum esse non potest, quia nullus intellectus illud potest concipere. Zach. 8. 6. Sermo est, de eo quod Deus promiserat, & velle se declaraverat, nimirum, de restitutione Hierosolymorum temporali, post captivitatem Babyloniam, & verò imprimis de spirituali: & sic pariter, non ad rem allegatur iste locus: constat enim, Deum omnia posse quæ vult. Ephes. 3. 20. dicitur Deus facere posse ~~ratione~~ <sup>potest</sup> super omnia, ~~ratione~~ <sup>potest</sup> superabundanter, quam peimus aut intelligentiam. Ex quo non sequitur, Deum posse contradictionia: aliud est, supra rationem & naturam facere, aliud, contra: illud Scriptura

dicit, non hoc illud Deus citra controversiam & potest & facit in plurimis, non hoc.

VIII. Rationes sunt. §. 1. Si Deus potest facere ea, quæ superant intellectum nostrum, utique etiam facere potest ea, quæ in nostra Logica contradictionem implicant. Resp. Neg. conseq. & ratio est, quia, quæ superant intellectum nostrum, non statim evertunt naturam, vel rerum vel proprietatum divinarum. Legantur Parag. 78. & 79. l. 1. secl. 2. Partit. Metaph. Iacobi Martini, ubi accurate docet, aliud esse, supra, aliud, contra naturam, & in quo illa diversitas consistat, atque insuper fundamentum ponit, cur Deus non possit dici contra naturam agere, quia sc. natura ei non repugnat.

I X. §. 2. Si Deus omnia sua absoluta potentia potest, nihil certe possibile excipitur. Resp. concedimus totum: sed contradicatio ex possibilium genere non est, ut ostensum est disp. præced. & hac. Quod addit, aut monstretur, quid Deus absoluta sua potentia non possit. Resp. Frustra hoc exigitur ab Orthodoxis, cum eorum nemo dixerit, Deum non posse omnia possibilia; Cæterum impossibilia monstrari possunt, satis multa, quæ Deus facere non potest, sc. seipsum abnegare, mentiri, mori, edere, bibere, ut praeteritum non sit praeteritum, de quibus jam obiter actum in disp. præced. & fuisus agetur in seq. Et de hac diximus potentia, Deum non posse omnia illa, quæ naturam, vel suam, vel rerum, evertunt. Videatur Zanchius lib. 31. de natura Dei. c. 1. & Polanus l. 2. c. 29. Synt. Theol.

X. §. 3. Si Deus potest facere impossibilia apud homines, etiam facere potest impossibilia apud rationem nostram, quia intelliguntur, non solum impossibilia factu, sed & impossibilia cogitatu. Resp. Conceditur major, de ratione sumta concretive, prout est in hoc vel illo homine: sæpe enim judicat ratio humana Petri, Pauli, Johannis, &c. aliquid esse Deo impossibile: negatur autem de ratione abstractive sumta, non quod ratio abstractive sumta judicet aliquid Deo impossibile, sed ideo, quia ratio judicat Deo omnia esse possibilia, id est, quæcumque rationem entis habent: quia igitur vera ratio, non judicat, Deo aliquod ens

essi impossibile, sed contra censem, Deum omnia posse, hinc falsum est, Deum posse, impossibilia apud rationem nostram: cum enim ratio dicat, Deo esse aliquod ens impossibile, hinc certe dici non potest, Deum ea posse, quæ ratio judicat impossibilia esse: id quod verum est, non solum de ratione sumta abstractive, sed etiam, prout ea est concretive in quibusdam hominibus, h. e. illis, qui veram ac rectam sequuntur ducem, cum enim dicimus, rationem concretive sumtam errare circa objectum potentiae divinae, non id intelligendum est de omnibus hominibus, et si enim errare omnes possint homines, non tamen omnes in eo errant, sed illi tantum, qui à luce rationis recta recedentes, tenebris suis se tanquam pallio involvunt, ii autem, qui veritatem Dei, in natura patefactam, & Scriptura confirmatam, ducem fidelem, constanter recte de Dei potentia judicant.

XI. §. 4. Si Deus absoluta sua potentia ad contradictionem Logicam legemque humanæ rationis non sit alligatus, Ergo potest contradictione. Sed verum est prius. Ergo, &c. Resp. Conceditur antecedens majoris, seu minor: neque enim nos dicimus aut statuimus, Deum esse alligatum ad Logicam humanam: sed neg. conseq. quia Deus immutabiliter, & semper verax est, sive in natura, sive in Scriptura, loquatur, cui veritati potentia Dei absoluta non repugnat: at talis non esset, si contradictione posset.

XII. Quod distinguat, inter contradictionem Logicæ, divinæ seu Dei, longe lateque captum nostrum transcendentis, & inter contradictionem Logicæ, humanæ seu hominis, captum humanum non transcendentis, id est ut in præcedentibus ipse se declarat, Deum non posse facere absolute & simpliciter contradictione, posse tamen facere ea, quæ in Logica nostra implicant contradictionem. Resp. Verum esse, quod intellectus divinus, quem hic Logicam divinam appellat, transcendet & infinitis modis superet intellectum humanum & Logicam nostram, inde tamen non sequitur, Deum posse omnia ea, quæ in Logica nostra contradictionem implicant: tum demum illud sequeretur, si Deus aliquid contra Logicam veram, rationem nam,

nam, veritatem in natura plantatam , aliquid conciperet, diceret, faceret; quod non posse Deum, ostendimus: Logica quidem nostra in veritatis adæquatione deficit, ita ut totam veritatem divinam non contineat, nec ad omnia sese extendat, aut sufficientes de iis conceptus formet; sed non potest aliquid contrarium statuere veritati divinæ: & vice versa, Scripturæ atque intellectus divini veritas, plura, imo infinita, supra naturam & Logicam nostram continent, ac concipit, sed nihil contra eam: cum enim alterutrum contradicentium sit falso, Logica nostra sic

contineret falsum aliquid, quod repugnaret veritatibus divinis; immo veritas Dei sibi ipsi repugnaret, quæ eadem est, naturæ & Scripturæ, rationis & revelationis, Philosophiæ ac Theologiæ, Logica humanae ac divinæ, ut, quod in una est falsum & contradictorium, tale fit quoque in altera. Quod denique addat, distingendum esse inter ea, quæ sunt supra terminos Logice & rationis, & inter ea, quæ sunt intra eos & à ratione percipi possunt. Resp. Illa ad rem non faciunt: et si enim talia supra rationem sunt, non tamen contra eam.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

Q U A D R A G E S I M A - P R I M A,

D E

## P O T E N T I A D E I.

### T H E S I S I.

**E**xposuimus Disputationibus aliquot, Potentiam Dei, eam qualicunque modo describendo, & in absolutam atque ordinatam distribuendo. Nunc animus est, quaestiones quasdam illustres de ea movere ac dissolvere. Prima erit. *Vtrum ad præterita sit Dei Potentia?* i. e. *An Deus posset facere, ut præterita non fuerint?* Resp. 1. Deus non potest efficere, ut id, quod est simpliciter & absolute præteritum, non fuerit præteritum: & hoc non provenit ex defectu divinae potentiae, sed ex defectu rei, quia contradictionem implicat. Cum enim Deus sit infinite perfectus, nullus potest esse defectus ex parte Potentiae Dei: ideoque, quicunque Deus dicitur aliquid non posse, non dicitur ideo, quod amiserit potentiam, quam prius habuit; Potentia enim Dei uti non potest augeri, ita neque potest minui; est namque invariabilis atque immutabilis: sed ideo est, quia objectum amiserit rationem possibilis, quam ipsum prius habuit. Unde sic argumentamur.

II. §. 1. Præteritum non fuisse, non habet rationem possibilis. Ergo non subiacet objecto divinae Potentiae. Ergo à Deo fieri nequit ut præteritum non fuerit. *Prob. anteced.* Quia, præteritum non fuisse, involvit contradictionem & repugnantiam, nempe, fuisse & non fuisse: nam bene sequitur (*Præterit, ergo fuit*) &, ex suppositione, quod præteritum adhuc sit possibile (*nunquam fuit*) Ergo fuit & non fuit. Ergo est contradicatio. At contradictionia sunt impossibilia, objectum vero Potentiae divinæ sunt possibilia, ut *disp. præced.*, est demonstratum. Ergo, præteritum non fuisse, non est possibile.

III. §. 2. Deus revelavit Moyxi Adamum fuisse, ergo, si Deus potest efficere, ut Adamus nunquam fuerit, sequitur, Deum fuisse mentitum, quod est blasphemum. Si neges consequiam; quia, si Deus efficeret, Adamum nunquam fuisse, simul efficeret, revelationem illam non extitisse: regero, hoc minime sequi: quia, Adamum fuisse, & revelatione illa facta,

facta, quod Adam fuerit, sunt duas entitates & duas res distinctae, quarum una non est alteri intrinseca: unde sequitur, quod Deus unam illarum possit destruere, altera non destrueta, ac proinde efficere poterit, ut una non fuerit, interim non efficiendo, quod altera non fuerit. Ex quo sequeretur, Deum fuisse mentitum, quod blasphemum esse statim diximus.

V. §. 3. Si Deus possit facere, quod nunquam Mundus fuerit, haec veritas ponatur in esse, ut Deus hac hora per suam Potentiam efficiat, mundum nunquam fuisse; qua data hypothesi, haec est bona consequentia: nunc factum est à Deo, quod mundus nunquam fuerit; ergo mundus nunquam fuit: sed, antequam Deus hac hora illud faceret, mundus fuit. Ergo mundus fuit, & non fuit, quod implicat contradictionem.

V. §. 4. Si Deus possit efficere, præteritum non fuisse, aut efficeret illud positive, h. e. faciendo illud vel aliquid circa illud, aut negative, nihil efficiendo aut agendo. Non priori modo; nam quamvis rem illam de novo faceret Deus, vel aliquid circa illam, inde tamen non sequeretur, quod illa non fuerit prius, quandoquidem jam est præterita: non posteriori modo, quia, cum verum sit, rem illam jam fuisse, si Deus nihil ageret, neque immutaret illam, aut aliquid circa illam, semper verum esset (uti nunc est) rem illam fuisse. Ergo res præterita non potest non fuisse; & consequenter, præteritum non fuisse, non includitur in objecto divinæ omnipotentiae.

VI. §. 5. Sicut se habet album, prout stat sub albedine, ad ipsum esse album, ita se habet præteritum, prout stat sub præteritione, ad esse præteritum: sed album, prout stat sub albedine, non potest non esse album: Ergo præteritum, prout stat sub præteritione, non potest non esse præteritum.

VII. §. 6. Quando aliiquid est determinatum ad esse in actu, non potest non esse pro illo tempore, in quo est; quia omne, quod est, quando est, necesse est esse: ergo multo magis licet inferre, quando aliiquid est determinatum ad fuisse, omne, quod fuit, pro tem-

pore, quo fuit, necesse est, fuisse. Ergo Deus non potest facere, quod non fuerit.

VIII. 2. Non est etiam in Deo Potentia ad præteritum; quod pendet ex aliquo futuro, i. e. Fieri non potest, ut, quod semel præteritum est, quamvis habeat connexionem cum aliquo futuro, possit fieri non præteritum. V. C. Deus revelavit, Antichristum fore, & revelatio ista jam est transfacta & præterita: ideoque fieri non potest, quod Deus non revelaverit, quamvis ipsa propositio revelata (*Antichristus erit*) sit de futuro ut contingenti. Et hanc assertionem sic probamus.

IX. §. 1. Quid propositio haec (*Antichristus erit*) sit de futuro, id non tollit, quo minus revelatio sit de præterito, i. e. jam sit præterita & transfacta; unde impossibile est, quod non præterierit: & sic, si Deus possit facere, ut illa revelatio jam præterita non præterierit, potest facere contradictionem, contra disp. preced. & th. 2. hujus.

X. §. 2. Tanta necessitate præteritum est præteritum, ut Deus non possit facere, quod præterita non fuerint: ergo tanta necessitate, revelatum est, ut Deus non possit efficere, revelatum nunquam fuisse revelatum: *Prob. conseq.* quia talis revelatio jam transit in præteritum, quamvis res revelata sit futura: nam enunciatio vocalis de futuro jam pronunciata, non minus transit in præteritum, quam propositio vocalis de præsenti: non enim est minus præterita haec propositio revelata, *Antichristus erit*, quam haec, quam dixit Adam, *Hoc nunc est os de ossibus meis, & caro de carne mea*.

XI. §. 3. Non magis pugnant haec duæ propositiones, *Deus revelat, & Deus non revelat*, quam haec, *Deus revelavit, & Deus non revelavit*: sed implicat contradictionem, quod revelatio, qua Deus revelat Antichristum fore, non sit revelatio, pro illo tempore, quo revelat: ergo etiam implicat contradictionem, quod revelatio, qua revelavit, Antichristum fore, non fuerit revelatio, pro illo tempore, quo revelavit, ipsum fore, ideoque mera est contradictionem, quod talis revelatio nunquam fuerit revelatio, cum jam facta fuerit.

XII. Se-

XII. Secunda quæstio est; *An Deus possit facere alia quam facit, aut illa, quæ non facit, nec facturus est?* Resp. Qui dixerunt, Deum non posse facere, nisi ea, quæ facit, illi posuerunt, Deum agere ex necessitate naturæ: unde sic argumentabantur: Agens ex naturæ necessitate non potest alia facere, quam quæ facit. Sed Deus est agens ex necessitate naturæ. Ergo &c. Major facile probatur exemplis: ex semine canis non potest provenire nisi canis, ex igne non nisi calor. Sed enim *Minor* probanda veniebat: contra quam nos sic inferimus. Qui agit per voluntatem non determinatam ad certum rerum ordinem, non agit ex necessitate naturæ. Sed Deus sic agit. Ergo &c. Et probatur amplius. Deus est agens primum. Sed, quod agit ex necessitate naturæ, non est agens primum. Ergo Deus non agit sic. *Major* est clara apud omnes. *Minor prob.* Nullum agens ex necessitate naturæ determinat sibi finem, verum magis determinatur ad finem ab alio. Sed Deus ipse sibi determinat finem, nec aliunde ad illum determinatur. Ergo &c. Et fane nobilissimus modus agendi Deo adscribi debet. Is autem est, agere libere, & non ex necessitate naturæ. Ergo &c.

XIII. Hinc jam sequitur conclusio: Si Deus agat libere & non ex necessitate naturæ, Deus potest alia facere, quam quæ facit: est enim hoc libertatis divinæ in operando ad extra, agere vel non agere, & agere hoc aut aliud. *Prob. Assertio 1.* Quod agens non possit aliud facere, quam quod facit, id contingit, vel ex defectu alicujus principii requisiti in agente, vel ex suppositione alicujus, unde sequitur repugnatio in actione. Primum dici non potest: quia Deus non potest includere defetum, ex parte principii activi & efficientis. Nec secundum: nam supposito, quod Deus non vellet alia facere, quam quæ facit, & quod decreverit & praesciverit, ita non facturum alia, quam quæ facit; potest tamen absolute alia velle, consequenter, & alia facere.

XIV. 2. Ille, cuius sapientia & potentia non limitantur ad aliquem determinatum ordinem, non solum potest facere ea, quæ facit, sed etiam ea, quæ non facit. At Dei sapientia

& potentia non limitantur ad aliquem determinatum ordinem. Ergo Deus potest facere, non solum, quæ facit, sed & ea, quæ non facit. *Minor prob.* Qui facit res propter finem, ipsis rebus improportionatum & superexcedentem, ejus sapientia & potentia non limitantur ad aliquem determinatum ordinem: tota enim ratio ordinis, quam sapiens rebus à se factis imponit, desumitur à fine. Sed Deus facit res propter finem improportionatum rebus, qui est ipsa sua bonitas. Ergo sapientia & potentia Dei non limitantur ad hunc ordinem rerum, sed multa alia, imo infinita potest facere Deus, quam quæ facit. Et cur non possit à Deo procedere alius rerum ordo, quam qui nunc est, ut possit alia facere, quam quæ secundum ordinem rerum à se institutum nunc facit?

XV. Sed tota hæc quæstio optime deciditur ex fundamentis *preced. disp. iactis*. Aliud est, Deum aliquid posse facere secundum potentiam ordinatam & de lege. Aliud, aliquid posse facere secundum potentiam absolutam. Illud Deus dicitur posse facere de potentia ordinata, quod potest, stante sua ordinatione; & de lege, quod potest, secundum decretum ac voluntatem suam, qua ab æterno voluit hæc aut illa facere. Illud vero dicitur Deus posse de potentia absoluta, quod simpliciter potest, non animadversa sua voluntate, sed spectata tantum sua potentia ac possibilitate & non repugnantia rei; quale est omne illud, quod non implicat contradictionem. Deus non potest plura facere, quam facit, si species potentiam ordinatam; Deus enim, quæ voluit, fecit. At longe, imo infinites plura potest facere, quam quæ facit, si species potentiam absolutam: potuit enim plures planetas & stellas condere, quam condidit, & plura elementa, & plura specierum singularium individua produxisse, quam produxit, & plures huic aut isti homini concessisse liberos, quam concessit, &c. Quenam autem illa fint speciatim, quæ ne per absolutam quidem potentiam possit facere Deus, i. e. quenam contradictionem implicit, ut fieri nequeant ullo modo, alterius est indaginis ac temporis.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

Voluminis Secundi,

QUADRAGESIMA-SECUNDA,

DE

## POTENTIA DEI.

## THEISIS I.

**Q**uestiones duas de *Potentia Dei* decidit Disputatio precedens, 1. *An possit facere us præterita non fuerint?* 2. *An possit facere alia & plura quam fecit?* Nunc ad alias transimus ac quærimus. 3. *An possit meliora facere ea quæ fecit?* & in specie, *An potuerit facere mundum meliorem, quam fecit?* Ad utramque questionem ut respondeamus; quædam ad clariorem intelligentiam sunt distinguenda & tenenda.

I. §. 1. Bonitas alicujus rei est duplex. Una quidem, quæ est essentialis, ut esse rationale, est bonum homini, tanquam pars essentialis ejus. Altera vero est extra essentialiam rei, sicut esse sapientem, esse justum, est bonum homini, sed quod extra essentialiam est hominis.

§. 2. Deum posse rem facere aliquam meliorem quam fecerit, potest dupliciter intelligi: uno modo, ut sit sermo de eadem re, *An scilicet Deus possit facere unam aliquam rem, puta hominem, meliorem, quam fecerit?* Altero modo, ut sit sermo de diversis rebus; *An scilicet Deus possit facere, quacunque re facta, aliam meliorem?*

§. 3. Mundum posse fieri meliorem, potest intelligi, tripliciter, 1. quantum ad substantiam partium, 2. quantum ad earum proprietates & accidentia, 3. quantum ad earum ordinem. Primum dupliciter potest intelligi: vel quoad esse quidditativum & rationem specificam, vel quoad melioritatem quantitativam, ut sic loquamur, sive intensivam, sive extensivam: priori modo, una anima in rebus naturalibus est melior alia; posteriori modo, libra aurum est melior uncia. Secundum etiam potest dupliciter intelligi: vel de partibus mundi in se; vel de iisdem in ratione ad finem & ad se

invicem. Tertium etiam potest intelligi dupliciter, quia duplex est ordo partium in mundo: unus est earum in toto; alter earum ad finem: unus Dei sapientiam maxime, alter Dei bonitatem manifestat: isti tamen duo ordines sunt inter se connexi; sic enim ordinantur partes in toto universo, ut congruit earum ordini in finem.

III. Nunc primum in thesi, *mox* in hypothesi, questionem decidamus. In genere §. 1. *Deus non potest facere unam rem meliorem, quam fecerit, bonitate essentiali.* Sicut enim se habet additio unitatis in numeris, sic se habet additio differentiarum essentialium in definitionibus. Sed additio unitatis non facit numerum quem meliorem, verum potius variat speciem numeri: additio quippe unitatis ad quaternarium non facit quaternarium meliorem, sed constituit aliam speciem numeri, nempe quinimum: Ergo additio differentiarum essentialium, non facit rem essentialiter meliorem, sed mutat ejus naturam: ideoque, impossibile est, rem aliquam reddi meliorem essentialiter. §. 2. *Deus potest facere rem aliquam meliorem accidentaliter, quam facit.* §. 3. *Deus, quacunque re facta, potest facere meliorem.* Neque enim Dei potentia coarctatur ad hunc numerum, neque ad has aut illas perfectiones vel perfectionum gradus.

IV. In specie. §. 1. *Deus potuit alium mundum meliorem facere, quantum ad substantiam partium, melioritate quidditativa, quam hic est, sed non hunc ipsum jam productum.* Prima pars hujus assertionis patet, quia bonitas quidditativa quarumcunque partium hujusmodi, est finita: sed omni bono finito potest melius cogitari: Deus autem plus potest facere quam intel-

intellectus noster cogitare. Ergo potest facere alium mundum ex partibus melioribus secundum suas rationes quidditativas, quam est mundus hic. Secunda pars assertionis clara est ex jam dictis, quia quilibet gradus essentiae seu quidditatis variat speciem, sicut quilibet unitas variat speciem numeri: habent enim se species sicut numeri, docente *Arist. 9. Metaph. §. 2.* Deus potuit facere hunc mundum meliorem, melioritate quantitativa, tam extensiva, quam intensiva. Primum liquet, quia potuit facere cælum majoris amplitudinis & extensionis, quam fecit, uti etiam elementa: potuisse facere omnia corpora humana magnitudinis giganteæ: & ita dici potest similiter de partibus mundi aliis. Secundum etiam manifestum est, quia potuisse animas rationales hominum fecisse perfectionibus pluribus intensivis, quead quantitatatem perfectionis aut virtutis, prædictas & ornatas, atque, ut Scholasticorum nonnulli assertur, tam intensive perfectas, uti fuit anima Christi. §. 3. Deus potuit hunc mundum simpliciter facere meliorem, quantum ad proprietates & accidentalia partium, secundum se consideratarum. Potuit namque facere Solem lucidorem, uti & Lunam. §. 4. Non potest Deus hunc mundum facere meliorem, quantum ad ordinem partium in toto, & quantum ad ordinem in finem. Uterque enim hic ordo est optimus: optimo autem nihil potest esse melius: in universo unaquæque pars est ordinatissime & ornatissime in suo situ, & omnes ordinantur ad finem optimum, gloriam Dei.

V. Opponitur hic axioma aliquod. Illud, quod fit potentissime & sapientissime, non potest fieri melius: Sed Deus omnia facit potentissime & sapientissime. Ergo non potuit fecisse quid melius. Resp. Quando dicitur, Illud, quod fit sapientissime & potentissime, non potest fieri melius: hoc dupliciter potest intelligi. Primo, ut non melius sit nomen, & significet rem, & est sensus, quod illo, quod factum est & sapientissime & potentissime, non possit fieri aliud melius; & sic intellectus Major est falsa: quavis enim Deus faciat omnia sapientissime & potentissime, tamen, cum ejus potentia nunquam sit exhausta, uti nec ejus sapientia,

semper alias res meliores facere potest, & factas, accidentaliter meliorare, ut hoc barbaro verbo utamur. Secunda, ut non melius sit adverbium, & significet modum rei, &c., melius, idem erit, quod meliori modo: Sed hic modus potest attendi, vel ex parte Dei, vel ex parte rerum: si attendatur ex parte Dei, sensus propositionis erit, quod ea, quæ Deus facit potentissime & sapientissime, non potest meliori modo facere; & hoc verum est, quia Deus non potest res facere, ex majori potentia & sapientia, quam fecit: si attendatur modus ex parte rerum, erit sensus, quod Deus non potest dare, rebus à se sapientissime factis, perfectiorum modum effendi; & hoc verum est, de modo essentiali, non item accidentalici.

V. §. 4. An Deus potuerit producere mundum priusquam ordinaverit? Questio intelligitur de potentia Dei absoluta, & in sensu diviso, non composito: postquam enim ordinavit tali tempore producere, non potest eum producere prius, quam ordinavit: sed spectatur hic in signo rationis, antequam concipiatur quasi, ordinasse. Et sic questionem affirmamus: potuit quippe mundus produci prius quam est productus aut produci ordinatus. Ergo, dices, potuit produci ab æterno. Relp. neg. conseq. Quia hic intelligitur prioritas temporis & non aeternitatis: illud, prius, significat principium antiquius & anterius durationis aut existentiae: sed si mundus sic posset prius produci, quam est productus, ut esset productus ab æterno, jam careret principio durationis, quod implicat contradictionem. Quin loquendo de prioritate temporis, quod antecessit, existentis, ne sic quidem Deus potuit mundum producere prius quam produxit aut producere ordinavit: nam & hoc includit contradictionem; sic enim tempus fuisset, ante tempus, quod nullum præcessit mundum, sed cum eo incepit. Verum, loquendo de prioritate temporis possibilis, potuit Deus prius producere mundum, quam produxit, aut producendum ordinasse concipitur, quia potuit prius in aeternitate sua momentum ordinasse, quam quod ad ejus productionem ordinavit.

VII. §. 5. *An Dei potentia semper possit idem?* Seu. *An, quicquid semel potuit aut potest, semper possit?* Resp. Neg. Non quod aliquid detrahatur de potentia Dei aut illa imminuat aut immutetur, sed quod, quæ aliquando fuerunt possibilia, postquam sunt facta, non amplius sint possibilia: potuit, v.c. Deus Christum fuscitare, antequam eum fuscitavit. E. postquam fuscitavit, adhuc eum potest fuscitare. Neg. conf. quia Christus non amplius est mortuus: quod enim h̄c respectu Christi possibile erat, factum est, & amplius fieri non potest: neque h̄c aliqua sequitur divina potentia, vel mutabilitas, vel mutatio. Quemadmodum scientia Dei manet immutabilis, licet Deus aliquod enunciabile definit scire ratione connotati, eo quod illud definit esse scibile, & verum pro circumstantia temporis sub quā est verum; scire enim connotat in obiecto scibilitatem & veritatem: sic divina potentia manet immutabilis, licet definit aliquid posse, ratione connotati, quod definit esse possibile: multa enim possibilia actū sunt, & postquam facta sunt, impossibilia sunt amplius fieri: facere enim, quod factum est, nihil est facere: ergo posse facere, quod factum est ampliusque fieri nequit, est nihil posse.

VIII. §. 6. *An Deus possit facere infinita?* Resp. 1. *Non potest facere in creaturis infinitum intensivè, id est, quod absque proportione excedat intentionis omnes gradus: ratio est, quia omnis creatura est finita essentie, ergo nulla est capax infinitæ virtutis, potentiae, habitus, aut qualitatis, sic ut nullus gradus intentionis amplius reddi possit; quo sensu, nec Christi passio, nec elementorum qualitates, nec reproborum pena infernalisa, dici potest infinita intensivè.* 2. *Non potest Deus producere magnitudinem actu infinitam extensivè. Quia tale dari non potest: tolleretur enim omnis motus: & constaret aut ex partibus finitis, & sic ipsa non potest esse infinita, aut ex infinitis, & sic aliquid erit majus infinito; quia totum est majus suā parte.* 3. *Deus non potest producere multitudinem actu infinitam. Quia, si produceret multitudinem actu infinitam, aut posset ulterius producere aliquam adhuc unitatem, & sic erit aliquid majus infinito, aut non posset, & sic Deus per talem productionem fieret impotens, ejusque potentia foret exhausta.* 4. *Deus potest producere finita in infinitum. Nam nunquam potest tot producere, quin possit ampliora & plura in infinitum producere; illa tamen plura nunquam possunt in actu producto esse infinita.*

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

*Voluminis Secundi,*

### QUADRAGESIMA-TERTIA,

*AD*

ARISTOTELIS LIB. 3. METAPH. CAP. I. TEXT. I. ET 2.

*Περὶ ἀποτελεσμάτων εὐποίησις.*

### THEISIS I.

**S**I aliqua vera est ac genuina & solida Philosophandi ratio ac methodus, ab omnino existimata est esse, quam fecutus est Philosophorum Coryphaeus Aristoteles, quam aliis prescripsit, quam suo exemplo & praxi comprobavit: ea vero non est alia, quam quæ à dubitatione initium facit, priusque bene docet dubitare, antequam quidquam decida-

tur certi vel decernatur. Dubitationem itaque initium esse rite recteque Philosophandi & industria scientie, primum Aristotelis mandato & exemplo, mox præstantissimorum ejus Interpretum, &, omnium judicio, *Aristotelis* consensus & explicazione ac praxi, probatum dabimus.

II. Verba *Aristotelis* thesin positam confirmantia

firmantia & præceptum Philosophi continentia sunt, quæ sequuntur ex 3. l. Metaph. c. I. text. I. & 2. Text. 1. NB. Αράγεν τοῖς τῷ ἐπιτίμησιν ἐπιτίμησι, ἐπιτίμησιν τοῖς στατιν, τοῖς δὲ δύστοσαι δὲ τῷ πώλον τοῦ οἴκου οἱ ἐπιτίμησιν τοῖς αὐτῶν εἰδήσις ὑπέλαθροι ποιεῖ, καὶ εἰ παρεῖ τέτων τυγχάνει περὶ τοῦ παρενεργείου. NB. οὐ δὲ τοῖς εὐπορηταῖς βελομίνοις παρεγνωτὸς Διαπορεῖσαι καλέσει. Η διατεταγμένη πόλεισι, NB. λύσις τοῦ αποτελεσμάτος πορείαν εἶσι. λύσις δὲ τοῦ ἀνεπιτίμητος πορείαν, ἀλλ' οὐ τοῦ Διαφορικοῦ πορείας διλοτεττοῦ τοῦ διαπορείας τοῦ περιγραμμοῦ. Η δὲ αὐτοὶ ταῦτα πορεστικοῖς πεποιήσεις δεδεμένοις. Καὶ νῦν γαρ ἀμφοτέρως προσέλθειν εἰς τὸ πρωτότοπον. Text. 2. διὸ δὲ τὰς δυστυχείας περιεργήσιν ποιεῖν πεπτέρον, ταῦτα τε καί τοῦ Διατίμητος. NB. δὲ εἰ τὸ Διατίμητος περὶ τοῦ οὐρανοῦ εἶναι τοῖς ποτὲ δὲ βαζίζειν ἀγνοεῖσθαι τοὺς τάτοις, οὐδὲ εἰ ποτε τὸ ζητεύοντος οὔρανον οὐ μή, γιγάντοις τὸ γῆρας τέλος τέτταρα ψῆφοις δῆλοις; τοῦ δὲ τοῦ καλῶς προσταρκόντος δῆλοις. NB. οὐ δὲ τὸ βέλτιον ανάγκη ἀπειπεῖν, τὸ δύστοπον αἰδοῖον πάντων. Quæ verba sic verit Latinæ Beffarion Cardinalis Nicenus & Patriarcha Constantinopolitanus. Ad illam, quæ queritur, scientiam, necesse est primum nos percurrere, de quibus primo est dubitandum. Hæc autem sunt, & quæcumque de iis aliter quidam existimarent, & si quid ultra hæc prætermisum sit. Est autem operæ pretium, aliquid facultatis habere voluntibus, bene dubitare: nam posterior facultas, solutio est eorum, quæ ante dubitata fuerunt. Solvere autem non est, cum nodus ignoretur: sed intellectus hesitatio, manifestum hoc de re facit. Quatenus enim dubitat, eatenus simile quiddam ligatis patitur: utroque namque modo impossibile est ad ulteriora procedere. Quare omnes primo difficultates speculari par est, & horum gratia, & propterea, quod illi, qui querunt, nisi primo dubitent, similes sunt illis, qui, quoniam ire oportet, ignorant; & adhæc, neque utrum invenerint, quod queritur, an non, cognoscere possunt. Finis etenim his quidem non est manifestus: illi autem, qui antea dubitaverit, patescit. item, melius sese habere necesse est illum adjudicandum, qui, tan-

quā aduersarios, omnes utring, rationes, audiatur. III. Textum Philosophi, triplici analyse optimorum interpretum, ne quid de nostro apponere aut assingere videamus, illustrabimus. Prima esto *Du Vallii*, in perpetua sua ad omnia Aristotelis Volumina analysi, operum Aristotelis editioni præmissa: ea sic fonsat. Liber tertius Metaphysicorum continet capita sex, quibus dubia sive questiones sexdecim proponuntur, & in uiramque partem discutiuntur. Orditur autem Aristoteles ab insigne eoque generali documento, quod scilicet NB in qualibet quæstione & controversia ostenteat prius bene dubitare, id est, pro utraque parte, affirmante scilicet & negante, rationes diligenter examinando, quæstionem ambiguam facere. Dubitatio enim est veluti nodus ad vinculum mentis: quod ideo si ignoras non solves: nemo enim vinculum solvere potest, si illud ignoret: Deinde, post dubitationes bene expositas, questionem clare concludere. NB. certa enim cognitione, quæ dubitationem sequitur, est solutio dubitationis.

IV. Secunda analysis esto *Antonii Scaini Salodiensis* in suis ad Metaphysicam Aristotelis commentariis *Rome*, 1587. editis. Ad illam, quæ queritur, scientiam) Ex his verbis apparet, scientiam, quæ est suprema ad omnes alias, suisse ab Aristotele investigandam, ut quæ temporibus suis nondum esset detecta ac distincta ab aliis facultatibus tanquam suprema philosophia & regina omnium aliarum scientiarum. Ad hoc autem præstandum NB. utitur Aristoteles methodo dubitandi, tum circa ea, quæ sibi de placitis aliorum Philosophorum non arriderent, tum penes nonnulla, quæ ab aliis fuerunt prætermissa; sed cum & in aliis philosophia operibus hanc dubitandi normam sit sectatus, attamen non ignorandum, in aliis singulis certas quasdam adduci dubitationes, quæ cuique philosophiae parti congenerint, hoc autem in loco universis in genere simul congesit quæstiones: quod ita factum esse animadvertis Averroes, ut affinitas, quam habet Metaphysica cum Dialettica, manifestaretur. Alexander autem de Alex & cum ipso D. Thomas, hujus facti hanc causam assignarunt, quoniam scilicet hæc contem-

contemplatio, circa veritatem in genere sit constituta: addamus ad hoc, quod cum nondum constituta esset prima & universalis hec scientia, & investiganda ac constituta esset, ad rem fuit, NB. ut ex premillis dubitationibus ejus natura detergeretur, & ita in ordinem redigeretur. Hinc consecutarium hoc ducitur, NB. non rectum neque tutum iter Philosophandi eos ingredi, qui ab hac via dubitandi penitus abstinent, quam tantopere commendat Aristoteles hoc loco, & ex communibus sententiis comprobat, tanquam ad veritatem indagandam maximè consentaneam.

V. Tertia Analysis esto Petri Fonseca, ex Commentariis in Arist. Metaph. suis, editis Lugduni 1597. Necesse est (Dubitat Alexander hoc loco, doceatne Aristoteles in primis verbis hujus libri, necesse sibi esse ad eam cognitionem inveniendam, quam in hoc opere consequi, ac tradere studeat, ea primum aggrediri, de quibus rationi consentaneum est, ut primo loco dubitetur, hoc est, utraque parte disseratur, an id esse omnibus iis necesse, qui ad quamlibet scientiam de rebus difficultibus & controversis comparandam aggrediuntur. Quanquam verò parum referat, utro modo Aristotelem interpretaris, prior tamen interpretatio aptior videtur, utpote verbis contextus accommodatior: ex qua generale etiam documentum, quod posterior tradit, tanquam principium ex conclusione colligi potest. Addit autem Aristoteles, duo esse genera questionum, quae primum pro utraque parte agitande videantur. Unum earum, de quibus alii aliter senserunt, ne temere aliorum sententiis, ac forsitan non parum receptis, se opponere videantur: Alterum earum, quae cum ad rem propositam in primis faciant ab aliis tamen omissoe sunt. Est autem operæ pretium) Hoc alterum documentum plane generale est, quod docet Aristoteles, NB. non modo initio hujusmodi scientiarum, sed etiam particularium tractationum, quibus proposita est rerum difficultum determinatio, à dubitationibus initium sumendum esse, nec vero utcunq; id faciendum, sed bene, hoc est, diligenter, accuratè, nullaque pro utravis parte dissimulata ratione, quod sapienter quatuor rationibus ostendit. Prima est, quia NB. certa veritatis cognitio, quā tandem com-

potes efficiuntur ii, qui Philosophantur, solutione est eorum, quæ prius dubitabantur, hoc est, solutione eorum, quæ prius dubitantur, comparatur: solvere autem vinculum nemo potest, qui vinculi nodum ignoret: Quare cum nihil aliud sit, difficultates rei propositæ pro utraque parte discutere, quam vincularum mentis nodos inspicere (nihil enim sunt aliud argumenta pro utraque parte; quam vincula, quibus mens ligatur & impeditur, ne ultra progrederi possit) is sane ad veritatis perceptionem optimè comparabit, qui de proposita re dubia diligenter & accurate pro utraque parte disputaverit. Sed mōtis dubitationis ) Sensus est, eundem effectum ostendit in animo dubitatio mentis de re proposita, quem ostendit in corpore vinculum, quo pedes adstringuntur. Veroque enim modo ligati ulterius progrederi non possumus. Et quia ii, qui querunt) Secunda ratio est, quia ii, qui de proposita re non prius pro utraque parte disputant, persimiles sunt ii, qui, quo eundem sit, ignorant. Nesciunt enim difficultates, quæ in questione latent, ad quas tamen solvendas tendit is, qui probe illam explicaturus est. Accedit quod neque ) Tertia ratio est, quia et si hujusmodi homines aliquando inveniunt ea, quæ implicitè in questione continentur, nesciunt tamen an Finem disputationis consecuti sunt, cum difficultates eas, ad quas dissolvendas disputatione suæ natura diriguntur, plane ignorant. Simile quid accedit iis, qui nesciunt, quantum locus, in quem contendunt, distet ab eo, ex quo excent, aut qua in illum eundem sit. Nam est in eum forte incident, ignorabunt tamen se in illum pervenisse. Ex his duabus rationibus recte colligitur id, quod Albertus scribit hoc loco, Eum, qui non prius dubitat, duobus modis errare, uno, in termino altero, in via. Præterea melius se habere) Quartæ hæc & extrema ratio, quæ ex similitudine disceptantium seu potius iudicis desumitur, ex iis, quæ autor scribit cap. 10. primi de Celo, majorem vim accipiet. Sic enim ait, οὐαὶ δὲ τῷ μάθειν αὐτὸν πίστη τοῦ μέντορος λεχθῆσεῖ, τοσούκαιος τοῦ ἀμφιεπετερων λόγων δημοσιώματα. τὸ γέροντον περιβολάρχος δοκεῖ, ηγέροντος τοσούκαιος. τοι γέροντος διατήρης, ἀλλὰ διδούσας εἰρήνην, τοσούκαιος τὸν διαδέσμην κεράσην. hoc est, simul autem, ea, quæ dicentur, majorem fidem habebunt, si disce-

si disceptantium rationum jura prius fuerint audita , minusque videbimus indicata causa damnare . Arbitros enim , non adverfarios oportet esse eos , qui de veritate , ut res postulat , judicium latiri sunt . *Quod ipsum diligenter obseruat Aristoteles , penè ubique difficile aliquid , aut controversum tractandum suscipit , ut videre est in libris Physicorum , de Cælo , & sequentibus . Ex quibus patet , NB. quam inepte & contra Aristotelicum morem Philosophentur ii , qui repudiato questionum usu , tanquam Sophistarum invento , omnia docent more Pythagorico , & quasi ex oraculo , neque ullum adhuc examen rationum earum , quæ in subiecta materia pro utraque parte , vel ab aliis propositæ sunt , vel attentius rem consideranti in mentem venire possunt .*

**V I.** *Aristotelis mandatum de dubitando , ut bene philosophemur , ipsius verbis proposuimus ; Trium , eorumque inter neotericos præstantissimorum , in verba ista interpretum consensu atque explicatione confirmavimus : nunc ipsum Philosophi exemplum , in philosophando omnibus sine contradictione imitandum , adducimus . Inspiciatur *reliqua hujus 1. capituli pars , quæ solis dubitationibus absolutitur : inspiciantur capita omnia sequentia , ac præsertim 4. Inspiciantur libri omnes Metaphysicorum , de Cælo , de Generatione & Corruptione , de Anima , & ubi cunque in veritatem rerum serio inquirit . Sed ante omnia provocamus ad Aristotelis Problematum sectiones 38. & questiones Mechanicas , ubi non alia est ipsi agendi ratio usitata , quam dubitando ad veritatem pervenire . Querit perpetuo , cur hoc aut illud fiat ? an ideo , quia sic , vel sic , vel alio modo sepe res habeat ?**

**V II.** *Ab Aristotelis mandato & exemplo ad symphonian & praxin transimus eorum , quos omnis retro ac præsens ætas maxime celebravit Aristotelicos ; Alexandrum dico Aphrodisensem inter Græcos , Averroem inter Arabes , Thomam & Scotum inter Latinos , quibus eadem cum Aristotele & mens , & philosophandi per dubitationes methodus . Nemo olim dictus est Aristotelicus , nisi qui esset Alexander : nemo seculis non nihil posterioribus dictus est Aristotelicus , nisi qui esset A-*

verroista : nemo nunc est Aristotelicus , nisi sit vel Thomista , vel Scotista , vel utrumque ac medium inter eos participationis . Ergo qui cum Scoto , Thoma , Averroë , Alessandro , sentiunt , maxime sunt Aristotelici . At qui sentiunt , recte philosophandi , & indubitate scientie , initium esse dubitationem , idem sentiunt non modo cum Aristotele , quod nunc est demonstratum , sed & cum Alessandro , Averroë , Thoma , Scoto , quod , prolatis illorum verbis , probabimus . Ergo tales sunt maxime Aristotelici .

**VIII.** *Sic commentatur in textum Aristot. 3. Met. c. 1. positum Alexander Aphrodiseus , qui tempore Antonini Philosophi atque Imperatoris , circa annum Christi 170. vixit . Necesse est ad eam scientiam , quam querimus , &c. ) Scientia , quam querimus & de qua nobis sermo suscepimus est , sapientia ipsa est & Theologia , quæ Metaphysica inscribitur . Ad investigationem igitur hujus scientie , & eorum , quæ per ipsam inquiruntur , necessum est eis ait , ea primum commemorare ac recensere , de quibus in primis est inquirendum : deinde propositis ipsarum rerum questionibus , rem , quemadmodum est præfatus , persequitur . Nisi si quis hæc ita accipiat , quasi in universum præcipiantur ; doceatque ad omnium scientiam investigationem in universum necesse esse , primum ea commemorare , de quibus est primum differendum , per hæc enim via est ad ea , quæ scire cupimus , invenienda . Quod si ad omnem scientiam , ad hanc quoque id necessarium fuerit . Que porro in singulis doctrinis dubitare ac differere oporteat , docet , cum ait . (Hæc autem sunt ea , de quibus alter quidam existimat .) Deinceps in universum confirmat docetque , de re quapiam disputaturis , ut , quæ inquirunt , inveniant , commodum esse , primum de ipsis querere seu dubitare , &c.*

**IX.** *Sic commentatur Averroes , Magnus vulgo Commentator , in suis ad dictum Arist. textum commentariis , qui circa annum Christi vixit 1150 . Ad illam , quæ queritur , &c. ) quia alia scientia considerant particulariter de veritate , NB. & particulariter ad eas pertinet circa singulas veritates dubitare : quia vero Metaphysica , sicuti Dialetica , habet universalem .*

*Iem considerationem de veritate, sic quoque ad eam pertinet NB universalia dubitatio de veritate. Cum igitur scientia hæc sit in genere scientiarum, necesse est igitur prius inspicere quæstiones ejus, & sunt illæ difficiles, de quibus homines in hac scientia sunt contrarii, & sunt etiam aliquæ de quibus dimiserunt perscrutari propter suam difficultatem: Finis autem, propter quem fuit necesse incipere à perscrutatione istarum quæstionum difficultum, est, quia scientia quæsita, qua acquiritur ex iis, est scientia solvens omnes difficultates earum: & ideo difficultas alius rei præcedere debet ejus solutionem, & hæc fuit causa, quare Arist. primo perscrutatus est de rebus difficillimis, antequam ad eum solutionem deveniret; quoniam ita se habet difficultas ad ipsum intellectum, quemadmodum laqueus ad corpus, & qui ignorat ligamentum, laqueum ne sit solvere; & ita illi, qui difficultates ignorant, eas solvere nesciunt: & sic intellectus ligatus nullo modo finem suum attingere poterit, nisi primo ligamentum ejus sit solutum: ligamenta enim intellectus sunt sermones contrarii: & ideo oportet, ut via, ex qua quæstiones oriuntur, sit alia à via, à qua quæstiones solvuntur, ut modus, à quo fit ligamenti solutio, aliis est à modo, à quo fit ligamentum, & NB. sic via ad scientiam inquirendam erit perscrutatio rerum dubitabilium, &c.*

X. Sic commentatur Thomas Aquinas in suis ad textum Arist. citat. commentariis, qui vixit circa annum Christi 1260. Inest autem investigare volentibus ) dicit 1. Philosophus NB. quod ad hanc scientiam, quam querimus de primis principiis & universali veritate rerum, necesse est, ut primum aggrediamur ea, de quibus oportet dubitare, antequam veritas determinetur. Sunt autem hujusmodi dubitabilia propter duas rationes; vel quia antiqui Philosophi aliter suscepserunt opinionem de eis quam rei veritas habeat, vel quia omnino pretermisserunt de his considerare. Assignat autem 4. rationes sive intentionis, & primo dicit, quod NB. volentibus investigare veritatem contingit (bene dubitare,) id est, bene attingere ad ea, quæ sunt dubitabilia; & hoc ideo quia posterior investigatio veritatis nihil est aliud, quam solutio prius dubitatorum, &c.

XI. Sic commentatur Job. Duns Scotus in suis ad textum Met. cit. commentariis, qui vixit circa annum Chr. 1308. Necesse est &c.) Postquam Philosophus in secundo libro determinavit de his, quæ spectant ad considerationem veritatis in communi: nunc descendit ad determinandum ea, quæ spectant specialiter ad considerationem hujus scientiæ. Circa quod duo facit. Primo procedit modo disputativo & dubitativo. Secundo procedit modo determinativo & demonstrativo.

Est autem operæ pretium &c.) dicit NB. quod volentibus investigare, scilicet veritatem, ineft. oportet bene dubitare, ab initio. i. principio inquisitionis. Cujus rationem subdidit, quia investigatio posteriorum in inquisitione veritatis non est aliud, quam solutio priorum dubitatorum.

Illi qui querunt ) supple, veritatem, sine investigatione, scilicet dubitatorum, similes sunt ignorantibus, quo oportet ire, i. illis, qui nesciunt quod vadant. Ratio hujus est, quia sicut terminus via intenditur ab ambulante NB. ita exclusio dubii est finis intentus à speculante & inquirente veritatem: sicut ergo ille, qui nescit, quod vadit, non potest pervenire ad terminum, nisi forsitan à casu; sic NB. nec aliquis potest direcere inquirere veritatem, nisi dubitationem preveideat & precognoscat.

XII. Præter horum Aristotelis Interpretum maximè Aristotelicorum ad confirmandam thesin positam adducta testimonia, ipsa recentiorum in Philosophando praxis eundem stabilit: inspiciantur, qui jam aliquot saeculis Aristotelis Philosophiam post Thomæ & Scotti ætatem pertractarunt: an non ad instar Præceptorum suorum prius dicant, quæ non sit vera sententia quam quæ vera? an non prius dubitantem reddant lectorem, dubitationes & objectiones movendo, quam cum à dubitando liberent, objectiones & dubitationes solvendo? Consueta Thomæ agendi ratio in summa Theol. est (videtur quod non) antequam accedit ad suum, (sed dicendum) Consueta Scotti in quæstionibus Physicis & in aliis agendi ratio est (arguitur quod non) antequam accedit ad suum (ponuntur Conclusiones.) Videatur modus procedendi Dominico

de Flan-

de Flandria & Paulo Sonzinati in Metaph. Iavello per omnem Philosophiam, hodiernis Complutensibus, Conimbricensibus, Ruvio, Matio, Toletto, &c., ne longus sim, omnibus omnino Aristotelicis usitatus, qui solam hanc prius dubitandi viam ingressi sunt, ut ad ve-

ritatis penetralia intrarent, lectoremque introducerent. Quare nec ab Aristotelis nec ab Aristotelicorum intentia aut praxi abit, qui afferit, *initium recte philosophandi & indubitate scientiae esse dubitationem*, quod erat demonstrandum.

**N**VILLIUS ADDICTUM JURARE IN VERBA MAGISTRI,  
Nec servum cuiquam vendere judicium,  
Nec male captivas in vincula tradere mentes,  
Nec curare nimis segniter, *av' re's i'qas;*  
Ilicet assensu non credere velle supino,  
Doctores credi que volueret fuit:  
Nolle Stagirae aut divini scita Platonis,  
Ceu semper fuerint indubitata, sequi,  
Oraculumque fore Phoebi, solumque Sybillae,  
Quicquid siue Plato vult, vel Aristoteles,  
Suspicienda quidem sibi nomina ducere, sed non  
Numina, divinos, non tamen esse deos;  
Digna viro Virtus & libertate Batava est,  
Digna patrocinio, magne Batave, tuo.  
In medio verum posuit Deus: hujus amicos  
Essere homines, hominum parcus esse decet.

Quisquis homo est, errare potest: cognoscere verum  
Indubie, proprium novimus esse Dei:  
Rerum certa fides & regula firma sciendi,  
Scrutando nobis & dubitando venit.  
O veri sine nube cohors studiosa, frequenti  
Huc ades, huc propera non titubante pede.  
Liberius currat tibi mens vaga, quæ patet orbis  
Pagina, naturæ pagina quanta patet.  
Nec tibi qui Doctor, tibi sit Dicitor, & una  
Te ratio, non vox te trahat illa viri.  
Recte à te vuli Hereboordius, omnia da-  
nec  
Aditura nodorum solveris ipsa tibi.  
Hæc adeo est sanæ mentis sententia, post hac  
Ne dubites, jussit te dubitare prius.

HENRICUS BRUNO.

## Disputationum ex Philosophiâ selectorum

Voluminis Secundi,

QUADRAGESIMA-QUARTA,

DE

## PRIMO COGNITO.

THEISIS I.

**R**Ecta demum Philosophandi & vera re-  
rum veritatem atque existentiam in-  
veniendi ratio in eo est sita, ut certa se-  
mel ab incertis discernantur, & incerta per  
certa demonstrentur.

II. Certa sunt, de quorum veritate aut  
existentia nullo modo dubitari potest; incerta  
contra.

III. Intelligimus hic certitudinem veri-

tatis aut existentiae, non in terminis simplici-  
bus aut propositionibus per se notis atque æ-  
ternæ veritatis, sed in rebus ipsis.

IV. Si illa certo existant, de quibus dubi-  
tari nequit, illa contra non certo existant, de  
quibus dubitari potest, nihil certius est, quam  
existere rem quæ dubitat.

V. Nam qui inquirit in rerum omnium ve-  
ritatem & existentiam, & in omnibus aliquid,

V u vel

vel minimum, invenit, cur de iis dubitet, vel dubitare possit, nihil invenit, cur de se, in rerum omnium veritatem atque existentiam inquirente & jam dubitante, ipse dubitet.

V I. Nam fieri non potest, ut, quod inquit, quod dubitat, dum inquirit, dum dubitat, non sit.

V II. Itaque, hoc primo omnium in philosophando est cognitum, verissimum, certissimum, *Inquiro, dubito, cogito, Ergo sum.*

V VIII. Et, existentia rei inquirentis, dubitantis, cogitantis, vera est ac certa primo, vi infallibilis illationis ac demonstracionis.

X. Unde, haec veritas & certitudo rei existentis, quæ inquirit, dubitat, cogitat, prima est, & primo cognita, inter veritates illatas ac demonstratas.

X. Nam, quin sit prior veritas ac certitudo prius cognita aut cognoscenda in terminis simplicibus & propositionibus, non illatis, sed inferentibus, nullum est dubium.

X I. Quippe non potest cognosci vere & certo, eum, qui inquirit, dubitat, cogitat, existere, eo quod inquirat, dubitet, cogitet, nisi prius cognoscatur an & quid sit inquisitio, dubitatio, cogitatio, certitudo, existentia, &c.

X II. Nam in hoc Syllogismo. *Quod inquit, cogitat, dubitat, illud existit. Ego inquiro, dubito, cogito. Ergo exsto.* Primum debent cognosci propositionis majoris termini, & ipsa major, sc. quod fieri non possit, ut id, quod inquit, cogitat, dubitat, non existat, antequam per eam demonstretur conclusio, ac cognoscatur.

X III. Nam in omni demonstratione aliqua requiritur precognitio; ex parte terminorum, quid sint, sc. nominis, ex parte praemissarum, an sint veræ; hoc vero ipsum de conclusione, & de prædicto ejus, an sint, demonstrandum ac cognoscendum est.

X IV. At ista veritatis de terminis & praemissis, an sint, cognitio in nullius rei existentis notitiam philosophantem inducit.

X V. Is vero rei existentis notitiam veram, certam, primo sibi cognitam querit.

X VI. Illa veritas prima, certa, de rei

alicujus existentia, primo per demonstrem cognita est haec, *Ego sum.*

X VII. Nihil enim nunc accipimus nisi accuratissime ac certissime determinatum.

X VIII. Atque, inter veritates accurate & certissime demonstratas, nullus prior hac, *Ego sum.*

X IX. Neque haec veritas prius, autius, aut verius infertur, quam per hunc minimum medium, *Inquiro, cogito, dubito.*

X X. Quippe haec est absoluta, primissima veritas, *Cogito, inquiro, dubito sum.*

X XI. Nec certa, nec absoluta, nec veritas est, *Loquor, ambulo, video, Ergo sum.*

X XII. Quia certa rei existentia nostra inferri in conclusione ex medio incertæ existentiae.

X XIII. At hi actus, loquendi, amandi, videndi, incertum est ac dubium sint.

X XIV. Contra actus inquirendi, cogitandi, dubitandi, certum est & indubium quod sint.

X XV. Nam philosophamus jam & famur nunc in prima, absoluta, & certissima veritate invenienda.

X XVI. Illud vero fieri non potest inquisitione, cogitatione, dubitatione.

X XVII. Si actus sint, cogitandi, inrendi, oportet & substantiam dari aut: quæ cogitet, inquirat, dubitet.

X XVIII. Nam substantiam aut esse non immediate, sed per ejus actus cognoscimus.

X XIX. Impossibile enim est actum ubi non sit substantia.

X XX. Ergo bene sequitur, *Ego ego dubito, ego inquiro, Ergo sum.*

X XXI. Itaque, cuiilibet philosopha haec prima occurrit, absoluta, certissima, *Inquiro, dubito, cogito, Ergo sum.*

X XXII. Actus vero loquendi, ambidi, videndi, ut sunt actus corporis, incertus, an sint, quod th. 25. est dictum, liquet, quia de iis à philosophante dubio potest.

X X X I I I . Dubitari vero potest, quia s<sup>æ</sup>pē non loquimur, non ambulamus, non vide-mus, nec lingua m, nec pedes, nec oculos move-mus, cum nos loqui, ambulare, videre, exi-stimamus, ut in somno.

X X X I V . At contra dubitari non potest, an cogitemus, dum inquirimus, dum dubita-mus, quia, existimantes ac dubitantes nos in-quirere, jam cogitamus.

X X X V . Itaque non potest inferri in phi-losophandi, ut primo & ab<sup>so</sup>lutum certum ac verum, *video, loquor, ambulo, ergo sum.*

X X X VI . Nam si non sit certum me lo-qui, videre, ambulare, multo minus cer-tum est, rem esse, quæ loquitur, videt, am-bulat.

X X X VII . Si enim actus est incertus, vel incertæ existentiae, multo incertior est exi-stentia substantiæ seu rei cuius est actus.

X X X V I I I . Ergo dubitari potest à Philo-sophante, an sit res vel substantia, quæ loqui-tur, ambulat, videt.

X X X I X . Dubitari non potest ab eodem, an sit res, vel substantia, quæ cogitat, inqui-rit, dubitat.

X L . Ergo prius est, verius est, certius est, esse rem cogitantem, inquirentem, dubitan-tem, quam esse rem loquentem, ambulan-tem, videntem.

X L I . Imo, hoc solum certissimum est & verissimum & primo cognitum, datur res co-gitans, inquirens, dubitans.

X L I I . Hinc jam ulterius progrediendo probari potest, prius quoque, verius, & cer-tius esse, dari animum quam corpus.

X L I I I . Nam si prius sit verius, & cer-tius, esse rem cogitantem, inquirentem, du-bitantem, quam esse rem loquentem, ambulan-tem, videntem, quia illius actus sit prior, verior, certior hujus actu, etiam prius est, ve-rius est, certius est, dari animum quam cor-pus.

X L I V . Ratio est, quia rem cogitantem, inquirentem, dubitantem, vocamus animum; rem loquentem, ambulantem, videntem, vo-camus corpus.

X L V . Sumimus enim hic nō videre, lo-qui, ambulare, prout corpore peragitur, non

pro cogitatione aut conscientia loquendi, am-bulandi, videndi.

X L VI . At prout corpore fiunt, loqui, ambulare, videre, sunt actus corporis, sicuti cogitare, inquirere, dubitare, sunt actus animi.

X L V I I . Nam ipsa ratio & usus jubet, ut actuum diversorum principiis & subjectis di-versa tribuamus nomina.

X L V I I I . Atqui hi actus, cogitare, inqui-re, dubitare: & loqui, videre, ambulare: sunt diversissimi.

X L I X . Quippe aliis ali priores, certio-res, viiores.

I. Ergo & recte eorum principiis & sub-jectis diversa tribuuntur nomina.

L I . Illorum principium ac subjectum vo-camus animum, mentem (substantiam intel-ligentem alii) ejusque actus, cogitativos, ho-rum principium ac subjectum vocamus cor-pus (alii substantiam extensem) ejusque actus, corporeos.

L I I . Sicut autem actus substantiae intel-ligentis, animi, esse, prius est, certius est, ve-rius est, quam est actus substantiae extensem, corporis: ita prius est, certius est, verius est, dari substantiam intelligentem, animum, dari extensem, corpus.

L I I I . Ac jam via strata est ad animi à corpore distinctionem agnoscendam.

L I V . Nam si nomina diversa recte fint tributa principiis ac subjectis actuum diver-sorum, oportet & ipsa principia, & subjecta istorum actuum esse diversa.

L V . Consequenter, oportet substantias esse diversas, intelligentem & extensem, animum & corpus.

L V I . Sed istam diversitatem, à priori hic nos non demonstramus, ne tituli & instituti limites transfiliamus.

L V I I . Nam ad id principiis & hypoth-e-sibus adhuc aliis est opus.

L V I I I . Sufficit nobis, ostendisse, philo-sophanti cuilibet, & certam rerum existen-tium veritatem inquirenti, hanc primam oc-currere, verissimam ac certissimam verita-tem de rerum existentia primo cognitam, Co-gito, inquiero, dubito, Ergo sum.

LIX. Eam sequitur, quæ secundò se offert | rum omnium, sensibilium atque intelligibili-  
ordine philosophanti, datur *animus*.

LX. Quomodo porrò ex hac certissimā | lum existentium, notitiam veram ac certam  
sui ipius atque animi sui notitia, ad Dei re- | perveniat Philosophus, penitioris est inquisi-  
tionis & alterius temporis.

## Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

QUADRAGESIMA-QUINTA,

PRO

## LIBERT. PHILOSOPHANDI.

## THEISIS I.

**P**raeclara semper & maxime illustris vi-  
sa est ea Philosophandi methodus, quæ,  
non tam hominum autoritate quam na-  
ture luce subnixa, solute & liberè in vero ex-  
quirendo versatur: iisque imprimis laudandi  
videntur Philosophi, qui nulli sapientium  
sectæ sese addicunt, sed veritatem ipsam, ubi-  
cunque putant ac possunt, undecunque, ma-  
gnâ industriâ studioque conquirunt: nihil  
enim viro ingenuo magis est dignum quam  
iis assentiri, quæ aut vera esse, aut quām pro-  
ximè ad veritatem accedere, ipsâ duce ratio-  
ne cognoverit: itemque ab iis assensum cohi-  
bere, quæ vel incerta sunt, vel falsa esse ea-  
dem ratio demonstraverit: fuerunt tamen  
olim fuitque etiamnum hodie nonnulli, qui  
hunc Philosophandi morem nullum esse di-  
ixerint ac dicant, quod viri præstantes in o-  
mni doctrinæ genere excelluerint, quos tan-  
quam principes atque sapientes sequi debea-  
mus: atque hic ante omnes alios Aristotelici  
profuerunt, qui primus omnium totam dispo-  
suerit Philosophiam, eandemque certis cau-  
sis constitutissimum principiis stabiliverit ac  
confirmârit: ab hoc qui recedat, illum ab eo,  
quod nobis ratio verum esse ostenderit, rece-  
dere, & à veritate desciscere, antiquitus con-  
tendebant; hodieque contendunt: hisce est,  
quod rei fiant & strenue accusentur, qui Ari-  
stoteli contradicere olim sunt ausi aut nunc  
ausint, quasi ita Philosophiam bene, ut ajunt,

constitutam perturbent atque evertant: At  
vero hoc ipsum lenius ferri posset, si illi, qui  
tale judicium ferunt, de hoc negotio judicare  
valerent, & nisi ipse Aristoteles contrarium  
judicasset, qui auream istam nobis gnoman  
reliquit, Amicus Socrates, amicus Plato, magis  
amica veritas. Sed in causas inquirendum est,  
quæ tam miseræ servitutis durum jugum ho-  
minibus Aristotelicis (sic enim vocari gau-  
dient servilia ista ingenia) imposuerint, ut  
cum Aristotele errare, quam cum aliis bene  
sapere, malint: Nam eo stultitiae nonnulli  
devenerunt.

II. Quod Aristotelici sibi libertatem Phi-  
losophandi ademerint, ejus causæ sunt, 1. Ni-  
mia reverentia Aristotelî tributa, atque inde  
exorta ignava credulitas ac cæca obedientia.  
2. Nimirum ipsorum atque effeminata plane  
diffidentia, ex quo Aristoteli tantopere su-  
spicere. Postquam enim invaluit illud *magni*  
*Commentatoris*, hominis tamen ineptissimi,  
& qui nomen potius, si per Latinę linguę ge-  
nium liceat, *Commentoris* sit meritus (tot  
enim commenta reliquit) quod à mille &  
quingentis annis nullus in textu Aristotelis  
deprehensus sit error: postquam ab eodem  
Arabe, tanquam altero Apolline, hæc oracula  
ceu ex tripode fuerunt pronunciata; *Aristote-*  
*les est regula & exemplar*, quod natura invenit  
ad demonstrandam ultimam perfectionem huma-  
nam: & Aristotelis doctrina est summa veritas,  
quoniam

quoniam ejus intellectus fuit finis humani intellectus: quare bene dicitur, quod fuit creatus & datus nobis divina providentia, ut sciremus quicquid scripsi possem: postquam haec ac familia Averrois dictata Philosophantium animos occupavere, à plerisque in ejus verba juratum est & soli Aristotelis authoritati innixi, fibi diffisi, non tantum suis, sed & aliorum, quantum in se fuit, animis, compedes injecere: illud, *ωντος ἐφα*, clypei initia ac scuti vice omnibus praeconceps opinionis hominibus in Philosophando fuit. At contra viuum est cordatioribus Philosophis, ac, ne multos proferamus, unus instar omnium nobis erit, qui ante annos demum 21. obiit, *Philosophiae Professor in Acad. Marpurg.* celeberrimus, cuius haec extant verba, lectu ac notatu dignissima, in sua ad *Nicol. Taurellum* epistola, ejus de rerum eternitate libris praefixa. Quo sapientiae studiosus veritatem (qua nostratis Philosophiae est anima) cariorem habet & antiquorem, eo debet esse in differendo liberior: nec decet Philosophum esse manipulum alieni capitii. Fuerit sane à natura omne ingenii acumen in Aristotele ostentatum, sit Aristoteles homo de universa sapientia præter supraq[ue] omnes mortales bene meritus, sit sapientiae nostra pater & dux, sit summus dictator sapientiae, sit summus Philosophorum imperator, sit Philosophici regni, sapientiae, laudis litteraria aquila, sit veritatis Hercules, tribunal, sit Philosophorum numen, sit denique vir omni laude maior, omnique calumniâ potior, quibus elogis *Iulius Scaliger* eum ornat, non tamen hoc naturæ miraculum NORMA VERITATIS est, cum vel ipse, agnoscens imbecillem mentis sue aciem, ad vestiganda naturæ penetralia, veritatis cursum non ubique tenerit. Haec ibi *Glenius*, cui calculum addimus.

III. Censemus itaque, non Aristoteli Philosophiae Peripateticæ Principi, tanquam uni & soli Philosophiae Magistro, mordicus in philosophando adhærendum, sed libere esse philosophandum, non ex ejus autoritate ad ejus opinionum & sententiarum placitum, sed ad sensum ac rationis dictamen: atque haec est vera ac genuina, plana, solida, atque unica philosophandi ratio ac via, ut sensus ac rationis, non Aristotelis ductum sequamur, ut o-

mnia, quæ sunt ac fiunt in rerum natura, in macrocosmo ac microcosmo (qui uterque objetum est Philosophiae, non oracula & placita Aristotelis) ad sensum ac rationis trutinam expendamus: atque adeo non modo licet, sed debet dubitari semper & ubique de omnibus iis, quæ ex Aristotele à Peripateticis tradis solent (nisi sensu ac ratione confirmetur ac comprobentur) utrum unumquodque tale sit, uti esse traditur, &, si quid ita esset, uti traditur, fuerit deprehensum, (neque enim omnis veritatis expers credi debet Philosophia Aristotelis ac Peripatetica) quare ita sit, est inquirendum: & ille est modus veritatem de rerum natura ex imis fundamentis eruendi. Hoc est ergo, quod asserimus libere, nulli in Philosophando convenire, ut se vel Philosophiae Peripateticæ, vel Aristotelis conclusiōibus ac principiis adstringat; adeoque nullam esse sectam eligendam, nisi forte electivam in aulecula, de qua in procēcio *Laertius*, ubi, quicquid Stoici, Platonici, Epicurei, Aristotelici, & quicunque unquam exiterunt Philosophi, in Philosophando posuere, protulere, eligitur, accipitur, donec & quamdiu sensu & ratione fuerit compertum comprobatumque.

IV. *Philosophiae Peripateticæ* sectariis fidēs non est obliganda, quia illa Philosophia multis partibus deficit, multis modis est intricata, ambagiosa, & in multis erronea, quinimo, in plurimis, nisi examinetur, reformatur, corrigatur, periculosa ac noxia, quod vel ab Ethniciis vel ab heterodoxæ religionis hominibus sit exulta potissimum: à quibus ambagibus & erroribus ut liberari possit, evolvenda est omnino, sed libero mentis judicio, nulli se se alligando: uti contra Peripateticis in more est positum, quibus fas non est, ab Aristotele recedere; eum refutare, scelus ac piaculum; imo non tantum Aristoteli, sed & Averro, & Alberto, & Thomæ & Scoto, & Okamo, & nescio quibus non, nomen dedere, quod tot nomina *Averrhoistarum*, *Albertistarum*, *Thomistarum*, *Scotistarum*, *Okamistarum*, & tot cursus *Thomisticæ* & *Scotisticæ*, &c. fatis ostendunt: Peripateticī libertatem suam non Aristotelī tantum, sed huic aut illi etiam

ex ejus interpretibus vendiderant; qui servi-  
lis agendi modus in Philosophia Peripatetica  
evolvenda omnino est vitandus.

V. Sed non tantum *Scoto*, ut *Franciscani*,  
non tantum *Thome*, ut *Dominicani*, non tan-  
tum *Averroi*, ut quidam ex *Latinis* interpre-  
tibus, sed ne ipsi quidem *Aristotelii* animus de-  
vovendus, aut fides est danda, quem, præter  
ejus mancipia, ex *Veteribus ac Recentiori-  
bus*, multi deserunt, cui multi aperte contra-  
dieunt: Ex *Veteribus* præalis nominandus,  
& *Philosophia & Martyrii* laude celebrerim-  
us, qui ab utroque nomen retulit, *Iustinus*,  
*Martyr*, ac *Philosophus* dictus: hic liberum com-  
positum sub titulo, *Confutatio dogmatum Ari-  
stotelis*, ubi multa ex *Aristotele* refutat, & in  
procemio inquit, *Aristotelem nihil recte defi-  
niisse*, de his quæ dicere proposuit. *Nazianzeni*,  
*Hieronymi*, *Epiphani*, *Tertulliani*, *Cyrilli*, *La-  
etantii*, imò ipsius *Augustini*, testimonia contra  
*Aristotelem* collegit *Thomas Campanella* in  
suo prologo *Institut. Scient.* ipse scriptis contra  
*Aristotelem & Peripateticos* clarus: imò ibidem  
*Thoman*, ac *Durandum*, paucosque alios, non  
nunquam *Scholasticos* ab *Aristotele* discedere,  
licet in paucis, fuisse ausos, idem refert. At  
verò plenissimè servitutis *Aristotelica jugum*  
excusserunt, qui barbariem à bonis litteris  
absterserunt, eruditionem ac *Philosophiam*  
suo nitoru restituerunt, cum densissime tene-  
bra orbem litterarium invasissent ante duo  
secula, *Franciscus Petrarcha*, variis in libris,  
sed præsertim tractatu de *ignorantia sui ipsius*  
& *alorum*; & *Laurentius Valla*, in sua recon-  
cinnatione *Dialectica & fundamentorum uni-  
versalis Philosophiae*, in cuius procemio verba  
extant huc quam maxime spectantia, quæ hic  
( quia liber *Valla* in paucissimum est mani-  
bus ) apponere non pigebit: sic interalia in-  
quit: *Libertas semper Philosophis fuit fortiter  
dicendi quæ sentirent, nec solum contra principes  
aliarum sectarum, sed & contra principem sue;*  
quanto magis *huius qui nulli sectæ se addixerunt?*  
*Quo minus ferendi sunt recentes Peripatetici, qui  
nullius sectæ hominem interdicunt libertate ab  
Aristotele dissentendi. Aristotelii se opposuerent  
tanquam Tyranno, geherosi isto seculo Spir-  
itus homines, *Ioannes Picus, Patruus*; & *Io-**

*hannes Franciscus Picus, Nepos, Mirandula Co-  
mites*; quorum posterior in examine vanitatis  
doctrinæ *Gentium & Veritatis discipline Chri-  
stiana*, sex librorum tres posteriores, uni  
*Aristoteli* refutando, impedit. *Aristotelem*, pa-  
rum solidum, in definiendo vastum, non  
multum bona frugis habere, falsas opiniones  
fovere, in septem de corruptis arribus, & quin-  
que de tradendis disciplinis libris, ostendit *Ludo-  
vicus Vives*, qui inter alia *l.p. de causis corr. art.*  
egregiè de hoc negotio differit: *Profecto*, in-  
quit, *Aristoteles ipse, si nunc vivoret, etiam si  
fuisset insolentissimus cuiusmodi non fuit* ( nam  
multa modestia ejus signa impressa sunt in ejus  
libris ) *sed si arrogantissem fuisset, istorum  
tamen stultitiam irridaret, ac castigaret.* At  
quorum, mi *Vives?* Subjungit; *Quorum  
persuasio efficit, ut multa recipieren in Philoso-  
phiam pro compertis atqne exploratis quæ mini-  
me erant talia; Videbiset, Aristoteles dixerat.*  
*Vivem secutus est simili instituto, & durissi-  
ma servituti suam cervicem subtraxit, quam  
tamen furenti ac fanguinolento postea ho-  
stium ensi, ob id quod Aristotelii contradicen-  
do Theologiam crederetur, sed falso, ener-  
vasse, à Peripatetico Collega *Carpentario* vel  
ejus filio proditus submittere debuit, odio-  
sum multis, multis pretiosum, nomen, *Petrus Ramus*, Regius Eloquentia ac *Philoso-  
phie* in Acad. Parisiensi Professor, cujus ext-  
tant adversus Aristotelem *Schola Logica, Phy-  
sicæ, Metaphysicæ*, quæ Libertatem philoso-  
phandi omnibus in posterum afferuerunt,  
quam & usurpare solent ejus *Philosophie* cul-  
tores, ab ejus nomine dicti *Ramei*, invisa multis  
capita. At præter *Ramum* ac sequaces pro  
libertate contra *Aristotelice* tyrannidis jugum  
pugnârunt tor alii, *Telesius de rerum natura*,  
*Patritius in discussionibus Peripateticis*, *Bassus in  
sua Physica*, *Chassimus de natura & mun-  
do*, *Campanella in multis libris*, *Flad. in Phy-  
losophia Mosaica*, & plerique ex hodiernis *Ma-  
thematicis*, ac præsertim *Copernicanæ hypothe-  
ses assertores*. Quid? quod inter *Scholasticos*  
& *Monachos Iesuitas*, *Aristotelis commentato-  
res & commendatores* nimios, multi hodie  
*Aristotelii* contradicant: *Conimbricenses* libe-  
rè ab eo recedunt, *Hurtadus* eum ignorante  
& obli-*

& oblivionis reum agit: *Arringa ipsum non curat:imo ante quinquennium Caramuel Lobcowitz Lovanii Philosophiam edidit rationalem & realem, in cuius præfatione statim in limine ait, Aristotelem illius à se sèpius deserit, rarius defendit, crebrius impugnari, imo non nunquam carpi & vituperari, eum quidem lucem & nunquam sibi esse, nunquam ducem, sibi non fuisse Scopum, ut ei adularetur: probat ibidem Campanelle disputationem, quam instituit in prologo Instaur. scient. ubi Aristotelisnum evertendum, Aristotelis contradicendum, ejus autoritatem minuendam, variis conclusiōibus docet, imo rationibus haud contemnendis probat, in aliquibus id necessarium esse necessitate præcepti ac salutis, in aliquibus esse utile, in multis licitum, imo in omnibus, ubi ratio contradicit Aristotelis. Hęc tuetur Campanella, Monachus ord. Præd. probat Lobcowitz, Abbas Melrocensis, qui eadem præfatione Aristotelis Physicam, caularum causam, Ethicam, finium finem, negare demonstrat; ac tandem concludit ibidem, *Dare nomen Christo & Aristoteli sèpissime est impossibile, aliquando difficile, perraro necessarium: profiteamur igitur potius, quam Peripateticam, Academiam Christianam.* At Christiana hęc est libertas, Christianis omnibus concessa, eorumque animis innata, in iis, quæ rerum spectant natūram & Philosophicā sunt contemplationis, nec Aristotelis nec ullius hominis autoritatī mentem suam subjecere, judicium suum submittere, quod, soli divina circa religionem authoritatī in verbo Dei, est præstandum.*

V I. Sed, ne autoritate hominum tantum philosophandi ac fentiendi contra Aristotelem libertatem vindicare videamus, ultra pergitus; ac dicimus nullam posse rationem proferri, cur ita in Aristotelis principia & opinione jurent Philosophi, ita sacrum ejus textum habeant, ut ei ne contradicendum sit: at contrā incertum est, an Aristotelis, cui ita submitti collum volunt, ullus extet qui ejus sit liber ab eo compositus; quod vel ex ipsis ejus Interpretibus haud difficulter colligi potest, qui cuilibet libro interpretando proponunt hanc questionem, *Sitne hujusmodi liber Aristotelicus, necne?* & videatur de hac quæst. Ioh.

Fran. Pic. l. 4. c. 4. Exam. Van. Doct. Gent. & certè multi nobis ex Aristotelis libris deficiunt, quos Laertius recenset, & multi nunc extant sub ejus nomine, quos Laertius non recenset: & probabile est, in Bibliotheca Alexandrina, spurious pro legitimis Codicibus Aristotelis nonnullos esse suppositos: sed demus extare aliquos Aristotelis libros; at incertum est, quid sit in illis, ipsius Aristotelis, propter varias & temporum & correctorum injurias, propter exscribentium & transcribentium nævios ac vitios, quam infelicem Aristotelis voluminum sortem ex Strabone & Plutarcho fuse probant, Iohann. Franc. Picus, lib. cit. cap. 5. Ram. Schol. Dialect. l. 1. c. 7. At vero & hoc largiamur: sunto Arist. omnia qua hodie extant: ratio tamen dubitandi manet alia, quæ incertitudinem arguit: Stylus truncatus & ambiguus, in multis faltem, iisque libris qui hodie maximè præleguntur, cum tamē aureum flumen à Cicerone ipsis in dicendo sit tributum: Ceterum, ne hoc ipsum quidem urgeatur, nondum tamē ex hisce omnibus concessis evictum est, Philosophos in philosophando reddendos esse ejus servos dediticos ac mancipia: nam, sicut Aristotelis libri qui extant, sit ejus doctrina, quæ iis continetur, ab ipso profecta, ejusq; stylo conscripta: nulla tamē causa est, cur ejus doctrinæ principiis & opinibus nos mancipemus, cur ei solum sacramentum dicamus, ipsis nos totos submittamus, addicamus, adstringamus: imo contrā rationes sunt sufficientissimæ, cur id non faciamus, libertatemque philosophandi nostram fartam teatam servemus: Nam, apud quem innumerā deficiunt atque omituntur, quæ tamē scire Philosophi veri & perfecti interest, apud quem multa superflua sunt & tautologica, apud quem multa sunt falsa, impia, veritati ac religioni injurya, apud quem multa pugnant & contradicunt: in ejus verba & opinione non est jurandum. At apud Arist. in libris, qui extant, ipsique adscribuntur, hodieque Philosophiam Scholis & Academiis proponunt, innumerā deficiunt, abundant, fallunt, pugnant. Ergo. Minorem probatam dare per chartę anguliam quia non licet, defendantam eam in ipso disputationis actu suscipimus, & vice thesiū.

fium legi possunt libri 4. 5. 6. Ioh. Franc. Pic. de Exam. van. doct. Gentil. & Schol. Pet. Ram. Log. Phys. Metaph. & Comment. Analyt. Autom. Tal. in lib. 1. Ethic. Arist. qui-  
bus, cui lubet, addi possunt, Franc. Patric. in

discuss. Peripat. Campanell. in questionibus di-  
sputatis ad Philosophiam Epilogisticam suam ac  
realem, & in suis Metaphysicis. Vives in lib.  
jam cit. Gassendus in exercit. paradox. adver-  
sus, cuiuslibet, addi possunt, sus Arist.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

Voluminis Secundi,

QUADRAGESIMA-SEXTA,

D E

# ENCYCLOPÆDIA.

## THEISIS I.

**V**ariis multisque modis, omnes omnino disciplinæ, partesque disciplinarum inter se convenient, ac præsertim, ratione tum efficientis (sunt enim ab eadem origine) tum finis (tendunt enim ad cundem scopum) tum materiae, tum forme, tum exemplaris: unde perpetua est earum *agitoria*, quâ amicæ inter se conspirant, ac sororiorum quasi vinculo colligantur, & quædam est in se invicem quasi immeatio, qua in infinitum sese mutuo notificant, explicando, probando, amplificando: atque hanc disciplinarum & partium in iis relationem, notatu dignissimam, scite exprimit vox, ENCYCLOPÆDIA.

**I**I. Ratione originis in communi *causa* efficiente convenienti disciplinæ, quia à Deo omnis naturæ, gratiæ, ac gloriæ principio profiscuntur, legitimoque humanæ rationis facultatum, tum inventricis, tum judicatrix, usū atque exercitio acquiruntur: qui facultatum usus consistit partim in omnigena perceptione seu receptione, ubi *sensu*; *sensus*, & *irrigua observatio*, partim in perceptorum dextra ac frugifera collatione, quo pertinet *enquiry*; *inductio*, & *experiencia*, partim in primorum axiomatum, istis mediis ac instrumentis inventorum, quæ disciplinarum omnium sunt fontes, columnæ ac normæ, ordinatissima catena, quod judicij est. Sed hæc paulo plenius sunt explicanda.

**III.** Causa efficiens disciplinarum, post Deum, omnis boni authorem, est *ratio*, *mens*, *ratio humana*, tum inventrix, tum judicatrix: hæc enim duo sunt ejus munia atque officia, invenire ac judicare. Ratio, cum ex se disciplinarum præcepta promere nequeat, ex rerum omnium usu ea petit ac colligit, usū, ad eorum inventionem, quatuor, seu mediis, seu adminiculis, seu instrumentis, sensu, observatione, inductione, experientia. *Sensus* est primum rationis instrumentum, notiones & imagines rerum singularium perceptas, seu singula & singularia in hominum peritorum usu cognita exempla, ad intellectum transmittens. Secundum rationis in inventione disciplinarum instrumentū est *observatio*, quæ exempla varia à sensu percepta observat, & colligit, memoriaeque tanquam fideli rerum custodi mandat. Tertium huic disciplinarum inventioni inserviens instrumentum est *inductio*, quæ ex multis variisque exemplis, in usu vita humanæ, sensu perceptis, memoria retentis, sufficienterque enumeratis, constituit notionem universalem: verum, quia inducțio facile nos in errorem inducit, debet notio ista universalis, sensu, observatione, & inductione collecta, ad *experiencia* tribunal fisti, quæ (quartum inventionis hujus instrumentum) generalem istam notionem suo testimonio quasi calculo confirmat, eamque ita illustrat

ac com-

ac comprobat, ut sine ulla dubitatione mensisti notioni universalis assentiatur. Acceditum ratio *judicatrix*, quæ notionem universalem, *sensus, observationis, inductionis, experientiae* beneficio inventam, si per se fuerit manifesta, in *axiomate dispositam*, ad tres illas leges scientificas, *et natus, et rationis, et probandi*, exigit atque explorat; si dubia fuerit ac controverfa, *fyllogismo* eam dilectipat ac probat; denique varias notiones ita inventas, axiomaticè dispositas, *fyllogismo*, cum est opus, confirmatas, methodice inter se se ordinat.

**V.** Ratione scopi in communi fine conveniunt disciplinæ omnes, quia ad *Deoglobriam hominisque* in hac vitâ perfectionem atque utilitatem naturâ suâ sunt ordinatae: itaque sic singularum disciplinarum in singulis partibus præcepta fuerint instituta, ut quam maximè faciant, ad pietatis in homine adversus Deum promotionem, & ad probitatis respectu sui & proximi exercitium: atque sic ex disciplinis omnibus ac singulis existeret perpetua ac continua elevatio mentis ac rationis in Deum.

**V.** *Materia communis*, in qua disciplinæ omnes conveniunt, sunt præcepta: ex iis enim disciplina omnis, tanquam ex membris corpus, constituitur: Ea non rudia esse oportet atque impoluta, sed expolita atque apta ad scientiam gignendam: quod ut præstant, *legibus, scientificis, et natus* seu veritatis, *et rationis* seu iustitiae, *et probandi* seu sapientiae, debent conformari. *Lex naturæ natus*, seu *veritatis*, sancit & requirit in disciplinarum præceptis veritatem, atque insuper exigit ut illorum veritas sit necessaria, absoluta, immutabilis, perpetua, affirmata, universalis ac de omni: est autem disciplina perceptum universaliter verum, cum universum consequens est verum, de universo antecedente, omnibusque sub illo antecedente contentis, semper & perpetuo: abesse ergo à disciplinis jubet hæc lex, præcepta negata, mutabilia, contingencia, falsa. *Lex naturæ rationis*, seu *justitia*, præcipit iustitiam, ut unicuique disciplinæ ejusque præcepto justa tribuantur ac debita, ut præcepta omnia sint homogenea & veluti unius

corporis membra: quælibet enim disciplina suos habet sibi limites, intra quos consistendum, & suum finem, ad quem non quibuslibet, sed certis ac cognatis præceptis pervenitur: hæc lex non tantum certos singulis disciplinis figit terminos, ne diversarum disciplinarum præcepta confundantur, sed & quævis disciplinæ præcepta jubet è partibus, quarum sit essentialis nexus, constitui: quod fit, cum pars altera præcepti est de alterius partis essentia, sic ut eam, vel constituat, vel constitutam immediate sequatur. *Lex naturæ probandi*, seu *sapientiae*, præter necessariam ac perpetuam, præter justam coëssentialem & consanguineam præceptorum veritatem, plus adhuc postulat, ut sapienter generalia generaliter, specialia specialiter, tradantur, & ut præcepta sint catholica, hoc est, constent partibus reciprocis & æquè latè patentibus: cavet ergo, ne specialia insipienter generalibus committantur, ne ex inæqualibus partibus componantur præcepta; adeoque odiosam omnem atque otiosam à disciplinis arcet tautologiam.

**V I.** *Forma disciplinarum communis*, in qua conformiter convenient, est, ut præcepta verè, justè, ac sapienter, fabrefacta, continuâ serie juxta naturæ ordinem prudenter disponantur, ac naturâ notiora & priora, ignorantibus & posterioribus, universalia ac generalia, particularibus ac specialibus, præponantur, aptisque transitionum vinculis inter se connectantur.

**VII.** *Ratione exemplaris* convenient disciplinæ omnes, quia sunt accuratissima panharmonici Mundi, & Macrocosmi & Microcosmi, pictura: ac disciplinarum eupraxia nihil est aliud, quam divinæ *dynamæ* imitatio atque expressio, secundum præcepta jam inventa, judicata, ac disposita, ab hominibus instituta: nempe, omnis disciplina suæ operacionis, & operis per præcepta instituendi, ideam atque exemplar mutuantur à Deo, Deus à seipso. Deus enim mundum condendo seipsum veluti expressit & quasi effigieavit, suæ bonitatis, sapientiae, potentiae characterem, naturæ imprimendo, & sic ideam sui relinquendo: quæ Dei idea, qui bonitatis divinæ, sapientiae, ac potentiae characteres, dum è naturâ eruun-

eruuntur à mente ac ratione hominis, rerum analysi, per sensus inchoatā, per observatiō nem proiectā, per inductionem perfectā, per experientiam confirmatā, jam disciplina- rum fundamenta jaciuntur, præcepta inve- niuntur, quæ ut disciplinas constituent, nihil

amplius requiritur, quam ut ea ad leges jam explicatas examinentur, &c., eo quo dictum est modo, disponantur; atque ita universam nobis absolvent ENCYCLOPÆDIAM, à Deo inceptam, in Deo terminatam, qui o- mnis sapientia est &c. &c.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

QUADRAGESIMA-SEPTIMA,

D E

## H O M I N E.

T H E S I S I.

**E**orum, quæ disquirit Philosophus, omnium utilissimum semper est habi- tum, se ipsum nosse. Quippe Homo, ut μηρονομός quidam, frustra εἰ μηρο- νομός, in omnibus aliis rimandis, infudat, ubi se ipsum, quid sit ipse, ignorat: ita rerum omnium scientiam incipere ab unius *Hominis* cognitione decet. Sed vero arduum hoc planè est negotium, & quam parum tam numerosis conatus, in hac sui cognitione, haec tenus ab homine sit effe- tum, docent tot copiosa volumina sapientum, tot discrepantes & indecise lites hominum de sui ipsorum naturā. Molestias tamen & difficultatum nodos quia compensat hujus contemplationis utilitas, placuit utramque hominis partem, Animam rationalē, & corpus, hac disputatione penitus inquirere, incipiendo ab anima tanquam parte hominis nobiliori.

**I.** Atque hic nō περ præsupponendo (nam Dicaearchi stultitia sapienti merito ridetur, qui animam nil nisi nomen inane dicebat) nō dīn primum occurrit definitione explicandum: quam hanc damus. *Anima rationalis* est *actus corporis organici*, quo intelligimus ac volūmus. Dicitur *actus*, ut rejiciatur i. *Materia*, quæ non est *actus* sed *potentia*; atqui *anima rationalis* non est *potentia*, sed *actus*, quia po-

tentiam perficit: 2. *Compositum*, tam natu- rale, quam artificiale, quod est ex *actu* & po- tentia conflatum: anima autem non admittit potentiam passivam, sed hujus respectu est purus *actus*, non secundus aut accidentalis, sed primus & substantialis: nam ipsa operatio est accidens operantis, at anima rationalis non est hominis accidens. Sed qualis est *actus*, af- fistens an informans? Resp. informans: adfistens enim esse non potest; quandoquidem hæc nihil aliud tribuit ei, cui adfistit, nisi motu localem: at anima corpus non modo mo- tu suo regit, sed & partes omnes intime permeat & informat. Dicitur porro *corporis*, ad excludendas substantias spirituales: sed neque cujuslibet corporis *actus* est, neque enim ho- mogenaei, ut aquæ &c. sed quod diversitate organorum instructum est. Corpus item hoc organicum, non est brutum, sed humanum: nam hoc cum anima rationali unitum, hominem constituit.

**III.** Disceptatum vero, an euilibet homini sua, an unica duntaxat confitenda foret *anima*? Qui dicunt, animam rationalē unam numero esse in tota humana specie, quæ omnibus affistat; ex ratione & ipsa rei neceſſitate convincuntur: nam primo, si anima est forma dans homini specificum suum esse, ergo necesse ut sit multiplicata, ad multiplicati- onem

tionem hominum, cum omnis forma Physica pro materiae multiplicitate sit multiplicanda, & unumquodque compositum propriam sibi requirat formam: Deinde, si unus numero intellectus esset in omnibus, exdem essent omnium cogitationes & operationes: sed quid hisce magis diversum? idem intellectus in alio esset sapiens, in alio fatuus, miser & felix, quibus nihil est absurdius: statuimus ergo, animam rationalem secundum numerum hominem multiplicari.

**I V.** Singulorum hominum unam tantummodo esse animam, recte rationi est consentaneum: 1. Quia unumquodque vivens est unum per se, ergo conflat unica forma, principali scilicet, anima; forma enim est, quae dat esse rei. 2. Quia si essent plures animae ejusdem rei, principales scilicet, eadem res haberet plura esse totalia distincta: nam, ad pluralitatem formarum principalium, sequitur pluralitas essentiarum distinctarum: unde aliquid unum esset & non unum; unum ex praesupposito, non unum quia plura haberet esse totalia à formis principalibus multis distincta inter se: certum igitur est, unicam tantum hominis dari formam principalem, animam scilicet, rationalem.

V. Hisce tamen non obstantibus, tres animas realiter distinctas in homine sine contradictione supradictorum constituiuntur. Distinguenda enim sunt hæc duo: non plane idem sunt, esse plures in homine formas, & plures esse formas hominis: nulla datur forma hominis, qua hominem constituit qua tales, nisi anima rationalis; per hanc enim homo est id quod est, & ab aliis discriminatur: per hujus abiensiam homo hominis & nomen amittit & naturam: quod tamen nihil impedit, quo minus, præter hanc principalem & solam hominis formam, plures formæ constituantur in homine quæ sint secundariae, disponentes, & animæ rationali subordinatae, & ab ea reali discrimine disjunctæ: eas duas damus, animam vegetativam & sensitivam, & probamus. Quæcumque à se invicem possunt separari, id est, distinctis locis ac temporibus existere, illa distinguuntur realiter. At anima vegetans ac sentiens, & rationalis, ita possunt separari.

Ergo. Major Logicorum omnium consensu verificatur: Minorem sic probamus, quia operationes, vegetantis animæ, ut crescere, augeri, nutritri, & sentientis, ut loco moveri, in ea reperiuntur, ante adventum animæ rationalis, quæ non nisi post peractam organizationem accedit; est enim actus corporis organici: neque hic metuendum, hoc pacto ne homo constitutatur triplex Geryon, aut primum nascatur planta, post brutum, aut simile quid, quia multiplicatio essentiarum non est a disponentibus, sed a principali forma, quam unicam tantum, animam scilicet rationalem, constituiunt ex thesi præcedenti: & notandum, quod anima vegetans in homine speciem ultimam non constituit, quia ordinatur ad superiorem: quod in planta non ita est, quandoquidem ad perfectiorem speciem non est ex natura ordinata. Sic nec anima sentiens in eodem homine speciem ultimam facit, quia ad rationalem ordinatur: quod non sic est in bruto.

**V I.** Questio hic moveri solet: *Vtrum inter animas rationales una sit perfectior essentia liter alia?* Hæc quidem questio in utramque disputari solet partem: nobis tamen impræsentiarum negativa placet opinio: & sic argumentamur. Si inter animas rationales una sit essentia liter perfectior altera, ergo substantia suscipiet magis & minus. Posterius est absurdum. Ergo & prius. Excipiunt Adversarii ad Minorem. Recipere magis & minus potest bifariam intelligi: vel quod in definitione perfecta alicuius rei possint addi vel subtrahi quædam prædicata essentialia ejus rationi formalis convenientia: vel quod prædicata ipsa essentialia possint intendi & remitti. Priori modo, ablurdum est, substantiam recipere magis & minus, posteriori sensu, non item. Verum enimvero illa distinctio nulla est, & sic argumentamur contra membrum posterius. Si prædicata essentialia possint intendi & remitti: Ergo aliquis gradus includetur in intenso, qui non includitur in remissio: atque hic gradus vel erit essentialis, vel accidentalis: si accidentalis, ergo una anima rationalis, non essentia liter, sed accidentaliter tantum, erit perfectior altera; & habetur intentum no-

strum. Si essentialis; Ergo gradus iste essentialis erit quædam differentia essentialis, per quam una anima rationalis differet ab altera: Quid enim fuerit aliud? At differentia essentialis in diversis animabus infert diversitatem specificam. Ergo hæc anima rationalis ab illa differet non tantum numero sed specie. Ergo & individua differentia specie, quia unumquodque individuum suam sibi habet animam rationalem. Atqui individua non differunt specie, quia non habent differentias divisivas, & tum individua non forent, quod est absurdum. Deinde, si essentia substantia prædicta recipiunt magis & minus, Ergo hoc compositum, hæc materia, hæc forma, erit magis compositum quam illud, magis materia quam ista, magis forma quam alia; & una anima rationalis erit magis actus, corporis magis Physici, magis organici, magis potentia vitam habentis, quam alia: sunt enim hæc omnia prædicta essentia. Atqui hisce omnibus nihil potest dici absurdius. Ergo & absurdum est Antecedens, ex quo ita sequuntur. Sed hæc de Animæ rationalis essentia suffecerint.

VII. Nunc alteram Hominis partem indagemus, puta corpus, quod qui pro vehiculo tantum habent Animæ, & non pro parte hominis, à veritatis tramite nobis aberrare censemur, quia tum homo non foret compositum, non magis quam Angelus affumens corpus. Quid vero sit corpus humanum, utcunque videatur esse notissimum, attamen non ita est notum, quia ne corporis quidem naturalis natura, in quo sit sita, satis in aperto est; quæ ubi constiterit, & de corpore hominis, quid sit, constatibit. Age igitur in corporis naturalis definitionem inquiramus. Sunt qui illud definunt, *Ens per se ex partibus extra partes*. *Ens*, nempe quod est, vulgo dicunt, *Ens reale*. *Per se*, nempe, existens per se, id est, quod non est in alio ut in subiecto. *Ex partibus extra partes*, id est, quarum una non sit alia & quæ loco ac situ differminantur ac separantur. Partes extra partes, quæ sunt ipsum corpus, quia sunt partes, faciunt illud unum (neque enim sunt partes, nisi uniantur) quia sunt extra se invicem, fa-

ciunt illud extensum: neque enim sunt extra se mutuo, nisi corpus reddant extensum. Alii Corpus definunt, quod est *extensus in longum, latum, & profundum*; quæ definitio licet à priori non multum recedat, censetur tamen vulgo, magis competere corpori Mathematico quam Physico, & esse magis definitio à posteriori & proprio quam à priori aut essentia: nisi quis corpus Mathematicum cum Physico idem esse velit. Vulgatissima definitio est, qua Corpus naturale definitur, *Totum ex materia & forma constans*, quæ licet videatur esse clarissima, non ita tamen est. Quidam materiam & formam hinc sic explicant, ut *Materia sumatur pro individuo sensibili* quatenus est subiectum formarum, quibus determinatur, quæ dicuntur, substantia, essentia, magnitudo, qualitas, relatio, &c. & *Forma* talis materia nihil nihil tum fuerit aliud, quam *intelligibilitas*, in illo ente, quod appellamus individuum materiale seu sensibile, quod vere & à parte rei est Ens per se compositum ex partibus extra partes: atque hæc forma vulgo dicitur *formalitas*. Et Materia, sumpta, quatenus neque est sua ipsius essentia, id est, quatenus neque est quid, neque est sua ipsius magnitudo, id est, quatenus neque est quantum, neque est sua qualitas, id est, quatenus neque est quale, neque quatenus est sua relatio aut alia hujusmodi sua intelligibilitates, qua determinetur, sed quatenus est subiectum illarum omnium, est Materia prima: quatenus vero jam intelligitur determinata per essentiam, quatenus jam est subiectum aliarum intelligibilitatum, magnitudinis, qualitatis, relationis, & aliarum, dicitur Materia secunda. Sed hæc Corporis naturalis compositio ex Materia & Forma, prout illa est individuum sensibile, cui tanquam subiecto convenienter illæ formæ seu intelligibilitates, hæc vero est ipsa intelligibilitas, est tantum compositio Metaphysica per intellectum vario modo intelligentem totum sensibile. Alii itaque Materiam & Formam sumunt aliter: & hi per materiam intelligent *partes componentes*, per formam vero *totalitatem* sive *unitatem*, quæ ex illa compositione resultat. Hoc modo Materia conci-

concipitur ut Multa in uno, Forma ut Unum ex multis. Atque hic est distinctissimus Corporis naturalis conceptus, ut illud nihil aliud sit quam partes extra le invicem sed unitæ, & partes sint Materia, unio Forma. Atque hæc compositio ex materia & forma non est entitativa, id est, tanquam inter duo entia realia distincta, neque enim entitas totius alia est ab entitate partium unitarum, licet formalitas sit diversa. Quare materia & forma non re ipsa distinguentur hoc sensu, sed formaliter tantum & ratione ratiocinata: quæ est Philosophia Aristotelis. Vid.8. Metaph. i. 16. ubi disertis verbis inquit: *Materia autem ultima & forma idem sunt*: ubi per Materiam ultimam intelligit instructam, præparatam, formatam. Denique alii per materiam & formam intelligunt duas partes componentes corpus naturale, inter se se ipse & naturis atque essentiis distinctas, quarum una subiecta alteri ac sit minus mobilis, sc. mate-

ria, altera priori superveniat ac sit magis mobilis, sc. forma: atque inter has distinctio est entitativa, quatenus alia est essentia materia, alia talis formæ. Verum enim vero hæc & talis compositio non convenit omni corpori naturali, immo nulli nisi homini, qui solus hoc sensu potest dici corpus naturale, utpote cuius forma sc. anima rationalis caret partibus extra partes, materia vero sc. corpus eas habet. Sed de hoc, sc. Hominis altera parte, quærebatur, in quo ejus confisteret natura: quam, uti & aliorum corporum essentias, qui ex materia & forma compo- fuerit, tanquam entibus distinctis licet incompletis, & contra rationem & contra Aristotelem philosophetur. Quare nos medium acceptionem Materie & Formæ assumimus & in ea acquiescimus, aut definitionem Corporis naturalis primam acceptamus. Atque ita Hominem ab utraque sui parte explicatum dedimus.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

*Voluminis Secundi,*

Q U A D R A G E S I M A - O C T A V A ,

D E

## PHILOSOPHANDI RATIONE.

### T H E S I S I .

**V**T certam de rebus scientiam mens acquirat, nec inter varia opinionum avia confitutus animus paulo momento illuc impellatur, aut veritatis specie seductus indigos foreat errores; ante omnia videndum est, qua sit in fundendum via ad solidam rerum omnium cognitionem acquirendam; & investigandum, quænam sit prima ac certissima veritas, quæ tanquam fundamentum sit ac principium omnis demonstrationis, quæque omnis falsitatis ac incertitudinis expers, nec anam dubitationi præbeat, nec errori.

II. Hanc autem Philosophandi rationem ac viam ut firmiter ac constanter teneamus, in

id incumbendum est, ne vagante extra limites sibi positos sensu, aut propensa nimis ad credendum voluntate, assensum rei aut facile aut falso præbeamus. Et quamvis non omnia falsa sint, quæ sunt incerta, nihilominus tamen cum nobis, de veritate eorum quæ sunt incerta, nihil constet certi, non minus ab iis atque ab apertè falsis assensus est cohibendus.

III. Omnia igitur ista tanquam falsa supponemus, quæ vel minime falsitatis aliquæ de causâ possint esse suspecta: omniaque, quæ unquam in dubium vocavit Scepticorum Schola, tanquam mera figura ac vana

quædam ludibria, & à veritate remotissima, tenebimus: Omnes denique res, quæ existere dicuntur, pro somniis habebimus, donec aliqua certa veritas existentiam comprobarit.

IV. Vocatis in dubium rebus omnibus vel potius negatis, videndum, an quicquam sit, quod præ manifesta veritate negari non possit: quod si fuerit inventum, facile hyperbolis dubitationibus satisfiet. Certe dum de rebus omnibus dubito, dum mecum ipse perpendo, sitne aliquid adeo certum, de quo dubitari non possit, ecce, illud mihi se offert, & prima veritas ex ipsa dubitatione colligitur, *Cogito, dubito: ergo sum.*

V. Quamvis enim fallar, dum cogito, quamvis à vero aberrem, nihilominus tamen illud certum an inconclusum est, me esse, quia cogito ac dubito. Nego existentiam rerum omnium certam, mei folius existentiam certissimam negare non possum, actum enim cogitandi exerceo; at quomodo cogitare possit, quod non est, cum agere præsupponat esse. Et quamvis dubitem, qualis sim, tamen, quod sim, certus sum; & cum reliqua omnia possint pro falso haberi, illud tamen adeo manifesta est veritatis, ut quo magis dubitem de rebus aliis omnibus, an existant, eo de mei ipsius existentia sim certior.

VI. Atque hæc est prima illa veritas, qua rem aliquam esse firmiter & invicte probatur: Huic deinde superstrui possunt omnes de aliis rebus demonstrationes; & id quidem necessario: nisi enim hinc in philosophandi ordiamur, nihil, manifestis licet rationibus, evincemus, quod à quovis Sceptico, aut ut falso negari, aut ut dubium ac incertum rejici, non possit: nisi enim hanc demonstrandi ingrediamur viam, præsupponenda multa erunt, quæ non quivis concedet; & cum certissimum oporteat esse scientiæ nostræ fundamentum, tanquam valde incertum forsan preclario id obtinebimus.

VII. Et nulla quidem alia est ratio eradicandi penitus Scepticismi, quam si concessis ipsorum dubitationibus eo deducantur, ut aliquod certum in Philosophia ac stabile agnoscentes principium, discant, opinionibus suis rejeclis, veritati firmum præbere assensum.

VIII. Hic vero cognoscendi ordo, qui à nobis ipsis & nostri cognitione originem sumit, naturæ ipsi est consentaneus: necessario enim illud primo cognoscimus, quod primo se intellectui offert; at nihil se prius intellectui offert, quam intellectus ipse: nam prius mens ipsa actionem suam cognoscit, quam aliquid objectum, circa quod ista actio veratur.

IX. Cognitio autem ista, quæ à sensibus initium facit, quoniam sœpe fallitur sensus, nihil certi ac indubitati gignere potest: ideoque tantisper illa sensualis cognitione pro nulla haberi debet, donec tandem per evidentes consequentias ex hac, quam statuimus, primæ veritate eo deducta res sit, ut, quid verum sit ac falsum, ac quoque credendum sit sensui, cognoscentes, tuto etiam sensibus fidem habeamus. Itaque cognoscendi ordo nullo modo à sensu, sed ab intellectu inchoari debet, &, confirmatis reliquis, postremo ad sensum pervenientum est.

X. Philosophandi ratio, quæ à sensibus initium facit, minus certa ac solida est, nec eo pertingit, quo Philosophia pertinere debet: contra hæc, quæ ab intellectu orditur, vera est ac genuina Philosophandi methodus, & verum ac genuinum Philosophiae finem affequitur, quippe quæ in solidam rectamque ac certam Dei, sui ipsius, rerumque aliarum, notitiam hominem Philosophum deducit; tantum abest, ut vel ad Atheismum, Enthusiasmum, Libertinismum, Epicureismum, aut Scepticismum viam sternat.

### A N N E X A.

1. Duo sunt Philosophiae Peripateticae virtus, præjudicium & servitus.

2. Præjudicium, quo veritas apud solos ipsis Philosophiae autores ac cultores habitare existimat.

3. Servitus, qua ita fides ipsis se & Auctori vel Auctoriis astringitur, ut ab ipsis vel ipsis placitis recedere ne tantillum licet.

4. Virtus ista cadunt in Philosophiam, non Aristotelis, sed Aristotelicam.

5. Aristoteles, & liberimè, & nullo ullius Philosophi præjudicio præoccupatus, est philosophatus.

6. Quo

6. Quo ad extatē Aristotelis accesserunt propria Philosophi, eo fuerunt magis ab utroque virtute immunes.

7. Inepti sunt, qui Philosophiam modernam ex Aristotele, Peripateticis, ac præseri Scholasticis haustam, vocant Orthodoxam.

8. Nec Aristoteles est Index controversialium in Philosophia, nec istorum hominum opiniones sunt veritatis mensura aut regula.

9. Philosophia objectum, nullius Philosophi est placitum aut opinio, sed Deus & natura, tum Macrocosmi, tum Microcosmi.

10. Philosophiae principium à quo, est ratio, mens, naturale intellectus humani lumen, per principia menti naturaliter in sua & conclusio-nes eductas, seu per ideas innatas & adventi-tias.

11. Errant, qui usum rationis mentisque ratio-nicium ex Theologia proscribunt, cum & hic ratio ex principiis revelatis conclusiones educat.

12. Non satis accurate loquuntur, qui dicunt, Mysteria in Saeculis revelata fide tantum teneri, non item ratione.

13. Nihil tenetur fide, nisi & ratione tenea-

tur, prout ratio significat id, quo scimus, non, ex quo scimus.

14. Ratio est, quæ credit, & non credit nisi cognoscat, quia fides est notitia.

15. Cognoscendi per fidem causa ac fundamen-tum non est demonstratio, sed authoritas te-stantis, quia in eam ultimo resolvitur ista cogni-tio.

16. Mysteria fidei sunt supra rationem, qua-tenus cognoscit nequeunt nisi ex lumine revelatio-nis, & in quantum revelata non comprehendun-tur, sed apprehenduntur.

17. Mysteria fidei sunt contra rationem ex qua discimus, id est, contra principia & placia à ratione naturali efformata: ideoq; præstat quascunque Philosophorum assertiones ac definitiones rejicere ut veritas revelata servetur.

18. Mysteria fidei sunt contra rationem qua discimus, id est, facultatem judicandi con-sideratam in eo statu in quo nascitur, & quatenus acquisitis quibusdam tintâ est.

19. Mysteria fidei non sunt contra rationem, in quantum est imbuta luce Scripturæ, si spectetur actus apprehensionis.

### Disputationum ex Philosophiâ selectarum

Voluminis Secundi,

### QUADRAGESIMA-NONA,

D E

## RERVM MATERIALIVM NAT.

### THEISIS I.

**Q**uoniam probata Dei existentia, & co-gnito eum non esse fallacem, distinctè & clare percipere possumus naturam corpoream, sequitur corpora à Deo posse pro-duci, quia quicquid clare & distinctè percipi-pere valemus, illud nullam includit repug-niantiam, ut à Deo efficiatur.

11. Actu autem corpora existere sequitur, quia nobis rerum corporearum idea obver-santur; ac proinde aliquam causam habeant necesse est; eaque erit vel ipsa nostra mens,

vel aliquid à mente diversum: prius quidem esse non potest, quoniam in nostra potestate non est, ut unum potius quam aliud sentia-mus, & nobis invitis istæ rerum materialium idea occurrent, idque nulla præsupposita in-lectione.

111. Causa ergo istarum idearum vel erit corpus, in quo omnia formaliter continen-tur, quæ in ipsis ideis objectivæ; vel si corpus non sit, aut erit Deus, aut aliqua alia creatura corpore nobilior, in qua ideae contineantur eminent-

eminenter. Atqui cum Deus fallax non sit, omnino est manifestum, nec Deum immediatè per se illas mihi ideas immittere, nec eas ab aliqua creatura nobiliore, in qua formaliter non sint, procedere. Sed cum Deus mihi nullam dederit facultatem, qua cognoscam eas vel ab ipso immediatè, vel ab aliqua creatura, in qua forent eminenter, produci, sed contra magnam mihi infeverit propensionem credendi eas à rebus corporis emitti, necessario à rebus corporeis emitti debent, nisi Deum fallacem esse malimus credere.

IV. Unde sequitur quoque, aliquid corpus menti nostræ arctius quam reliqua esse conjunctum, quoniam dolores aliisque sensus nobis ex improviso sœpe adveniunt, quos mens est conscientia non à se sola proficiunt, nec ad se pertinere, quatenus est res cogitans, sed quatenus rei corporeæ adjuncta est, atque ideo ad se pertinere.

V. Natura corporis in genere non consistit in eo, quod sit res dura, ponderosa, vel colorata, vel alio aliquo modo sensus afficiens, sed in eo tantum, quod sit res extensa in longum, latum, & profundum: omnes enim istæ qualitates sensibiles, quia non in omnibus corporibus universæ reperiuntur, omnino à natura corporeæ abesse possunt, ipsa interim integra ac falsa permanente.

VI. Sed fortasse cuiquam non videbitur natura corporis in extensione esse sita, eo quod extensionem à corpore separabilem esse arbitrabitur, vulgato rarefactionis & condensationis argumento motus: sunt enim in ea sententia multi, ut existimant corpora rarefacta plus habere extensionis, quam eadem condensata; existimantque præterea quantitatem & extensionem inter se & à corporeæ substantia esse diversas. Sed rarefactio & condensatio huic nostræ sententie non obstant: sunt enim sola figuræ mutatione, ita ut illa corpora sint

rara inter quorum partes multa sunt intervalla, aliis corporibus plena. Cum autem illa intervalla minuantur, vel plane tolluntur coenibus ad se invicem partibus, corpora condensantur, idque vel magis, vel minus, prout partes magis vel minus ad se invicem accedunt: ut si sponsa aqua repleta comprimatur, atque hoc pacto condensetur. Et quamvis non semper illa rarefactionis & condensationis ratio in sensu incurrit, et cum aer aut aqua rarefiunt, rationi tamen maxime est consentanea, ita ut magis conveniens nulla possit cogitari. Cum enim quantitas, extensio & corpus reipæ non differant, sed tantum ex parte nostri conceptus, necessario sequitur quantitatem & extensionem nullam alicui corpori accedere, nisi simul aliquid substantiae corporeæ accedit. Quantitatem vero non distingui à substantia corporeæ hinc patet, quia, qui corpus ab extensione aut quantitate distingunt, aut nihil concipiunt, aut confusam tantum substantias incorporeas habent ideam, quæ corpoream repræsentare non potest.

VII. Alios fortasse movebit, ut in extensione essentiam corporum sitam esse negent, quod, ubi meram extensionem, in longum, latum, & profundum, intelligimus, non ibi corpus esse dicamus, sed inane spatium, quod plerisque purum nihil est. Sed illa extensio, in longum, latum, & profundum, quæ in spacio est, est eadem quæ est in corpore: solum in eo differentia est, quod in spacio extensioni tribuamus unitatem genericam, in corpore singulararem. Eandem autem esse & in spacio & in corpore extensionem manifestum ex eo est, quod sublati à corporeæ substantia iis omnibus, quæ ab ea possunt separari & ad ejus essentiam non pertinent, nihil remansurum sit præter extensionem, in longum, latum, & profundum. Substantia corporea igitur nihil aliud est quam Res extensa.

## Disputationum ex Philosophia selectarum

Voluminis Secundi,

Q U I N Q U A G E S I M A ,

D E

## C O M P O S I T I O N E C O N T I N V I .

## T H E S I S I .

**S**I quæ in *Philosophia Opinio difficultatibus inextricabilibus fere est involuta, est ea & à περιποτησίαις de sectione continui in infinitum, quæ ipsa, ut à Peripateticis ex Aristotele doceri solet, ut à Praeceptoribus mihi est tradita, ut in Aristotelicorum libris à me est perfecta, nunquam animo meo satisfacere aut placere valuit, sed dubia mihi semper fuit & de falsitate suspecta, non tantum, quod ipsi inter se Aristotelis sectatores in ea explicanda non convenirent, sed quod falsæ de compositione continui sententia inniteretur, & præfertim, quod istam continui, seu corporis, seu motus, seu temporis, in infinitum divisionem, tanquam fundamentum substerni deprehendisset, assertæ mundi ab Aristotele æternitati. Quomodo enim aliquid ex nihilo fuerit creatum, ac quomodo non potius omnia sint æterna, cum nullum primum, nullum ultimum, motus vel temporis instans, dari possit, admissa Aristotelis de Continui compositione & in infinitum divisione sententia? Quare nos de Continuo veritatem, non ex turbidis Aristotelicorum aut impuris Scholasticorum lacunis, sed ex limido Democriti puto & clarissimis Atomistarum fontibus hauriamus: præstat enim in hoc negotio Atomistam esse, quam aut Thomistam aut Aristotelicum. Certior ex hoc Continui Labyrinto & ad veritatem tutior dux erit Democritus quam Aristoteles, cuius sententia tam est hic intricata, & explicatu, nedum defensu, tam difficilis, ut veteres omnes & recentiores hic naufragium faciant, dum ei veluti faxo adhærefcunt, a qua recedere, etiam cum errat, piaculum ipsiis est. Operæ pretium est quatuor recentiorum ex*

Aristotelicis hic mancipiis deponere querelas. Materia de compositione Continui talis est, ut eam, inquit Hurtadus de Mendoza disp. Phys. 15. sect. 1. nullus non exhorreseat Philosophus, quia ejus difficultates opprimunt ingenium humanum. Arriaga. Disp. Phys. 16. Devenimus in materiam totius Philosophiae difficillimam: sed vel inde solarium est, quia communis est omnibus difficultas, nec ullus se se non fatetur tantæ difficultatis pondere oppressum, ut humani ingenii superbia humiliaretur, tenuitatemque suam agnosceret, cum nec unius palea valeat compositionem recipere. Franciscus le Rees Disp. 3. in Phys. de Continuo. Moneo nos in eam nature caliginem descendere, in qua vix affulgeat Pharus rationis: hic Scyllæ incurvius & Charybdes, eorum etiam infames naufragii, qui mulitis retro seculis sapientiae nomine claruerunt. Oviedo. Controvers. 17. Phys. Aggredimur continui compositionem, cuius hucusque non superata difficultas omnium Doctorum male ingenia vexavit, neque ullus fuit, qui illam non pene insuperabilem agnoscat. Hanc plerique terminorum obscuritate, illorumque replicatis & implicatis distinctionibus & subdivisionibus, obtenebrant, ne aperte capiantur, desperantes, rem posse alio modo tractari, neque rationis lucem sustinere, sed necessario confusionis tenebris obtegendarum, ne argumentorum evidenter detegatur.

II. Verum enimvero non terremur objectis larvis, & quam negat explicationem compositionis continui, Aristotelis Peripatus, suppeditabit Zenonis porticus ac Democriti puteus, unde veritatem eruemus, fecuti filum Patrii, Bassonis, Berigardi, Magneni, aliorumque

Y y supra

supra vulgus Philosophorum. Esto igitur hec nostra assertio. *Continuum ex solis componitur indivisibilibus, finitis, & unitis.* Quemadmodum ex unitatibus continuo accumulatis fit numerus, ex pluribus acervis resultat arena major, ita ex pluribus indivisibilibus unitis fit continuum: sicut autem unitates & arenæ sunt in se finitæ, licet nobis indefinitæ, ita & indivisibilia continuum componentia sunt in se finita, licet nobis indefinita. *Probatur assertio. 1.* Si continuum non componeretur ex indivisibilibus finitis, haberet partes in infinitum divisibiles, ita ut, facta qualibet divisione, restarent aliae & alias sine termino: Sed hoc est absurdum: Ergo & illud: *Probatur minor.* Datis partibus in continuo infinito divisibilibus, dabitur in quantitate etiam minima infinitum simpliciter, quia continui divisio nunquam exhaustur. Atqui hoc est absurdum. Ergo & illud. *Probatur minor.* Quia tunc nulla magnitudo revera pertransiri posset per motum localem: Nam, antequam transeat totum, debet transiri dimidium, & ante illud, dimidiæ dimidium, & sic consequenter in infinitum: infinitum autem pertransfiri nequit, imo vero nulla ratione per creationem aut generationem produci potest: adeoque, qui continuum componi ex partibus in infinitum divisibilibus asserunt, non solum motum & tempus infinitum, sed materiam etiam primam omnium corporum esse ingenerabilem & incorruptibilem, adeoque mundum esse ab æterno, ut asserant, necesse est. Certe, quicquid creatum est, pertransitum, comprehensum, & transactum est à creatore: ideoque partes infinitas in se non habet, ex quibus vel componi, vel in quas dividi posset, quia illæ pertransiri non possent.

*III. 2.* Ex infinite insuper partium continui, illud vel componentium vel dividientium, sequitur ex hisce duobus alterum; aut infinitum unum esse majus altero, aut partem toti esse æqualem. Totum autem est majus dimidio; & cum utrumque in se parte contineat infinitas, unum infinitum, sc. totum, erit majus infinito altero, sc. dimidio; aut eidem erit æquale, & sic parti totum æquabitur.

Quin etiam in quantitate, nec parvum aut magnum, nec majus aut minus, dabitur: nam magnum dicitur, quod multas vel plures partes habet, parvum autem, quod paucas vel minores. At, si omne continuum habet infinitas partes, unum non habet plures partes quam alterum: Si enim fieri posset, ut plura numero infinita forent uno, illa haud dubio inter seæ aequalia forent. Imo vero non dividium solum toti, sed corpusculum vel pulvisculus toti mundo æquabitur. Aut enim pulvisculus in tot numero partes dividi potest, in quot mundus universus, aut non potest: si potest, cum sint ejusdem multitudinis, erunt etiam ejusdem magnitudinis & molis, quæ ex totidem numero partibus componentur & coalescent, ac constabunt: in utroque enim subdividendo nunquam pervenitur ad finem, ex sententia Peripateticorum: si non potest, ut revera non potest; ergo in divisione grani citius ad finem pervenio, quam in divisione mundi. Atqui hoc fieri non posset, si utrumque ex partibus constaret infinitis & in infinitum divisibilibus. Præter hæc omnia, in infinito, partes cogitare vel totum, duplum vel dimidium, est monstrum simile.

*I V.* Excipiunt *Adversarii;* *Continuum non habere partes simpliciter infinitas, sed secundum quid, non categoretice, sed syncategoretice, non æquales, sed proportionales, communicantes, aliquotas; &c, divisionem continui semper debere fieri proportionaliter, ut (si loquuntur de dimidio & duplo) linea pedalis & bipedalis, corpus dimidium & totum, in infinitas partes utroque dividatur, & in infinitum subdividatur, sed ita, ut linea bipedalis semper dividatur per partes majores, pedalis vero per partes minores, & ut corpus totum continuum cum dimidio dividatur in partes infinitas, ita ut diviso totius procedat per partes duplo majores, diviso dimidii per partes duplo minores vel dimidiatas. Hac responsione argumento nostro satisfactum existimant: sed vero effugium est merum, quod, præter verba obscura, nihil in se habet aut continent; quod sic porro ostendimus.*

*V. §. I.* Facta divisione continui in partes, sub hac proportione, propter quam dicuntur proportionales, in fine unius horæ man-

manebunt infinite divisæ, & æquales cum illa parte, quæ divideretur post infinitas divisiones: quis hinc non videt extitum infinitum simpliciter, quo nihil est absurdius. Et, licet illæ partes continui divisæ non facerent infinitum simpliciter in magnitudine, facerent tamen in multitudine, quod æque est absurdum: nam cuilibet illarum partium proportionalium correspondere potest unus numerus realis, sunt enim illæ partes reales: non enim continuum componitur ex partibus rationis: cum itaque proportionales illæ partes sint infinitæ, & infiniti numeri illis respondebunt: adeoque dabitur numerus simpliciter infinitus, quod est absurdum.

V I. §. 2. Exceptio illa Adversariorum petit. *¶* *¶* *¶* De hoc enim queritur; Ecquid in totius & dimidii divisione, tot vices subdivisionum, si non actu & categorematicæ, saltem potentia & syncategorematicæ, dentur in dimidio, quot dantur in toto, observata illa continua divisione proportionali, quam exigunt. Ipsi sane affirmare coguntur, tot vicibus dimidium proportionem dimidiata posse dividiri, quot vicibus totum eadem proportionem dimidiata subdividitur. At hoc ipsum nego, ac pernego, & dico esse falsissimum. Quin affirmo, eo nomine totum aliquid dici respectu dimidii, quod duplo plures in se partes habeat quam dimidium, & quod ob id una etiam vice sæpius aut amplius subdivisionem admittat, quam dimidium, ex natura proportionalis divisionis, vel quod totum duplo plures vices subdivisionum admittat, quam dimidium, cum in se duo dimidia contineat, quorum utrumque in tot partes dividi potest, in quot unum dimidium feorsim sumum. Quod ut evidenter cognoscatur, ad numeros revocetur. Ponamus duo corpuscula inæqualia, unum duplum, alterum dimidium, &c, quia omnia in certo numero & mensura sunt condita, &, horum unum alterius duplex ponitur, attribuamus utriusque certos proportionatos numeros. Sit duplex partium indivisibilium 8192, dimidium 4096, jam faciant periculum Adversarii proportionali illa sua & dupla divisione in utroque, an dimidium tot vices subdivisionum admittat, quot

totum: reprehendent, quod totus numerus dimidium unica vice subdivisionum supereret, hoc est, quod dimidio major sit suo dimidio: nam in utroque numero totum admittit quatuordecim vices subdivisionum proportionarium duplarum, dimidium vero tantum tredecim: quod comperiet, qui utriusque subdivisiones proportionales instituerit. At infinitum infinito nec majus est nec minus. Ergo ne quidem hoc *κεντρόψησθε*, partium proportionalium & non æqualium Adversarios juverit.

V II. Sed missis *Adversariorum* exceptiōibus, ulterius probemus, Continui ex partibus indivisibilibus finitis Compositionem. 3. Quia alioqui sequeretur, quodlibet punctum terminativum continui immediate terminare partes infinitas ejusdem continui. Sed hoc est absurdum. Ergo & illud. Probatur consequentia Majoris. Quia, vel illa pars, quam terminat punctum, est divisibilis, vel indivisibilis; si indivisibilis, habemus intentum: si divisibilis, potest dividiri in partes infinitas: ergo punctum tangit id, quod habet partes infinitas. Atque idem potest fieri argumentum, de quolibet puncto continuativo seu copulativo. Ad hoc argumentum duo excipi possunt ab *Adversariis*. 1. *Vnum indivisibile non posse terminare aliud immediate.* 2. *Non dari in continuo indivisibilia realia copulativa & terminativa.*

V VIII. Ad 1. Resp. Quod unum indivisibile possit aliud terminare ac tangere immediate. Rogante *Adversarii*. Vel secundum se totum tangit, vel non. Si non, ergo indivisibile habebit, divisibilitatem: si scilicet, primum indivisibile penetrabitur cum secundo, eique adæquabitur; nec poterit facere majus continuum, quia indivisibile additum indivisibili non facit majus. Resp. primum indivisibile tangit secundum se toto; neque tamen sequitur, dari penetrationem utriusque invicem, quia ad illud, ut unum punctum tangat aliud, sufficit unum alteri esse unitum vel continuum. Quod ex motu Sphærae supra planum liquet: &, cum aliunde ex nostra sententia non dentur partes divisibles, censetur unum tangere alterum secundum se totum, non tamen est intra illud,

quod tangit, penetrando, sed extra illud: sicut enim una superficies, licet aliam totam tangat, non penetrat aliam (aliquin non gemina superficies aut quantitas foret sed una) ita unum punctum, licet immediate alterum tangat, non tamen penetrat illud. Quod addunt, *indivisible additum indivisibili non facere majus, id eque ex uno punto, quod additur alteri punto, non posse continuum refutare majus*; Resp. Quemadmodum unitas una (qua est quoddam indivisibile, nam una unitas dividi amplius nequit) addita alteri unitati facit maiorem numerum, quidni unum indivisibile quantitatis continue additum alteri faciat majus continuum? sicuti materia & forma, quamvis non fint totum Physicum, faciunt tamen totum Physicum.

I X. Ad 2. Resp. 1. *dari indivisibilia in continuo realia*, facile probari potest; quia continuum est ens reale: si igitur ex indivisibilibus constet, ut est evictum, oportet ipsa esse realia: ens enim reale, non potest compendi ex entibus non realibus. 2. *Dari indivisibilia realia, copulantia*; facile etiam probatur, quia omne continuum dicit partium copulationem & unionem: partes vero debent medio aliquo uniri ac termino aliquo copulari: sed hic terminus copulans non est aliquid divisibile: nam sic etiam esset continuus, nam omne divisibile est continuum: ac proinde alio iterum termino copularentur ejus partes; qui terminus si iterum sit divisibilis, iterum quoque est continuus, & sic daretur progressus

in infinitum. Et si terminus, copulans continui partes, foret divisibilis, non esset simpliciter communis, sed tantum secundum unam partem communicaretur uni, & secundum alteram partem alteri. 3. *Dari indivisibila realia, terminantia*; facile constat: si enim continuum constet ex indivisibilibus, ut est probatum, ultima indivisibilia dicentur optime terminativa continua, quia per illa terminatur seu finitur continuum.

X. Et sic satis probatum est, *Continuum componi ex indivisibilibus unitis*, restat ut probemus, ea quoque esse finita. 1. Si ipsum continuum sit simpliciter finitum, non possunt esse infinita indivisibilia, quae illud compount: si enim indivisibilia componentia sint infinita simpliciter, & ipsum continuum erit infinitum simpliciter; quod est absurdum. 2. Si in continuo detur pars media, Ergo partes continui sunt finitae: At indivisibilia sunt partes continui componentes, ut liquet ex antedictis. Major probatur, quia inter partes infinitas non potest assignari medium: nam habere medium est proprietas rei finitæ, sicuti & habere primum atque ultimum. 3. Quilibet pars continui constat ex partibus finitis: ergo omnes partes sunt finitæ: quilibet pars influit in suum continuum: non potest vero influere per partes infinitas: ergo quilibet pars continui constat ex finitis. Ergo totum quoque continuum ex partibus seu indivisibilibus finitis, quod erat demonstrandum. Objectiones in conflicitu solvemus.

## APPENDIX

Disputationum quarundam paucissimarum

IN COLLEGIO ORDINUM THEOLOGICO  
DISPUTATARUM.

## DISPUTATIONIS PHILOSOPHICÆ

DE

## ATOMIIS.

## THESES I.



Needit non ita pridem in manus meas Philosophi ac Medicis Ticinensis Ioh. Chrysost. Magneni Liber de Atomis, Democritus reviviscens, quem avidissime statim perlegi, quod veritatem, in Abderitæ Democriti puto haec tenus abditam ac latitatem, cum ipso revividente renasciturum quoque sperarem: nec fecellit me spes mea. Quippe ita assertam apprehendi de *Atomis* ab illo viro doctrinam ac solidis rationibus stabilitam, ut meum circa *Atomis* jam à multo tempore fluctuantem animum, ab ipsis dubitationum fluctibus, non-nihil liberaverit: inveni enim gravissimas ac maximè arduas difficultates, quas adversum *Atomos* conceperam, ab illo solutas: Quia tamen alii fortasse alias adhuc animo suo foveant, placuit publicâ hac de *Atomis* institutâ velitatione unumquemque, ad placidam eorum propositionem & adversus *Atomos* oppositionem, humaniter invitare.

II. *Atomus* vox Græca est, ex α privativâ particula & οὐ ποστον, derivata, quasi dicas, infestile: nonnulli volunt deduci ab ἀτμῷ *fumus*, *vapor*, *flatus*, quia in vaporum ac fumi particulas abeunt corpora, cum in sua principia, quæ *Atomos* esse probabimus, resolvuntur: sed prior etymologia est receptior. Significat vero *Atomus*, corpusculum tantæ parvitatis ut nullatenus dividi possit, & si ad elementa corporum naturalium referatur, eo-

rum particulam indivisibilem: differt à punto Mathematico, quod hujus nulla sit pars, nec intrinseca nec per designationem, neque ullo modo concipi posst ulla dimensione prædictum, adeoque quod & Physis & Mathematicæ est indivisibile: *Atomus* vero suus habet dimensiones & virtualitates correspondentes spatio, sed cum perfectâ indivisibilitate; figuram suam habet, talem ut ejus tamen vi nequeat dividere: indivisibilis est, si non Mathematicæ, Physis saltem. Ex talibus *Atomis*, sive corpusculis finitis numero, inter se distinetis, certæ & determinatae figure, omnia constare corpora naturalia, demonstrabimus; non quod omnia fortuito *Atomorum* confluxu coalerint; quæ infans fuit quorundam Gentilium, sed quod Deus Opt. Max. creando, ex *Atomis* omnia, hunc mundum, & quæ in eo sunt, corpora, composuerit, & sic porro, atomorum *avagio* ac concretione, corporum naturalem generationem, earundem dianglo & discretione eorundem naturalem corruptionem fieri voluerit: quemadmodum, ex 24. litteris variè coēuntibus, omnis dictiōnum varietas existit, & in eas omnes dictiōnes refolvuntur.

III. *Atomos* describunt nonnulli, corpuscula, quæ ob nimiam parvitatem dividi amplius nequeunt, & singula oculis cerni non possunt, conjuncta possunt. Alii, esse effusia minutissima, ob summam parvitatem individua, actionum & passionum in rebus na-

turalibus causas: effluvium vocant, corpus naturale ex terris, & aquis potissimum, virtute fiderum extractum, varia sustinens impresiones; faciuntque illud, simplex, atomum, & mixtum, vel fumum vel vaporem. *Magnenus*, cuius fecimus mentionem & vestigia prememus, *Atomum* definit, Materialis Physicæ que extensionis radicem & initium: ut enim, inquit, quantitatibus discrete radix est unitas, linea Mathematicæ principium est punctum, sic etiam Physicæ & sensibilis continuatatis origo & principium est atomus: antequam verò definitionem suam per partes explicit, duo notat: 1. Dari quædam entia, quæ nullo modo dividiri possunt, ne per intellectum quidem. 2. Dari entia quædam intrinsecè indivisibilia, extrinsecè verò penes designatiōnem, vel commensuratiōnem, quam habent ad aliquid aliud, esse divisibilia, quomodo Angelus definitur spatio divisibili, & Anima corpore suo, in quo est: quam vocat divisibilitatem Mathematicam oppositè ad Physicam, quæ partium unionem re ipsa solvit. Quod utrumque sedulè notandum, ad naturam Atomorum penitus intelligendam, quæ cum dicuntur *indivisi*biliæ, corpora indivisibilia, intelligendæ est *indivisibilitas Physica*, quia sc. natura in resolutione corporum naturalium ultra atomos non progreditur, sicut & ab aliis corpora naturalia exordium sumunt in sui ortu. Hinc obiter liquet, quæ inceptè contra *Democritum* disputaverit & *Veteres Physicos* 6. *Phys.* Aristoteles, non Physicæ sed Mathematicæ, ac committendo *μαθηματικῶν εἰς ἀριστοτελῆ*. Non de Mathematicâ sed de Physicâ indivisibilitate, non de ea quæ mente, sed quæ re & opere fit, divisione, loquebantur Veteres, cum de *Atomis* philosopharentur. Physicæ non erant confundenda cum Mathematicis: sunt sui Physicæ fines, & sui Mathematicæ. Sed ad *Magnenum* redeamus. Definivit Atomum, radicem & initium extensionis, materialis & Physicæ: Materialis, ut definitio omnibus atomis conveniret, & accidentalibus: Physicæ, quia atomus una, et si habeat suas dimensiones, non tamen facit continuum Physicum, sed tantum Mathematicum, neque enim sub sensum cadit. Sed hæc *Atomo-*

*rum definitio*, & alia clarius ex earum divisiōne & classibus innotescunt. Nunc dari *Atoms*, authoritate *Philosophorum*, quæ Veterum, Mochi Phœnicii, qui ante Troiæ excidium vixit, *Empedoclis*, *Leucippi*, *Zenonis*, *Anaxagoræ*, *Epicuri*, *Protagoræ*, *Platonis*, *Hippocratis*, *Democriti*, quæ *Recentiorum*, *Patritiis* in panoecmiae lib. 2. *Scaligeri Exercit.* 101. *Bassoni* lib. 1. *Phil. Nat. Semerti* in *Hypommateribus* & de *Censens*. Chym. *Gorlæi* exercit. *Philos.* 13. *Schafn. Phys. Gen.* l. 2. c. 1. *Sperlingeri Phys.* l. 5. c. 2. *Berigardi* in *Circulo Pisano* 8. *Magneni* in *Democrito reditivo per totum*, *Aquilonii Opt.* l. 5. def. 5. & Prosp. 2. Ecce confirmari posset, sed verò ratione agemus & experientiâ, cuius utriusque in probando major est quam *authoritatis humanae* efficacia; quæ adducta utrâque, Atomorum species persequemur, atque earum doctrinam non tam horridam esse, quam vulgo habetur, nec delirasse *Epicurum*, nec insanivisse *Democritum*, ostenderemus.

IV. *Ratio*, quæ *Atoms* probat, accipi potest ab axiomatica communis, quod ab infinito abhorreat natura: modus ergo aliquis datur in corporibus naturalibus dividendis, ut ulterius dividendo abiri nequeat. Sic argumentamur. Quicquid non potest realiter dividi in partes minores, illud est atomus. Atqui corpus minimum in naturâ realiter, in partes minores dividiri nequit. Ergo corpus minimum in natura est Atomus. Major est manifesta: nam divisibile est, quod potest dividi in partes: quæ necessario sunt minores toto dividendo: ergo quod non potest realiter dividi in partes, quæ sunt ipso minores, illud sit indivisible oportet, atque est & dicitur Atomus. Minor probatur: sc. dandum esse aliquod corpus minimum in natura: quia aliqui daretur progressus in infinitum: dabitur enim semper quovis minore minus. Quæro v. c. an granum salis sit minimum, ita ut non sit minus eo? si affirmes, habeo quod volo; dari corpus indivisible in naturâ: si neges, necesse est, ut des aliquid minus; in quod resolvi possit granum salis. De illo minore iterum quæro, an sit minimum, an verò dari possit adhuc minus? si dicas; adhuc aliquid esse minus,

minus, mox redibit quæstio, an illud minus adhuc habeat minus? quod si affirmes, iterum redibit quæstio, & sic in infinitum, nisi tandem subsistas in aliquo minimo, quod ulterius dividì nequit. Sic dividat natura arborem, vel aqua aut terra alicujus partem centies millies, tandem tamen desistet, ne infinitas partes quærendo infinitas ludat operas.

V. *Experientia* tam multiplex Atomos evincit, tam variae conditionis, ut ex divitis naturæ pleno copia cornu, quæ prima, quæ secunda proferri in medium debeat, vix constet. Pulvis, qui vestibus, librīs, parietibus, aliisque nonnunquam adhaeret, quomodo istuc delatus est, non ex nihilo, neque semper visibiliter? sed non raro, sub atomorum specie, sub minimâ quantitate, quæ omnem fugit visum, corporibus allabitur: unde particulæ, quæ disjunctæ videri non poterant, conjunctæ videntur: sic cum idem pulvis ex librīs, vestibus, parietibus, ejicitur, non annihilatur, sed in aëre, quoad substantiam suam, quoad minima sui, tam diu hæret, donec iterum corporibus obviis adhæreat, & se se magis magisque conjugat, ac de novo sub visum cadat. Minima hæc corpuscula per aërem volitantia, quid nisi atomi sunt? Farinam & calcem in innumeratas atomorum Myriades dispergi, quis neget? Quot quotidie vapores ex terris & aquis egredituntur, & nunc nebulam, nunc rorem, nunc pruinam, nunc nebrem, &c. generant? at raro crassi & visibles, sèpius tenues & invisibilis sunt; & quid hi, nisi aliquot atomorum millia? Cepas qui dissecant, morsus sentiunt oculorum; non ob qualitatem de subiecto in subiectum migrantem, sed ob subtilissima & minutissima corpora ex cepis egressa, & oculos ferientia. Canes vestigia heri à vestigijs peregrini discernunt: unde hoc? non ob aërem alteratum, sed ob minima effluvia ex heri & peregrini corporibus exhalantia & aëre contenta. Halitus, qui ex ore egreditur, non annihilatur, sed in minimas particulas, quæ fugiunt visum, disgregatur. Et quoties venenum invisibiliter sub atomorum specie sumitur, mirasque & miseras mutationes corporibus infert? Vide-

mus arbores & plantas crevisse, non item crescere, nec videmus istas partes, quibus crescent, quas non nisi atomos esse verisimilem est. Sed infinitum foret omnes adducere experientias: quare per classes incedamus elementorum, eorumque atomos inspiciamus.

V I. *Igneas atomos probat ignis*, modo insensibili permisitus aëri rebusque aliis, atque ibi sèpe est, ubi nec urit, nec lucet, in fumo, ligno, lapide, & centenis aliis. At quomodo? non per essentia sua remissionem, ficitiam planè. Est enim essentia ejus, ut omnis rei, in indivisibili posita, cui nihil addi, nihil demin potest: non per caloris sui separationem: quia propria separari nequeunt à subiectis: sed per solam sui dispersionem, in minima, in invisibilia, in indivisibilia: hæc aëlum pariunt, aëstate in aëre, hyeme in hypocausto. Quid manum immissam in calidam ac ferventem aquam calefacit & adurit? non nudus calor, sed calor in & cum atomis igneis, per totam aquam dispersis. Quid floccos, telas aranearum, & pulverem, in fornace calente movet? Calor, dices. Sed Accidens est. Quodnam est subiectum, cui inest? Atomi sc. igneis per poros tegularum dispergit: hæc, cum levissima illa corpora tangunt, motum istum præstant & turbas cident.

V II. *Aëreas atomos probat aër*, qui invisibili modo corporibus, maximam partem porosis, inest, & poros insensibiliter implet: &, in muris, parietibus, januis, mediisque montium altitudine, aër est: soni enim per corpora ista meant ac remeant: at sonus sine aëre non est: non tamen aëris ibi est, multum congregatus, sed vero dissipatus in minima sua: alioquin aditum negarent ei densa illa corpora. Baculum ficum, in extremitate, qui una tangit manu, altera admovet auri, sonum percipit, ob indivisibilia aërea inclusa baculo: Dolium vino aut cerevisiâ repletum infernè si perforetur, & superne obturetur, non quidem impetu primo ubertim effluit humor, aëre locum effluentis humoris occupaturo non præsente: sed statim atque atomi aëreæ lignum permearunt, subinde magis & magis humor profluit & proruit. Metalla quoque

quoque sonora, non aliam ob causam sonant resonantque, quam per atomos aeras latitantes in poris.

VIII. *Atomos aquaeas* probant pluviae, quæ, cum vel cedidere vel cadunt, ægrè faciunt claudij januas, ægrius aperiri: unde hoc, nisi quod atomi aquæ intraverint lignum? Eadem causa est, quod dolia, quæ in aëre siccō rīmosa fiunt, humido aéri commissa, rimas amittant. Sic ligna libero exposita aéri sapienter graviora fiunt, quam erant prius, non ob augmentum, quod cuperint, sed ob atomorum aquarum ingressum. Ova, poma, carnes, cantharis, aliaq; hyberno tempore in calidum conclave relata, fudant largiter. Unde hoc? quia, inquietum, frigus exit. At quomodo egreditur frigus? non absque substantia & subiecto suo aqua. Quomodo ergo fuit ingressum? itidem non abique subiecto. Nec tamen quicquam vidit, aquam intrare ova, poma, carnes, cantharos: intravit tamen frigus: quomodo? non nisi in & cum suis atomis aqueis. Sic, remittente frigore cum regelat, ex turribus & edium parietibus videmus niveum quid egredi. Vulgus frigoris egressum vocat: at quomodo fuit ingressum, cum id nemo oculis notaverit? non nisi per atomos aqueas.

IX. *Terreas atomos* probant stiriae, quæ thermis, & tophi, qui canalibus accrescunt, & docent clarè in tam limpidâ & clarâ aquâ

partes & atomos terrestres latuisse: quia in limpidissimis ad visum undis, atomi terrestres, quæ non cernuntur quamdiu per aquam sunt dispersæ, visui sese fistunt, cum fundum innatâ gravitate petierunt: &c, quare lintea alba, plaviali commaculantur aquâ, nunc plus, nunc minus, nisi quia vel plures vel pauciores in eâ continentur atomi terreæ? Sed sat is de Elementorum atomis, quas imprimis *Operations chymicae*, imprimis sublimatio, ubi atomi illæ colliguntur in alembico, ex sulphure, sale, Mercurio, &c. de quibus confuli potest *Sennertus*, de Chym. consens. c. 12. & hypom. 3.

X. Nunc atomorum species proponamus, quod postrem fuit hujus disputationis caput. *Atomus* alia est *substantialis*, alia *accidentalis*. *Accidentalis* est, vel *absoluta*, vel *modalis*. *Substantialis* est, vel *elementaris*, vel *non elementaris*. *Elementaris* est *ignea*, *aerea*, *aqua*, *terrea*. *Non elementaris* ad certas classes reduci vix potest. Atomis hisce omnibus insunt proprietates, quædam *communes* omnibus, quædam *propria* singulis. *Communes* omnibus sunt, *mobilitas*, *sympathia*, *quantitas*. Aëris est insita unionis fuga: ignis aliisque communis est amor sanctumque foedus. *Propria* singulis est, *qualitas*, *figura*, *ordo*. Quæ omnia exactissimè explicat cit. *Magnenus de Atom. Disp. 2. c. 3. & seq.*

## DISPUTATIONIS PHILOSOPHICÆ

CONTRA

### QUATERNARIUM ELEMENTORUM NUMERUM,

P A R S P R I O R.

#### THEISIS I.

**R**ecepta quidem à multis nunc est seculis atque etiamnum hodie sententia, quatuor dari corporum naturalium elementa: Ignem, Aërem, Aquam, Terram. Verum enimvero multi, ante & post Aristotelem, hunc quaternarium elementorum numerum in dubium traxere. Veterum an-

te Aristotelem sententias videre est apud Patritium l. 22. *Pancosmias*. Recentiores sunt quam plurimi, idem Patritius, *Cardanus*, *Freigius*, *Baffo*, *Daneus*, *Timplerus*, *Casmannus*, *Barihelinus*, *Wendelinus*, *Vallefus*, *Gorlaeus*, *Renerius*, & quis omnes enumeret? Sed nos auctoritate non stabimus: verum

verum aliam ingrediemur viam, ac nullius rationum momentis esse innixum numerum quaternarium elementorum ostendemus.

II. Argumentorum quidem pro elementorum numero quaternario certus non est ordo, sed promiscuus & arbitrarius, ac primum esto, petitum à quatuor qualitatibus, quas primas vocant. Sic argumentantur: *Quot sunt qualitates primæ tactiles, tot sunt elementa. At quatuor sunt qualitates prime. Ergo & quatuor sunt elementa.* Verum hoc argumentum multis modis vacillat. 1. Ad minorem dicimus, quod gratis dicantur primæ qualitates illæ quatuor, quæ vulgo tales habentur: nam lux & figura non minus primæ dici merentur, quam quatuor vulgo sic dictæ; & dubitari potest, an non quatuor vulgo dictarum non nullæ ex aliis oriuntur; imò hoc à non nullis afferitur. 2. Concessa minore demus esse quatuor, ad majorem dicimus, non statim sequi, illas esse assignandas totidem elementis: nam quid si calorem, soli, caloris omnis in hisce inferioribus fonti, assignemus, potius quam igni, corpori cuidam diaphano, sub lunâ posito, cujus nec ullus calor percipiatur, quo argumento nos refutabunt? & certè, non sequitur, quot sunt qualitates primæ, tot sunt elementa: sed hoc tantum: tot sunt vel esse possunt corpora, vel corporum naturalium genera, quibus hæ qualitates diverse competunt: quæ corpora esse elementa, haec tenus non est probatum, nec esse hoc argumento probatur.

III. Argumentum secundum esto. *Quot sunt legitimæ combinationes primarum qualitatuum tactilium, tot sunt elementa.* Sed quatuor sunt legitimæ combinationes qualitatuum primarum tactilium. Ergo quatuor sunt elementa. Majoris ratio est, quia unumquodque elementum ex combinatione legitimæ primarum qualitatuum resultat. Minor probatur ex Arist. l. 2. de ortu & interitu, c. 3. *Vna enim combinatio legitima est caliditatis cum siccitate, & illa constituit ignem: altera est caliditatis cum humiditate, & illa constituit aërem: tertia est frigiditatis cum humiditate, & illa constituit aquam: quarta est frigiditatis cum siccitate, & illa constituit terram: licet enim adhuc due aliæ*

*combinationes sint reliquæ, una caliditatis cum frigiditate, altera humiditatis cum siccitate, quia tamen sunt illegitimæ, nullum certum elementum constituant.* Resp. ad hoc argumentum multa dici possunt. 1. Nititur incerta hypothesi, dari tantum quatuor primas qualitates, vulgo sic habitas, ex quarum combinatione procedit. 2. Sumitur, non probatur, nullo modo calidum cum frigido, humidum cum siccō, posse combinari: Nam quidni calidum & frigidum, utrumque moderate, & humidum & siccum, utrumque moderate, possint combinari? multis non videntur esse impossibilis istæ combinationes: Ergo & possibile est, dari plura elementa quam quatuor. 3. Ad argumentum directè, negatur major, neque bene probatur. Nam non sequitur, Dantur quatuor combinationes qualitatum primarum, Ergo dantur quatuor elementa; sed hoc tantum, Ergo dantur quatuor corpora aut corporum naturalium genera quibus hæ combinationes tribui possunt. Agnovit hujus consequentia infirmitatem, ipse inter Peripateticos Picolomineus, l. 2. de Gen. & Corr. p. 261. n. 3. ubi dicit, *Considera tertio, quod hæ consequentia videtur carere necessitate: Complicationes non pugnantes sunt quatuor: Ergo quatuor sunt elementa, quia ex posse non potest inferri esse: pro solutione dico, quod revera Aristoteles non format hanc consequentiam, sed solum dicit, recta ratione respondere apparentibus simplicibus corporibus.*

IV. Argumentum tertium esto. *Quot concurrent elementa ad constitutionem mixti, tot sunt: sed quatuor concurrent.* Resp. Minorem nullo modo probari posse. Nam explicit, si possunt, quis sit ille motus futurus, quo ignis sub concavo Lunæ supra aërem constitutus ad mixtionem aut mixti constitutionem concurret? aut enim motu circulari descendet aut recto: non circulari, quia sic nec ad centrum nec à centro movetur, ideoque sic non potest pervenire ad locum mixtionis facienda: non recto; namque is, vel esset sursum, vel deorsum: non sursum; nam sic multò magis à mixtione recederet: non deorsum, nam iste motus est contra ignis naturam, adeoque violentus: at nullum violentum est per-

petuum: hic tamen motus ignis elementaris deorsum ad mixtionem perpetuus esse deberet, quia perpetuo mixta generantur. Except. 1. Nullum violentum est perpetuum, nisi habeat causam perpetuantem, qualem habet ignis elementaris. Resp. Dicere, quod violentum sit perpetuum, cum habet causam sue perpetuitatis, est dicere, quod violentum sit perpetuum, cum datur violentum perpetuum. Except. 2. Violentum opponitur naturali, vel sic, ut sit contrarium naturae, vel, ut non quidem sit naturale, non tamen contra naturam, sed inter utrumque medium: posteriori modo motus ignis est violentus. Resp. Omnis motus vel fit ab interno principio, & est naturalis, vel ab externo, & est violentus, id est, contra naturam: secundum genus violenti non agnoscent Philosophi. Except. 3. Kekkerm. l. 2. Syst. Physici c. 10. resp. ad 3. arg. Ignem ab initio fuisse concreatum corporibus mixtis & in iis manere perpetua corporum generatione: item aerem mutari in ignem: ideoque ignem elementarem esse, et si non descendat, isto que descensu non esse opus. Resp. hæc exceptione Kekkerm. vis argumenti tertii pro ignis elementaris existentiâ prorsus infringitur: nam si ignis per hæc inferiora dispersus corporum mitterum generationi sufficit, aut aer mutatus in ignem (quamvis hæc elementorum transmutatio substantialis non sine causâ à multis hodie negetur) quis quæso usus erit ignis sublunarî? Neque enim video, quare in hoc mundi amphitheatrum introducatur. Excipiunt ad hoc Conimbric. l. 3. de calo. art. 2. Defectan & mancam fore mundi universitatem. Quasi vero mundus imperfectus sit, si careat igni sublunari, cuius nullus est usus in inferioribus, fatente Kekkerm. Conimb. rege- runt, esse usum: dicunt enim esse ad agendum maxime aptum elementum, in quo abeunt à Kekkermanno. sed rogo Conimb. quomodo corpus aliquod, cuius maximus est usus pro-

pter agendi aptitudinem, in eum à naturâ naturante locum est relegatum, unde naturæ naturæ inservire non potest? nam haec tenus inservit ei, quatenus corpora mixta constituit, & mixtione optulatur, atque sic perficit universum: at quomodo constituet mixtum, optulabitur mixtione, perficiendo univer- sum, si ad locum, ubi fit mixtio, descendere non potest? at non potest, quod solutis omnibus exceptionibus ostendimus.

V. Argumentum quartum est. Ex iisdem constamus, ex quibus nutrimur: At nutrimur ex quatuor potissimum elementis. Ergo ex iisdem constamus. Consequenter, dantur quatuor elementa. Resp. Minor falsa est, & experientia & rationi contraria: Nam 1. mixtis corporibus nutrimur, non puris elementis. 2. Demus hoc, nos remote ali ex elementis: at inde non sequitur, dari quatuor elementa: potest hoc experientia comprobari. Exempli gratiâ. Nos alimur carne bubula: quæcum fit corpus mixtum, videndum est, unde nos nutriatur. Bos alitur ex herbâ tanquam cibo, putâ gramine, & aqua tanquam potu: quare tantum duo restabunt elementa, aqua & terra: nam ipsæ herbae, ut gramina, ex aqua & terra nutriuntur, quod rusticis satis est notum. Ignis elementaris, qui sub concavo lunæ constitutur vulgo, ne hauritur quidem à nobis aut ab ullo animanti: tan- tum abest, ut nutrit: aer hauritur à nobis aliisque ad cordis refrigerium, non ut in alimentum corporis cedat. Quare retorquemus argumentum *καὶ τὸ βίαιον*. Ex quibus non nutrimur, ex iisdem non constamus. Atqui non nutrimur quatuor elementis. Ergo non iisdem constamus. Consequenter quatuor elementa non sunt, vi hujus argumenti. Reliqua pro quaternario elemento numero argumenta excutiet disputatio- nis hujus pars altera.

## DISPUTATIONIS PHILOSOPHICÆ,

CONTRA

## QUATERNARIUM ELEMENTORUM NUMERUM,

P A R S S E C V N D A.

## T H E S I S I.

**E**xclusimus ac diluimus, quatuor pro quaternario numero elementorum argumenta, disputatione præmissâ: nunc reliqua excutere ac diluere est animus: *Quintum esto. Quot modis gravitas & levitas participatur ab elementis, tot sunt elementa. Atqui quatuor modis gravitas & levitas participatur ab elementis. Ergo quatuor sunt elementa.* Ratio majoris est, quia unumquodque elementum participat aliquid de gravitate & levitate. Minor probatur, quia inter elementa, ignis in summo gradu participat levitatem, terra gravitatem, aer & aqua utrumque in gradu remissi, ita tamen, ut aer magis participet de levitate quam de gravitate, aqua magis de gravitate quam de levitate. Resp. Argumentum hoc, petitum à gravitatis & levitatis gradibus vel summis vel remissis, multis modis peccat. Nam 1. per *αγράνοι*, licet admireremus in rerum natura aliqua corpora simplicia aliorum comparatione esse gravia aut levia, non statim sequitur illa esse elementa: 2. Per *ἀγνῶν*, illam gravitatem & levitatem participari diversis gradibus ab elementis, negamus: & hoc in minore ponitur ac supponitur potius quam probatur. 3. Petitur *τὸ οὐκέτι*: nam hoc est *τὸ οὐκέπειν*, utrum sit ignis, qui participet summam levitatem; demonstrent prius elementarem existere, & tum demum levitas participationem ei adscribant. 4. Peccatur falsa suppositione: nam haec *ταῦτα* quidem argumento substernitur, quasi darentur diversa gravitatis & levitatis species, quam sententiam defendunt *Conimb. l. 4. de calo. quest. 1. art. 1.* At nos contrariam amplectimur, ut veriore, cum *Ruvio l. 4. de calo. c. 6. quest. 1.* Itaque 5. *τὸ οὐκέτι* retorquemus hoc argumentum. *Quotuplex est gravitas &*

*levitas, tot sunt elementa. Atqui non quatuor aut bis bina sunt species gravitatis & levitatis. Ergo nec quatuor aut bis bina sunt elementa.*

**I. Argumentum sextum esto. In quot elementa mixtum resolvitur, tot sunt elementa. Sed in quatuor elementis mixtum resolvitur. Ergo. Prob. minor. Quia, quando pomum putreficit, cernimus quasdam partes instar aëris exhalare, quasdam instar aquæ humidae in superficie herere, crassas vero & terreas partes subsidere; deniq; calor etiam deprehenditur, qui ignem, à quo nascitur, arguit. Resp. 1. per *ἀγνῶν*, ad Minorem. Falso est, mixtum resolvi in quatuor elementis, neque probatur in putrefactione pomi allatâ: nam partes exhalantes non sunt aér, sed exhalatio putrida, &c halitus: quod hæret in superficie, non aqua est, sed mixtus humor: quod subsidere dicitur, non terra est, sed ex terrâ mixtum, in quo prædominatur qualitas terrestris: calor, qui deprehenditur, non est elementaris, sed solaris, qui in maturandis pomis uti occupatus est, ita cernitur in eorum putrefactione, & qui, ob agendi efficaciam, ignis appellatur: imo calorem illum, qui in putrefactione deprehenditur, non egredi ex pomo, tanquam in quo deliterit, sed tum primum in eo generari, cum putreficit, nonnulli, & verisimiliter, existimant: quod si verum fuerit, mixtum non in ignem resolvitur ut elementum, quia ille ignis aut calor igneus, cum extrinsecus adveniat, mixtum non constituit, unde nec in eum resolvitur: nam eadem sunt Resolutionis, quæ Constitutionis elementa: nec sequitur aërem, si ponamus eum egredi ex pomo putrescente, esse ejus elementum, ex quo constet, in quod resolvatur, quippe qui intra poros pomi potuit**

tuit contineri, ut pomum nec ex eo constituantur, nec in eum resolvatur. Atque hinc  
Resp. 2. *νομὴ τὸ βίαιον*, retorquendo. In  
quot elementa mixtum resolvitur, tot sunt.  
At non resolvitur in quatuor elementa. Ergo  
non sunt quatuor.

III. Argumentum septimum, non tam  
pondere quam numero estimandum, tale fe-  
re proponi solet. *Quot sunt, Temperamenta  
mixtorum, humores primarii in corpore animalis,  
partes autem tempestates anni, orbis plagae, etates  
hominis; tot sunt elementa.* Sed quatuor sunt  
temperamenta, humores in corpore animalis, par-  
tes anni, mundi plague, etates hominis. Ergo tot  
sunt elementa. Resp. peccari elenco parium :  
nam, ex analogia numeri in rebus ictis ad nu-  
merum quaternarium elementorum argu-  
mentari, est inconsequens: nam si vis facienda  
sit in numero æquali rerum aliarum, ut nunc  
omittam binarium, cuius multa possent re-  
censeri exempla: ternarium in omnibus fere  
rebus amissæ numerum videtur natura: an  
non supernaturale Trinitatis mysterium, quod  
tamen nihil ad naturam, ternario gaudet per-  
sonarum numero? in natura sexu, mas est,  
fœmina, & hermaphroditus: principia rerum  
naturalium sunt tria, materia, forma, & pri-  
vatio: sensibilia apud Chymicos principia pa-  
riter tria, Sal, Sulphur, & Mercurius: partes  
principes in homine tres, Cor, Cerebrum, &  
Iecur: Spiritus tres, animalis, vitalis, natu-  
ralis: eorum vasa seu canales tres, Nervi, Ar-  
teriae, Venæ, &c. ut Bartholinus æque proba-  
biliter contra quaternarium pro ternario ele-  
mentorum numero ex hisce ac similibus ex-  
emplis sit argumentatus, l. 4. c. 2. Enchirid.  
Phys.

IV. Argumentum octavum: Quatuor ele-  
menta significantur, byssò, purpurâ, hyacintho,  
cocco, quibus olim Sacerdos summi vestimenta  
distinguebantur. Sic enim Hieron. Epist. 12.8.  
ad Fabiolam docet. Quatuor, inquit, colores ad  
quatuor elementa referuntur, ex quibus universa  
substantia, nam byssus terra deputatur, quia ex  
terra dignitatur, purpura mari, quia ex concheolis  
tingitur, hyacinthus aeri, propter coloris similitu-  
dinem, coccus igni, quod uterque rubeat. Resp.  
1. esse elenchum similium: nam similia non

probant sed illustrant. 2. Hieronymo ex Hie-  
ronymo reponimus. Rhetoricii sumus & ali-  
quid declamationibus dedimus. Quod ut alibi,  
ita hic verum esse deprehendimus. Alii qua-  
ternarium elementorum numerum adumbratum  
volunt Ezech. 1. per quatuor rotas, quæ ad  
motum quatuor animalium movebantur. Resp.  
per illas rotas, non quatuor elementa, sed qua-  
tuor plaga mundi, quæ à Deo per angelos  
gubernantur, fuisse adumbratas.

V. Nunc speciatim, quæ argumenta pro  
ignis elementaris (quem pro fixitio cerebri  
humani commento habemus) sub lunæ con-  
cavo constitutione proferri solent, pariter dis-  
cutiamus. Primum esto. Si datur elementum  
frigidissimum & gravissimum, ergo dabitur quo-  
que elementum calidissimum & levissimum. Sed  
verum est prius. Ergo & posterius. Probatur  
Consequentia, quia contraria contrariorum sunt  
consequientia, positoque contrariorum uno ponit  
ur & alterum. Resp. 1. per οὐρανὸν, eti-  
am frigus & gravitatem à corpore elementari  
fluere ponemus, non tamen inde sequitur  
contrarias qualitates, calorem & levitatem, ab  
elemento aliquo necessariò fluere, sufficit si  
assignemus aliquod iis subjectum, cui merito  
vindicentur; & caloris subjectum solem dici-  
mus: levitas non semper concomitatur calo-  
rem, cum dentur res leves minimè calidae.  
2. Ponitur tanquam certum, quod adhuc est τὸ  
χειρόπεδον: nam quæstio est, an detur elementū  
in gradu intenso frigidissimum & gravissimum:  
nam multi ex Philosophis negant qualitates  
elementares convenire elementis in gradu  
intenso: & ponatur hoc esse verum, quomo-  
do poterit eadem qualitas, puta frigus, con-  
venire duobus elementis in gradu intenso,  
puta aquæ & terræ? 3. Nec hoc verum est  
semper: posito uno contrariorum ponitur &  
alterum: nam datur summe bonum, sed non  
ideo etiam summe malum.

V.I. Argumentum secundum. Ignis est  
corpus omnium levissimum. Ergo supremum tene-  
re debet locum, qui est sub concavo lune. Resp.  
1. peti τὸ τὸ δέκατον, ignem esse, & esse aere le-  
viorem, ideoque omnium levissimum. 2. Per  
ἀρχην, quod omnis ignis fit corpus levissi-  
mum: nam Aristoteles 5. Topic. tres ignis  
consti-

constituit species, Anthracen, Flammam, & Lucem: at quis ausit dicere Anthracen esse levissimum? 3. Laborat falsa illatione & inconsequentia; ac si ignis propter levitatem sub luna collocandus foret: cum tamen de elementorum situ non tam è gravitate & levitate, quam ex usu, cuius gratia in naturam sunt introducta, judicium ferri debeat: confirmant hanc responsionem Conimb. l. 4. Phys. c. 5. quest. 3. art. 3. ad 3. Si elementa, ut peculiares ipsorum naturae deposita sunt, collocata in mundo essent, debuiisset terra aquis, aqua aëre undiqueaque circumfundi & contingi: nunc vero aliter se res habet, sic divina providentia disponente, propter hominum imprimis, deinde brutorum animalium & stirpium, que in terra lignuntur, vitam & propagationem, &c. vid. etiam Scal. Exerc. 9. p. 46. 47. Valles. de S. Philosophia, c. 1. p. 29. 30.

VII. Argumentum tertium. *Ignis naturalis sua fertur supra aerem.* Ergo locus eius naturalis est supra aerem, ad quem tendit. Resp. hoc argumentum non multum differt à priore, & ad illud Respondemus 1. per agnos, negando, quod omnis ignis species fertur supra aërem; deinde is ignis, qui ponatur ascendere, supra totum tamen aërem eniti semper non valet, sed eo usque, quo usque materia sufficiens permittit. 2. Nulla hic est consequentia. Ascendit supra aërem, Ergo locus eius naturalis est supra aërem: Nam pariter licebit mihi argumentari. Aves aëra fecant ascendunt-

que suo volatu: & aquæ in vaporem resolutæ sursum feruntur in aërem: fumi omnes ascendunt ad aerem. Ergo omnium illorum locus est naturalis supra aerem sub concavo lunæ. Quæ hic consequentia? Excipiunt Conimb. l. 4. Phys. c. 5. quest. 3. p. 40. Videmus flamnam ignis in Pyramidis figuram acuminatim conari aerem transcendere, nimisrum, quia ignis ad Lunæ concavum nativam sedem habet. Resp. 1. per exceptionem: Flammam ascendere, non qua ignis est; alioquin omnis ascenderet (*A quatenus enim ad de omni valet consequentia*) sed quia mater ejus exhalatio descendit, prout quando mater descendit, & ipsa; & quando illa exhalatio oblique fertur, & flamma eodem motu fertur, sicut hoc multis exemplis illustrat Patrius Tom. 4. discuss. Peripat. l. 7. Sicut igitur non sequitur. Flamma descendit, E. ignis sphæra deorsum est. Flamma oblique fertur, E. ignis sphæra obliqua sita est. ita non licet inferre, Flamma ascendit, E. ignis sphæra sursum est. 2. per agnos, ponamus flamnam semper ascendere, nunquam tamen supra aerem ignis sphæram contingere poterit, eritque ejus conatus semper frustraneus. Quare cum nulla argumenta, aut ignem elementarem existere convincant, aut quatuor esse mundi elementa solide adstruat, nihil restat, quam ut falsa opinione delusos existimemus Philosophos, qui haec tenus & elementarem ignem & quatuor Mundi elementa afferuerint.

## DISPUTATIONIS PHILOSOPHICÆ,

CONTRA

## QUATERNARIUM ELEMENTORUM NUMERUM,

P A R S T E R T I A.

## T H E S I S I.

**E**xponimus ex elementorum albo atque una ex rerum natura ignem elementarem, fictitium plane cerebri humani commentum: nunc pariter aërem ex elementorum numero ejectum imus, non item ex re-

rum natura, quippe qui è medio si tollatur, actum foret de vita nostra & omnium animalium; nam sine aere hausto nulla constat vita. Aërem itaque existere lubentes damus, esse elementum pernegamus: existere aërem in corpore.

corporibus mixtis docent corpora varia mixta, aquæ supernatantia, tum liquida, ut olea, tum solida, ut ligna: nam ex aëre existente in mixtis levitas illa oritur, & fit, ut unum corpus mixtum sit altero levius, prout scilicet fuerit rarius ac porosius: aér enim poros impletus, illud reddit levius: non tamen hinc sequitur, aërem esse elementum, aut tanquam partem ingredi constitutionem mixti: quia ista levitas major ac minor, ponderisque in mixto inæqualitas, explicari potest per solam aëris intra poros corporum conclusionem, ut non exigat ejusdem concursum per modum partis ad eorundem constitutionem: & docet hoc experientia in vesica aëre distensa, aut in pila vitrea, quæ aëre plena aquæ supernatant: atque hinc sic argumentamur. Quodcunque in poris mixtorum tantum continetur, illud non est pars mixti, multo minus elementum illud constituens. Atqui aér tantum continetur in poris mixti. Ergo. Major probatur: quia pori ipsi non sunt partes mixti, sed spatia quedam inter partes: sic pars carnis non sunt pori ejus, multo minus aér in poris existens.

II. Sed secundo probamus, aërem non esse elementum nec constitutere partem mixti. Quodcunque non potest cohædere, nec unum continuum fieri, cum corporibus crassioribus, terra & aqua, id non est pars mixti, nec elementum. Atqui aér non potest cohædere, nec unum continuum fieri, cum terra & aqua. Ergo. Minoris ratio, quia aér est corpus nimis tenue & fluidum, unde, ubi cunque est, poros efficit, in quibus sit, quos repletat. Atque hæc eadem causa est, cur ex aëre, nec nutriamur, nec constemus, quia pars nequit fieri corporis nostri crassi & densi. Dices, si aér non sit elementum, nec pars mixti, nec eo nutriamur, nec constemus, videbitur inutilis aut minus saltem necessaria pars universi. Resp. non sequi hoc: nam nihilominus utilis ac necessaria universi pars est, 1. Quia vehiculum est influentiarum celestium in terram, aquam, & mixtam, sine quibus nec meteora, nec mineralia, nec plantæ, nec animalia generarentur. 2. Quia est locus & receptaculum generationis me-

teorum. 3. Quia motu suo putrefactionem multorum corporum impedit. 4. Quia respirationi animalium ita necessarius est, ut sine eo animalia præcipua suffocarentur: atque hinc liquet, cur, licet aëre non nutriamur, eum nihilominus attrahamus, nimis ut suo frigore temperet calorem cordis nostri, quod facilime alioquin suffocaretur, & ut fuligines vaporeque excrementum cum aëre expirato una ejiciantur: ideoque novus semper debet inspirari, quia, qui aliquantis per fuit retentus, statim calore cordis est calefactus. Dices: per venenatum aërem haustum morbi contrahuntur, ergo aér nutrit. Resp. Non sequitur: nèque enim hoc fit, quod aér nutrit, sed quia, vel venenati in aëre vapores una attrahuntur, vel aér parvas suas, quas contraxit, qualitates intus corpori nostro imprimit, quando inspiratus est. Et hæc causa quoque est, quod plantæ melius crescent in aëre temperato, quam in alio, non quia aëre nutritantur, sed quia, cum minus crescunt, pravij in aëre vapores illas contingunt, vel aér intemperatas qualitates illis communicat.

III. Argumentum tertium. Si aér sit unum continuum cum cœlo corpus, non est elementum: nam cœlum & elementa apud omnes omnino Philosophos distinguuntur. Atqui verum est prius. Ergo & posterius. Minor probatur. Si aér & cœlum sint duo discontinua corpora, different etiam tenuitate, raritate, subtilitate, alijsque qualitatibus, constituentque diversa diaphana. Atqui hoc est absurdum. Ergo & illud. Probatur Minor. Si cœlum & aér diversæ tenuitatis, raritatis, subtilitatis, constituant diversa diaphana; ergo, primum, Siderum refractio ab horizonte uique ad ipsum verticem durabit, contra quam docent Mathematici atque Optici, qui eam ultra tricefimum altitudinis gradum non excurrere afferunt: deinde, ista diversa diaphana diverso modo transmittent ad oculum nostrum stellarum visarum imagines; nam cum primum medium, cœlum, sit subtilius, rarius, tenuius aëre, ex hypothesi Adversarium, facilius alioque modo imaginem stellæ vice transmittet quam aër, ubi imago, propter majorem crassitatem & densitatem ejus, non nihil

nihil tardabitur & refringetur , alioque modo ob has causas ab aere quam à celo ad oculum transmittetur : at quomodo stella tum in suo loco confipientur ? certe hinc sequitur , verum stellarum locum haec tenuis fuisse ignoratum atque inventari non posse . Nam vel dicendum est Adversariis , stellarum visarum imagines per ccelum & aërem , diverse qualitatis media , eodem modo transmitti , contra Opticorum fundamenta ; quæ sunt : *Datis diversis mediis seu diaphanis* , datur etiam refractio extra perpendiculararem : *et sublata refractio ne extra perpendiculararem tollantur diversa diaphana* : vel dicendum est illis , stellas nunquam esse vias , nec videri posse , vero suo loco : nam cujus imago per diversa media diverso modo ad oculum transmittitur , id suo loco non videtur , quod experientia testatur , quæ docet quomodo deludatur visus , si oculus numquam in urnam aquæ injectum , aut remum aliqua sui parte aquis immersum , conficiat . Videatur hoc argumentum egregie deductum apud *Ioh. Penam in præfatione Nobilissima de usu Opticæ præfixa Opticæ Rami aut Risneri*.

IV. Sed & alio modo , aërem esse unum ac continuum cum ccelo corpus , probamus , à vocis (cceli) in Scriptura ad aërem applicatione : nam nihil est usitatus in s. litteris , quam aërem celi nomine venire , vid . *Gen. 7. 11. & 8. 2. Deut. 28. 12. Psal. 147. 8. Ierem. 10. 13. Zach. 8. 12. Matth. 16. 3. &c. imo & extra s. litteras cæli appellatio aéri trahitur. Virgil. l. 2. Georg. de aere loquens ait, cœlumque profundum ; & Cicero de Orat. Cœlum hoc , in quo nubes , imbre , ventique coguntur , &c. idem de Divin. Cujus cœli aspiratio gravis & pestilens , &c. Except. 1. Licet cœli voce venias aëris , non tamen propriè . Resp. illud propriè cœlum dicitur , quod fidelium & infidelium consensu sic vocatur : at aëris sic vocatur , ut ostendimus : & si impropriè vocetur cœlum , ergo tropice ; ostendatur ergo tropus . Excep. 2. Licet Latinæ vox cœli ad significandum aërem , non tamen pariter vox Hebræa שְׁמִינִי , tum ob numeri diversitatem , tum ob vocis notationem & originem . Responsum neutrum obstat . 1. Non numeri diversitas , nam vox שְׁמִינִי ,*

cum formam habeat dualem ob duplices aquas superiores & inferiores significatas , ut volunt Lexicographi , & singulariter & plura liter potest intelligi pro materia substrata : & sicuti apud Latinos carent singulari Athenæ , Venetiæ , nuptiæ , & tamen non inepte unius singulari competunt , quidni idem pariter dicamus de Hebræa voce שְׁמִינִי ? 2. Non nominis notatio ; sive enim שְׁמִינִי derives à particula שְׁמִינִי , significante locum remotum & שְׁמִינִי aque , quod ibi sint aquæ , nullo negotio dicemus & in aëre esse illas , quod in mediâ regione nubes & meteora aquæ satis reddunt testatum : sive à שְׁמִינִי stupore & שְׁמִינִי originem accersas , certe in aëre stupendo modo hærent suspense aquæ : sive ab שְׁמִינִי & שְׁמִינִי igne & aqua originem ducas , utrumque aëri nostro citra ullam absurditatem applicari potest : sive tandem deducas à radice Arabica שְׁמִינִי altum & excelsum esse , nihil nostro oberit aëri , qui excelsus est , & cui convenit sua altitudo .

V. Verum alio adhuc argumento , eoque firmissimo , aërem esse idem cum ccelo corpus demonstramus . Locus stellarum est ccelum . Aëris est locus stellarum . Ergo . Probatur minor . Expansum seu firmamentum secundo die creatum est locus stellarum . Aëris est hoc expansum . Ergo . Major est manifesta , ex Gen. 1. v. 6. & 17. ubi Moses v. 6. narrat expansum fuisse secundo die creatum , & v. 17. dicit in eo collocatas stellas . Minor , præterquam quod totidem verbis extet in lib. Apocrypho , 4. Esræ c. 6. 41. hoc insuper modo probatur . Quicquid dividit aquas superiores ab aquis inferioribus , illud est expansum . Atqui aëris hoc facit . Ergo . Major est in textu Moses , c. 1. v. 6. 7. 8. Minor sic probatur . Quod immediate aquas inferiores tangit , & ab iis ad superiores usque extenditur , easque similiter immediate tangit , id aquas superiores ab inferioribus dividit . Atqui aëris hoc facit . Ergo . Vel etiam sic probatur Minor . Aut aquas inferiores à superioribus dividit solum cœlum , aut solus aëris , aut aëris & cœlum simul : ignem enim elementarem , ut corpus interjectum , jam de suo loco deturbavimus disputatione gemina præcedenti . Atqui non facit hoc solum cœlum , quia

quia illud nec tangit nec dividit aquas sublunares: non facit hoc solus aér, si à celo distinguatur, nam non poterit tangere aut dividere aquas supercælestes: Ergo facit istam divisionem, aér & cælum simul, Ergo non distinguuntur, sed unum sunt corpus. Si exceperis, aquas illas supra expansum collocatas non esse supercælestes, hoc est, non supra sed infra cælos ac stellas esse constitutas, adeoque ad

cælos stellasque non pertingere expansum, sequitur in eo non esse collocatas stellas: nam certe in expanso non possunt esse stellæ, si infra eas expansum finitur: at hoc est directe contra textum Mosaicum Gen. i. 17. Exceptiones alias non adferimus, quia eas accuratissime persequitur & refutat Wendelinus in *Contemplat. Phys. scđt. 3. cap. 2. th. 1. in dñs 6. ad arg. 6.* qui videri potest.

D I S P U T A T I O N I S P H I L O S O P H I C Æ,  
C O N T R A  
Q U A T E R N A R I U M E L E M E N T O R U M N U M E R U M ,  
P A R S Q U A R T A & V L T I M A .

D E

## A É R E.

## T H E S I S I .

**I**gnem ex rerum natura, Aërem ex elementorum ordine exemimus, & cum cœlo eundem fecimus: nunc hoc restat, ut Aëris naturam paulo plenius exponamus. Aëris significat totum illud ac vastissimum spatum, à fixis stellis ad imam usque terram expansum, quod licet unum numero ac continuum & homogeneum sit corpus, conditionis tamen ubique ejusdem non est, sed ejus partes propter varia adjuncta aliae ab aliis differunt; nos aërem dispescimus seu cœlum (nam idem nobis significant) in èratis & èratoribus: èratis aëris seu cœli pars est, quæ lucidissimis stellarum tum errantium tum fixarum corporibus ornatur ac frequentatur: èratoribus aëris seu cœli pars est, quæ stellis destituta, variis meteororum generationibus subjacet, & à Luna usque ad terram protendit: atque hæc licet in partes & species, accurate loquendo, dividi nequeat, quia unum est continuum & homogeneum corpus, à Physicis tamen vulgo in tres regiones dividi solet, quæ præter uitum & quantitatem situ & qualitate præsertim distinguuntur.

II. Ratione situs pars aeris alia est suprema, alia media, alia infima. Suprema supra altissimorum montium cacumina exorditur & ad Lunam usque excurrit: Alii tamen paulo infra montium vortices exordiri eam, non nullis experimentis, probare conantur: dicunt enim, supra altissimorum montium, Olympi in Thessalia & Albionis in Macedonia, vertices & cacumina, perpetuam feruntatem & aeris tranquillitatem deprehensam, ideoque medium regionem aeris eo non pertingere. Resp. 1. Incertum est, quod de illis montibus Solinus & Älianus tradunt, an historicam veritatem, an fabulosum Poetarum figuramentum præ se ferat: multi opinantur ex Poetarum fabulis hæc esse de promta. 2. Testatur Ludovicus Vives, explicans locum Augustini l. 15. de Civitate Dei c. 27. id, quod de celsitudine montis Olympi traditum est, esse fabulosum, quod confirmat testimonio Philadelphii, qui se eum montem adscendisse, ut rem tantam exploraret, & falsum esse, se comperte dixit. At Zabarella contrarium docet suomet ipsius experientio, lib. de regionibus Aeris, c. 8. hisce verbis

verbis. *Pessimum per experientiam etiam id, quod diximus, comprobare: mibi enim contigit, id quod pluribus etiam aliis contigisse audiri, ut adscenderem ad summicatem usque Montis Veneris, qui omnium in Patavinio agro est altissimus: ibi per totum diem habui aerem serenissimum, sed infra cinctus medium montis videbam nubes, que me visione vallium prohibebant: vesperi autem postquam de illo monte descendit, inveni fatus eo die in infera parte magnam pluviam, quam in montis cacumine nihil pluisset: ex eo intellexi me transisse per medianam aeris regionem, in qua est facia pluvia, nec tamen eam sensi frigiam: imo vis aliquam animadvertis differentiam frigidioris & calidioris aeris: Nam aevum tempus erat, & pro astivo tempore eram vestitus, nec tamen tantum frigoris, quod me laederet, ex eo loco percepi: pars igitur illa non est absolue frigida, sed solum in comparatione inferi aeris calidioris. Idem de Alpibus proprio exemplo edocet testatum reliquit Bartholinus Syst. Phys. Inflis. succincte de Terra, Aere, & Igni. c. 4. Resp. 1. Si verum est Mathematicorum effatum, supremam aeris regionem quinquaginta milliaribus a terra distare, tum prorsus nullam fidem merebitur Zabarella experimentum: ratio est: quia secundum eosdem, nullius montis altitudo per directum, quatuor millaria excedit: inter quatuor autem & quinquaginta nulla est aut exigua proportio. 2. Confundit in suo experimento Zabarella, partes extrebas mediae regionis cum ipsa parte media eiusdem regionis: nos statuimus non aequae frigidas omnes ejus esse partes, sed medianam duabus extremis, quibus superiorem & inferiorem regionem contingit, longe frigidorem esse, eo quod nec a supero, nec ab infero calore, ut quidem duæ ejus extremitates, alterari facile possit: ex quibus liquido appetit, nec supremam aeris regionem infra montium cacumina esse, nec etiam medianam regionem, natura, quamvis debiliter, calidam, & ex privatione tantum causarum calorem inducentium, comparatè frigidam esse: idem judicium de Bartholini experimento ferendum esse judicamus. Media regio aeris a fine supremæ eousque deorsum protenditur, quo caloris a Sole producti & in terræ super-*

ficie collecti efficacia sursum pertingit. Infima aeris regio a superficie terræ eousque extenditur, quo caloris a terra sursum multiplicati efficacia pertingit.

III. Huic trinæ regioni aeris opponit se *Daneus* part. 2. *Phys. Christ. tract. 2. de Expansione. c. 12.* Aristoteles, inquit, totum hoc spatium, quod aerem, hoc est, aquos caelestes continet, in tres regiones distribuit, lib. 1. *Meteor.* in summam, &c. at frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora: Nos duas tantum hujus expansionis regiones constituimus, &c. Resp. 1. distributione aeris in tres regiones apud Aristotelem non est adeo expressa, nec tam explicite posita, ut eam Arist. tribuit Daneus, sed per consequentiam quandam ex c. 4 l. 1. *Meteor.* à Zabarella lib. de reg. aeris c. 1. educta. Hoc igitur ~~negatur~~ ~~sed~~. 2. Frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora, si scilicet aequa bene per pauciora effici possit: cum autem hic non aequa bene aer in duas quam in tres regiones dividatur, ob distincta, que in hisce tribus regionibus sunt, meteora, & ob qualitatum, que in iis obvia sunt, differentiam, invertimus illud *Danæi*, frustra hoc loco fieri per pauciora, quod debeat fieri per plura.

IV. Sed vero *qualitates singularium aeris* regionum, earumque differentias & causas vidamus. Supremam aeris regionem calidissimam esse, cum vulgari opinione statuimus, est enim ignitorum meteororum officina: in reddenda vero causa a communi sententia abimis; neque enim hujus intensissimi caloris causam facimus ignem elementarem, qui in rerum natura nullus est, nec flamas ab illo igne decidentes, que pariter, ut ignis, fictitiae sunt, nec motum & agitationem coelestem, tanquam principium extrinsecum, adeoque violentum, nec exhalationes calidas ad supremam regionem adscendentis, sed actualem astrorum calorem, huic regioni vicinorem, inque aerem proximum sibi, efficacissimum, causam esse dicimus.

V. Infima aeris regio est mediocriter calida, non, ut vulgo existimat, propter radiorum reflexionem, quæ est unius ejusdemque numero rei a solito duroque corpore resiliens, sed verius, propter caloris duplicationem:

duplicatio vero ista ita fit. Egreditur à fere calor, & quidem magna ac subita vi egreditur, proximumque aërem calefacit, hic in terram vibratus, cum eam ob duritatem penetrare non possit, non repellitur, quasi illa radiorum reflexio necessario sit adstruenda, sed multus in duro solidoque corpore colligitur atque unitur & fortior redditur atque efficacior: ita unitus & intensus vicinum sibi aërem magis calefacit magisque alterat, hic alium vicissim sibi proximum, donec tandem vis illa secundi caloris à terra promanantis evanescat, & infimæ aëris regioni terminum statuat.

V I. Media aëris regio, ex communi *Physicorum* placito, frigida esse statuitur, verum in assignanda ejus causa inter eos non convenit. Cum enim aer ( sunt verba Zabarell. lib. de region. aëris c. 2.) sit naturaliter calidus, jure dubitatur, quomodo aëris mediae regionis possit esse frigidus, præsertim magno ac perpetuo frigore: nam id quod alicui naturale & essentiale est, ab

illo inseparabile esse solet, vel non absque illius interitu separabile: ita fieri non posse videtur, ut aer ille, qui medium regionem implet, possit in illa violenta ac præter naturam affectione diu perdurare: quonodo igitur manet perpetuo frigidus? difficultas hec ita omnium animos torcit, ut nihil adhuc dictum videatur in quo animus plene acquiescit. Verum illa difficultas nos non torquet, si aërem indifferentem & à qualitatibus naturaliter inhærentibus immunem statuimus, uti statuimus: neque enim agnoscimus in aëre illas qualitates, quas Philosophorum vulgus ei tribuit, idque ob rationem in disputationibus præcedentibus allatum: si enim aer est unum cum cælo ac continuum corpus, sequitur aërem natura sua nec calidum esse, nec frigidum, &c. adeoque esse indifferentem ad illas qualitates: cælum enim nec frigidum esse, nec calidum, communis est opinio. At qui verum est prius, ex disputationibus ante habitis. Ergo & posterius.

F I N I S.